BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE VITTORIO EMANUELE
8
16 — A
44
ROMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

46 18

Bibliotheca Fam. Coll. Rom. Soc. Iesu

BIBLIOTECA
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

TRACTATVS DE PERFECTIONE CHRISTIANI,

AB EMINENTISSIMO

CARD. DVCE RICHELIO

GALLICE SCRIPTVS,

LATINE REDDITVS

A. P. F. MICHAELE GORGEV *Ordinis Minimorum Parisino; Cum notis, citationibus & animaduersionibus ex ordine adiunctis.*

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,

Apud IOANNEM HENAVLT, via Iacobæa sub signo S. Raphaelis.

M. D. C. LI.

Cum Approbatione, & Priuilegio Regis.

Digitized by Google

Digitized by Google

A MADAME

MADAME

LA DVCHESSE D'AIGVILLON.

MADAME,

Ie n'ignore pas que ces perſonnes de la hauteur d'vn pied, ou d'vne coudée, dont parle S. Auguſtin; & auſquelles pour ce ſujet on a donné

Digitized by Google

le nom de Pigmées, ne doiuent point faire de comparaiſon auec ces grands hommes, que le texte ſacré a appellé des Geans, pour leur prodigieuſe grandeur : quoy que les vns & les autres regardent vn meſme Soleil, & qu'ils ſoient logez ſous vn meſme Hemiſphere. Toutesfois perſonne ne ſe peut offenſer, ſi ces meſmes petits hommes s'approchent de ces Grands, pour rendre les hommages qui ſont deus à leurs merites ; & pour leur faire preſent des perles & des pierres precieuſes qui naiſſent en leurs pays ; & moins encore ſi par de ſemblables deuoirs ils ſe promettent la protection de ces Puiſſans.

Ainſi, MADAME, quoy

que par la miſericorde de Dieu, ie me trouue ſous le meſme Ciel, & que i'adore la meſme Diuinité, que feu de tres-heureuſe memoire MONSEIGNEVR LE CARDINAL *voſtre Oncle a adoré, & que vous meſme adorez auſſi, ie n'entre point pourtãt en parallele auec vos excellences & vos grandeurs, pour me contenir en mon deuoir, comme vn Pigmée entre les hommes, entre les Religieux vn Minime & entre les Minimes le moindre de tous.*

Neantmoins ie m'approche de cét incomparable Genie, ie luy rends ce que ie dois, ie m'étudie de reconnoiſtre ſes faueurs & ſes bienfaits, & i'employe tous mes efforts pour produire ſon incomparable

Digitized by Google

Traité De la Perfection du Chreſtien, *& faire connoiſtre par tout le monde l'Autheur dans ſon Ouurage ; quoy que d'ailleurs il ait acquis par ſes meſmes actions heroïques l'admiration de l'Vniuers.*

C'eſt à ce deſſein que i'en ay entrepris la Traduction en la langue Latine, dont l'étenduë égale le cours du Soleil, comme l'vne des trois langues que le Fils de Dieu a conſacrées en la Croix, pour le commerce de ſon Egliſe auec toutes les Natiõs du monde. Ie m'en ſers donc, comme d'vn vaiſſeau ; lequel pour n'eſtre pas azuré, ny garny de cordages de ſoye au dehors ; ny richement tapiſſé au dedans ; mais monté ſeu-

lement & armé à l'ordinaire; tout noir & tout poiſſé qu'il eſt, ne laiſſe pas de faire voile aux Prouinces les plus éloignées, pour y porter de bonnes marchandiſes, & en rapporter encore de meilleures & de plus riches.

Il eſt vray, MADAME, que ſon EMINENCE *ne traite dans ce Liure que de choſes grandes; & en effect, toutes celles qui concernent noſtre ſalut ſont de ce genre, & des plus hautes; C'eſt pourquoy il ſemble qu'vn ſtile latin, reuenant à cét eſtat, y ſeroit neceſſaire: mais S. Auguſtin prend ma defenſe lors qu'il dit que le* Docteur qui doit parler des choſes grandes, n'eſt pas obligé d'ẽ traiter toûjours

d'vne maniere grande & releuée ; mais d'vne façon ſimple & humble, particulierement quand il eſt queſtion d'enſeigner. *Et ainſi de propos deliberé, i'ay abaiſſé mon ſtile, afin que negligeant d'vne part la gloire que ie pourrois tirer d'vne traduction plus releuée & plus fleurie, & de l'autre, le contentement qu'en receuroiẽt les Eſprits delicz de ce ſiecle, ie rendiſſe plus d'honneur à Dieu, & plus d'vtilité, comme ie l'eſpere, à ſon Egliſe : Veu qu'il ſe rencontre beaucoup plus d'eſprits petits & mediocres, que d'excellents & releués, & que ce ne ſont pas ceux-cy, mais pluſtoſt ceux-là que ſon Eminence a voulu inſtruire dans ce Traité.*

Ce qui fait qu'apres le ſentiment de ce grand Sainct, ie me crois diſpensé d'entreprendre ma propre defenſe, mais non pas de rendre mes deuoirs à ſon Eminence, & à vous, MADAME, pour qui i'éleue mes yeux & mes vœux au Ciel, afin que vous ſoyez à cette ſaincte Doctrine de feu MONSEIGNEVR *voſtre Oncle, ce que fut autrefois Olympias Niepce d'Ablauius Grãd Miniſtre d'Eſtat, à S. Chryſoſtome, ſous l'Empereur Theodoſe.*

Enfin, MADAME, comme on ne rend iamais trop d'honneur aux Souuerains, & qu'il eſt permis de reſpecter ſouuerainement les Roys & les Princes, pourueu qu'il y ait vn degré entre l'honneur qui

est deu à Dieu, & celuy dont nous les honorons, afin de garder de la proportion entre l'image & l'original, entre le canal & la source, & entre la lumiere & le Soleil; agreez s'il vous plaist, qu'vn Bien que feu MONSEIGNEVR L'EMINENTISSIME CARDINAL DVC *a fait particulier deuienne general; trouuez bon que toutes les Nations le remercient de son trauail & de ses sueurs, que toute la terre reconnoisse les obligations qu'elle luy a de sa* Perfection Chrestienne ; *& qu'ainsi comme Ioseph eut l'industrie de ietter sur le Nil les pailles des grains qu'il auoit amassez dans les greniers de Pharaon, pour découurir & indiquer les magazins*

Digitized by Google

de l'Egypte aux trois plus floriſſantes parties du monde ; Ainſi cét Ouurage qui va courir tout le monde Chreſtien, receu & fauorisé de vous, MADAME, faſſe confeſſer à tous les peuples, qu'i's ont des obligations infinies, apres Dieu, à ſon Eminence, & que tres-heureuſe a eſté la France de tomber entre ſes mains, puis qu'elles ont peut ſuſtenter leur patrie, & nourrir le reſte de l'Vniuers.

I'eſpere par ce moyen eſtre aſſez heureux pour eſtre receu & accueilly par tout ; daut ant plus fauorablemẽt que cette Traduction portera par mer & par terre l'eſprit & la ſcience de feu MONSEIGNEVR LE CARDINAL, duquel i'ay toû-

jours eſté admirateur, & donnera témoignage que i'ay eu la grace d'eſtre auoüé pour eſtre à iamais,

MADAME,

Voſtre tres-humble & tres-obeïſsant Seruiteur.
F. MICHEL GORGEV
Minime.

Digitized by Google

VIRGINI MATRI SANCTISSIMÆ. FILII DEI

VT opus hoc tibi dicẽ, varia me argumenta compellunt, ſancta, ſacra, & inclyta Virgo; cùm in illo de perfectione (quam legum conſiliorumque ſuorum authoritate, & exemplorum vi, nos docturus in hunc mundum venit pretioſus filius tuus) agatur; tùm quòd eandem perfectionem, in ſummo, poſt vnigenitum tuum, gradu, fueris complexa; tùm etiam quòd, quâ tempeſtate, imperium hoc Gallicanum votis inſigni-

bus tibi conſecratur, cùm exoriatur illud ipſum opus, forem inexcuſabilis, ſi partem, aliquam dum cuncta vouentur, atque perdonantur, exciperem. At formidarem, præ indignitate meâ, tibi fore ingratum hocce munus, niſi ſperarem te ad illud ſuſcipiendum meritò perſuadendam eſſe, bonitate tuâ, cuius fons exhauriri nequit egeſtate, quâ laboro auxilii tui mihi perneceſſarij, atque fructu, quem productura eſt benedictio obtinenda per te à Diuino filio tuo, vt in Authorem laboremque eius tibi cõſecratos eam diffundas. Quemadmodùm prolem tuam, orbis vniverſi ſalutem, debitis honoribus proſequi Chriſtiano cuilibet impoſſibile eſt, quin adeò ſanctam genitricem eius reuereatur, ſic tibi, ardore charitatis quanto proſequeris, eandem amplecti progeniem: quin gratiæ illius gloriæque nominis eius vnicè cupidis atque auidis ſuffragêre. Virtu-

tutem ab illa diuinâ ſcaturigine mutuaris: & eiuſdem merito duntaxàt, mihi te præſtò futuram confido. Si indignus ego, Filius tuus omnia meretur. Vulnera in cruce ab eo pro me ſuſcepta, orationis medentur languoribus ad exprimenda tibi vota mea incapacis. Viam doceo, & à capite illius tantummodò proſpiciens, eandem ſolo demonſtro indice: Nihilominùs ingreſſum in eam profectumque, mihi per intermedia tua ſuffragia, talem tantumque expoſtulo: vt cùm in eam longè excurrero, verbis & factis prouocati noſtris, ſimiliter incurrant, qui Chriſtianâ profeſſione cenſentur, ac etiam pereurrant, quos nunc voce tenùs ac votis duntaxt in eâ exiſtentes, ad eiuſmodi cõcitamus. Nihil non potes„ Matris Dei Omnipotentis dignitate donata, per amorem quem erga te habet; ſed cuncta, quæ ad eius gloriam ſpectant, pariter deſideras, per reciprocum, quo ardes

erga iſtum amantiſſimum. Ità, ſpero, tanta benedictionum copia de fontibus poteſtatis tuæ atque bonitatis inundabit hoc opus, vt non modò animabus, quarum ſaluti per illud volui eſſe conſultum, verùm etiam ei qui opem tuam pro ſingulis vitæ ſuæ momentis, vltimo maximè, precatur & inuocat, vtile ſit futurum.

AD LECTOREM
EX EDITIONE GALLICA.

INSTITVTIONEM Christianam *Eminentissimi Cardinalis Ducis de Richelieu*, ab eo dum Lucionensis Episcopus erat, compositam, & ad Parochos directam, eiusdemque libri singulare nomen ac meritum, in Galliâ nemo penè non nouit, aut non legit. Opus est, omnium, qui in eius notitiam deuenêre, calculo, à primeuâ suâ origine probatum, cuius vtilitates ac fructus cùm Diœcesis Luxonia consecuta fuisset ad mentem Authoris, cæteræ Regni Prouinciæ etiam capessere visæ sunt, ac luce eius perfundi. Statuerunt Prælati in suis Diœcesibus, vt ex libro illo capitulum singulis diebus dominicis, Parochi subditis prælegerent. Alienigenæ omnes suo aptârunt idiomati : etiam Turcæ & Arabes; Et qui ad polum antarcticum habitantes Christianam Religionem suscipiunt, eiusdem Religionis apud hunc addiscunt veritates. Miro eiusmodi successu motus potissimùm incomparabilis ingenij vir, in alterum hoc opus incubuit. Vbera

enim lacteumque liquorẽ duntaxàt porrexiſſe atque infudiſſe infantibus, haud ſufficere aduertens; & ſine pietatis læſione aut iacturâ, grandiuſculis vel etiam maioribus ac robuſtioribus adultis parare offerreque cibos ſolidiores, ſe omittere non poſſe; formato, vt ſuprâ, Chriſtiano perfectionis viam aperire ſtatuit. Quod conſilium ità feliciter abſoluit, vt ad veræ Chriſtianæque pietatis ſummum apicem conſequendum, illi vni, lectione & actione ſedulâ, inhæſiſſe, ſit ſatis. Deuotionis ac Religionis obiecta ſeu ſubiecta vix vlla ſunt, de quibus hoc in opere non agat egregiè & præclarè, pro innato mentis ſplendore atque vi; illiſque pertractandis ampliorem laborem adhibuit, quæ in vſum ac praxim ſæpiùs cadentia, crebriùs etiam ſcrupulos & anxietates animis excitare ſolent. Libri huius nobilitatem pluribus attollere, vanum; cui præter Authoris ſui manum vltimam nihil deeſt; quam ille cùm fœtum hunc ſuum in lucem ederet, decreuerat admouere. Commendationis ſatis habet à nomine, quod gerit, *Cardinalis Eminentiſsimi de Richelieu*, qui nihil non eximiũ atque vtile vnquam eſt aggreſſus. Hoc

vnum veluti miraculum adiacere ortui eiuſmodi operis annotabo, captum videlicèt fuiſſe, cùm obſideret Corbeiam Ludouicus Iuſtus, addeſſetque Cardinalis: nec-non abſolutum eſſe, vt cernitur, cùm Hedinium à noſtrisi item vallatum captũque eſt: atq; ità pacis opus, in mediis belli tempeſtatibus, conceptum ortumque habuiſſe. Quod ſummi huius viri ſicut ingenij acumen atque amplitudinem, ſic pietatem zelumque verè Chriſtianum omnium proculdudiò admirationi dabit; qui dum Rex tot præclaras victorias triumphoſque de hoſtibus referret, non modò optimis eum conſiliis ſatagebat iuuare, ſed etiam quaſi Moyſes alter, pro felici armorum eius ſucceſſu, nec-non certantium ſuorum ſalute ac proſperitate, pias manus ad cælum protendebat.

PROLOGVS AVTHORIS.

OMNIVM, qui de hac materiâ de quâ agimus, scripsêre, virtutibus ac meritis ingenuè cedo: verùm cùm pleraque eorum opera ità prolixa vel obscura videantur, vt sine ingenti labore optatum finem in illis consequi plurimi non possint, ex charitate, quæ omnia potest, æquè facilem, ac breuem viam, quâ ad perfectionem Christiani perueniatur, componere contendo atque complanare.

Nihilominùs qui in eâdem palæstrâ ante me desudârunt, vincent me, conatusque meos quantoscunque in eo, quòd, cùm vsu meliori, atque vberiori fructu sint adepti, quod ego dilucidiùs fortè traditurus sum: feliciter stadium percurrerint, cuius iter sterno duntaxàt. Ad sectandam tamen virtutem eorum, quibus

Digitized by Google

hîc doctrinæ alimentis cæteros enutrire curo atque perficere, iisdem alere me, ac effectu illorum proficere, animus est.

Si fidem mihi adhibere voluerint, qui huius operis lectioni incumbent: quas illis aperio vias, ingrediemur pari gressu, pari alacritate, tanti enim facio salutem eorum, vt in negotio huiusmodi illorum; meumque profectum, eundem prorsus existimem.

Docent Philosophi causam finalem mouere & determinare quodlibet agens ad actum proprium: vnde vt ad brauium propositum currant ij quos hîc instituimus, attendant (obsecro) duplici ratione seu fine se ad perfectionis Christianæ metas tendere debere. Vno propriæ vtilitatis, cùm inde salus pendeat; altero, Creatoris sui, cùm eius gloria ibi fulgeat.

Hos duos fines tanquam diuersos intueor, deficiente enim priori, posterior non deficeret, hoc est, licèt homo salute non indigeret, propter Dei tamen gloriam solam, perfectionem (quam imitandam Christus nobis tradidit) perueſtigare teneretur: at cùm ad gloriam Dei omnipotentis aspirando, impossibile sit minimè saluari, item saluari, non procu-

rando eiuſmodi gloriam, propriè loquendo, ambo illi fines in vnicum cogi poſsunt vel coaleſcere.

Relictâ hîc diſcuſſione, quomodo perfectio de quâ agimus, obliget ad ea quæ tũ hominis vtilitatem, tum Dei gloriam concernunt, conſideranda: ſatis mihi eſt illud generatim effari, quòd viam illicò manifeſtandam, ſinguli duabus his ducti rationibus ingredi teneantur. Statimque conabor exprimere prioris momentum non parvum, tùm quòd ſenſibus magis ſubiecta, ingreſſũ inviam à me aperiendã, cũctis facilioré præbere valeat: tùm etiam quòd tantummodò perfectorum ſit pro ſolâ Dei gloriâ operari; ac quemadmodum priùs progredi aſsueſcunt infantes quàm curr ere poſſint, & lacte fouentur, dum ſtomachus eorum cibis ſolidioribus digerendis idoneus erit, ità hominis infirmitati morem gerendo, primùm intuitu emolumenti proprij, in via perfectionis pedem figere, molliter ille ſuadendus eſt, vt deinceps eidem detur per eam incedere paſsibus amplis, ex ſolo motiuo Dei cultus & gloriæ; cuius reſpectus ſolus ad metas coronaſque ducendi vim habet.

Ea

Ea-propter prima quinque capita huius libri, ea tantùm motiua diuersa continent, quibus hominem ad salutis propriæ curam, propter seipsum, incitari, necesse est.

Deinde explico, in quo consistat ratio perfectionis, quam omnium cordibus volo esse impressam, simulque disero de tribus vitæ generibus, purgatiuo, illuminatiuo, & vnitiuo, quibus tanquam gradibus tribus, ad tam beatum finem ascenditur.

Posteà quæro media ad apicem horum singulorum viuendi generum conducentia; & omnia ad quatuor species reduco, videlicèt ad amorem Dei seu charitatem, ad eius præsentiam, & ad vsum susceptionemque Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ non raram.

Rursùs, singulos trium eiusmodi vitæ perfectæ graduum, suscipiens, quorum generalis notitia datur cap. 6. quæ ad eorum praxim actum-ve necessaria sunt, fusè obseruo; Et quæ ad orationem spectant, copiosè satis pertracto, maximè quæ ad interiorem purè, seu mentalem: quia secundi gradus trium vitæ illius specierum anima est.

Subiungo, cuiuſcumque conditionis aut ſtatus homines ad perfectionem hîc expreſſam euadere poſſe.

Et abſoluto capite de conſilijs ad regimen animarum conducentibus, per alia duo, quæ iure primum huius libri caput à me poſtulare videtur, totum hoc negotium concludo.

Vnum ex duobus illis, oſtendit veram Dei vnius exiſtentiam, fundamentum omnium rerum, ignorari non poſſe.

Alterum probat immortalitatem animæ rationalis, quâ ſublatâ, fruſtrà vitæ Chriſtianæ perfectio conquiritur.

Vt autem fructus inde colligatur, lectorem oportet adeſſe animo, tractatumque hunc cunctanter perlegere, vt in documenta illius, reflexioni locus ſit. Potiſſimùm verò erigenda mens eſt ad Deũ, legendo: & ad ſanam intelligentiam eorum quæ ſcripta ſunt, atque fructuoſum eorundem exercitium & obſeruantiam Dei auxilium impensè poſtulandum.

Poſtremò, identidem quod lectum fuerit, operæ-pretium eſt recogitare ac mente reuoluere, illorum inſtar animalium, quæ cibos in ſtomachum ingeſtos ad ora reuocitant ruminando, & ruminant re-

Digitized by Google

uocitando, vt ex illis ſuccum puriorem exprimant Hanc poſcit diligentiam rei momentum, cùm in eâ, de æternitate, & de modo meliori ac ſecuriori ad eius felicem ſtatum perueniendi, agatur.

Digitized by Google

PROLOGVS
in præsentem Traductionem.

MIHI minimè dubium est, (Lector beneuole) maximam eorum partem, qui hanc Tractatus de Christiani perfectione per Eminentissimum Cardinalem Ducem de Richelieu Gallicè compositi, Latinam interpretationem, iuuante summo mundi huius operum omnium Magistro atque artifice, à me editam & completam lecturi sunt, optaturam nosse, quâ de causâ Minimorum minimus adhæsit materiæ tam sublimi exponendæ; præclariori serie nec-non optabiliori formâ, quàm ad hæc vsque tempora (meâ quidem sententiâ) tale negotium vnquam fuit, digestæ; per ingenium, seu mentem, cuius dignitas in terris Seraphica, & bonitas ex doctrinæ fructibus & effectibus charitatis eius æqualis fuisse præsumi potest: intentiones ac motiua ab omni terrenæ contagionis

fœce libera, similia quodammodò apud Deum merita, consecuta esse.

Non licet, inquient, infimis cum summis viris concurrere; pulueri, sursùm ventorum turbine rapi à terra, testudinis incorruptibilis, ac nihilominùs perenni motu circulos cum sphæris cœlestibus peragentis formaudæ gratiâ; aquæ stillulæ, velle sui communicatione tumorem addere Oceano; neque ignis scintillulæ in silice latenti, protinùs exilire, Solique sociari, vt Orbem illustret.

Verùm cùm Deus summorum summus intellectualis naturæ vltimæ coniungi dignatus sit, eique, ni pro parte suâ consilio istiusmodi responderet, indignationem suam intentare; cùm huius mundi luminare maius æquè à culicis oculo cõueniri, sibique illum vniri delectetur, ac ab oculo maximi gigantis qui fuit vsquã, nec non vtrique sese diffundat, siue communicet æqualiter: cúmque guttulæ aquæ sinum suum mare non deneget; offerat potiùs assiduè, ac in eum iucundè, dum illuc ipsa se immergit, admittat: nequaquam mirum videri debet, si Operi Cardinalis Eminẽtissimi Minimus incubuerit; Operi, instar Solis, vtrumque lustra-

turo hemiſphærium, & vbique fructus inſignes producturo, atque ad modum ingentis elementi noſtri frigidi ac humidi cunctas globi terreſtris partes refrigeraturo ac fœcundaturo. Summa rerum omnium, imò ſummitas ipſa Deus noſter infimis eſt, & minimis: minima verò & infima maximis ac ſummis.

Haud quidem vt ęque illa cum iſtis efferantur, nec vt arrogantiæ vanitatiſque audaci facinore thronũ eũdem obtineãt; vel pariformiter ſublimem dextrorsùm, aut ſiniſtrorsùm; nec vt abũdantiam eorũ augeant aut immenſitatem, neque vt cum illis huius mundi facem componant, vel accendant. Id inordinatum & ſuperbum foret nimis, & Minimo crimen maximũ ac digniſſimum ignominiâ.

Sed vt parua eiuſmodi, magnis quaſi quidam currus ſint & lecticę, vel geſtatores ſerui, quibus ſublimes Domini quocúmque gloriosè circumferantur; vt horum influentiis illi proficiant, participent theſauris, radiis ac flammis illuſtrentur & inardeſcant; tandemque vt eorumdem quaſi cauſarum pręcipuarum, ad opera ſua egregia effectuſque inſignes, inſtrumenta exiſtant.

Digitized by Google

Primò igitur ratus sum, quòd cùm legissem, relegissem, legique audiuissem diuinum hoc opus, eius non minus pias quàm doctas veritates gratamque dispositionem meæ feliciùs menti imprimerem, si maturâ atque accuratâ consideratione materias illius omnes, & singulas etiam sæpius percurrerem.

Secundò, quòd, huiusmodi tractatu soli vernaculæ Authoris linguæ manente, præter alias mundi partes, penè tota Europa Christiana, multis quos ex illo sperare poterat, fructibus priuaretur; imò etiam in Galliâ frustrarentur illis plerique eruditi soliti negligere libros spirituales vulgaris idiomatis, quasi solis plebeijs & illiteratis idoneos; solúmque tritam apud doctos doctoresque linguam diligere.

Tertiò intentiùs perpendi totum hunc tractatum, extractum quoddam, aut si mauis, epitomen esse continuam sacræ Theologiæ Scholasticæ, sanctorum Conciliorum ac Patrum orthodoxæ doctrinæ, melioris solidioriſque Philosophiæ Christianæ tum speculatiuæ tum practicæ, denique discursuum sapientiorum, qui ab humano intellectu sperari atque

elici poſſunt : illumque , tanti ſaltem meriti , quanti librum de inſtructione Chriſtiani, quem sũmus ille vir, Epiſcopus duntaxat , edidit , haberi poſſe.

Vltimò, permulta varijs modis errata, nec-non errores interdum , in libros cõtra mentem Authorum irrepere , maximè librariorum inſcitiâ atque incuriâ; ídque in præſenti , potiſſimùm vt poſthumo , nec vltimam Authoris ſui manum experto, contingere potuiſſe.

Hincque collegi Tractatum iſtum Gallicum Latinitate donandum , quâ primo ſaltem motiuo meo ſatisfieret , cùm id abſque perfectâ ac prudenti mentis applicatione compleri nequaquam poſſet; dein obuiaretur feliciter incommodis ſecundi , cùm Latina lingua non ſit currui magnifico commodoque abſimilis ; quo ſenſa ſublimis animi ſapientiora ac diuina , ab Arctico ad Antarcticum , & per vniuerſas orbis Chriſtiani partes atque climata deferantur : imò etiam inuiſant Galliæ Genios auguſtiores , viciſſimque ab illis viſitentur. Prætereà congruentiæ nec-non decoro apud tertium motiuum expetito , id eſt materiarum, quibus conſtat , dignitati aptè reſponderetur , cùm

idipsum idioma Latinum sanctis summisque rebus sit singulari ratione à Spiritu sancto, & ab Ecclesiâ dedicatum; atque ità non minùs (nè magis dicam) huic de Perfectione, ac eiusdem Authoris de Christiani institutione, Tractatui debeatur. Et tandem, Eminentiæ suæ, si quid fortè surreptum, restitueretur, cùm per Traductionem eiusmodi liceret, passim à Typographis inserta errata maturiùs aduertere; nec-non suam cuique textui veritatem ac lucem ad mentem Authoris reddere.

Vide, quæso (Lector beneuole) nonnullæ prouidentiæ meæ effectum, fructumque consilij qualiscumque.

Capite 6. editionis 2. an. 1647. cuius interpretationem aggressus sum, pag. 55. lineâ vltimâ, & primâ pag. sequentis; hęc verba [*éclairé & échauffé par l'illuminatiue, prend:* quæ sic Latine reddidimus, illuminati & feruẽtis per illuminatiuã, &c.] bis frustrà repetuntur, haud dubiè contra mentem Authoris. Posteà verò, editione 4. in 8. rescissa sunt, ac semel tantùm, vt decebat, exposita, omnium defectuum quos nactus sum in istâ editione 2. penè solum ab editione 4. eiusmodi

collatum ei remedium.

Cap. 9. eiuſdem edit. 2. pag. 91. lin. 18. termini illi, [*pour ceux qui ſont en peché mortel*] quos ita ſuppleuimus [exiſtentibus in peccato mortali] obmiſſi ſunt; & lin. 21. etiam illi per parenthesin addendi [*ſi on ſe trouue dans cette mort du peché*] quos Latinè ſic expreſſimus [ſi iſti culpæ lethali ſubiacere quis reperiatur] tam contra doctrinæ veritatem, quàm contrà mẽtem Authoris: primam quidem, quia falſum eſt lethalis noxæ veneno non infectis, ad pœnitẽtiæ Sacramentum diſpoſitionem requiri, aut eſſe neceſſariam ad ſacram ſynaxin, vt patet ex communi Eccleſiæ conſenſu: ſecundam verò, quòd Author ipſe pluribus doceat infrà, peccata venialia, nec obſtare ſanctæ Communioni, nec ad ſui remiſſionem atque emundationem pœnitentiæ Sacramentum exigere. Vnde liquet hîc non perperàm à nobis additos, ſed à Typographis obmiſſos eſſe ſupra poſitos.

Cap. 12. ſtatim ab initio, pag. 117. dictæ edit. 2. lin. 7. in definitione Confeſſionis auricularis & Sacramentalis, terminus iſte [*mortels*, qui Latinè mortalium vocabulo expreſſus eſt] contrà mentem

Authoris, vt sequentibus apertè patet, fuit obmissus. Contrà mentem, inquam, Authoris; cùm enim singulos definitionis eiusmodi terminos resumit, eorumq; vim siue ἐνεργίαν, pag. 118. lin. 15. expendit & exprimit, sic loquitur;] *i'ay dit expressement, ses pechez mortels*] vbi tamen terminus hic vltimus non habetur.

Cap. 15. pag. 142. eiusdem edit. lin. 19. vocabulum [*declarer*] quod Latinè per declaranda suppleuimus, & immediatè post [*à*] ponendum erat, nullatenus expressum est, oppositâ certo certiùs Authoris intentione. Vnde propositio ibidem facta ad blasphemias partim Caluini, partim Lutheri à Sacrosancto Oecumenico, & Vniuersali Concilio Tridentino Sess. 6. de iustificatione, Can. 6. & 7. condemnatas declinat. Deum enim, [*auoir voulu obliger les pecheurs à ce qui les pourroit empescher de tirer profit de ses remedes*] vt ibidem dicitur, vel (vt etiam Latinè depromamus, quod sic ibi Gallicè concluſum est) voluisse peccatores obligare ad hoc quod illis esse impedimẽto posset, ne vtilitatem ex diuinis eius remedis caperent, est,

Primò ad peccatum eos astringere vo-

luiſſe, cùm nihil gratiæ iuſtificanti atque Sacramentis, maximè Pœnitentiæ, veris peccati remedijs magis aduerſetur, aut formaliùs (vt cum Scholâ loquar) ac directiùs opponatur, ipſomet peccato. At Deum ad peccatum homines aſtringere voluiſſe, ad illud quodammodò eos coëgiſſe eſt; & propriè ac per ſe, tam moraliter quam phyſicè, non permiſſiuè tantùm feciſſe, nec-non facere peccatũ: quod eſt blaſphemia Caluini, apud Bellarm. tom. 4. lib. 2. de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati, cap. 3. 4. 5. 6. formaliter & expreſsè condemnata in dictâ Synodo Tridentinâ, Can. 6. his verbis. *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere; ſed mala opera; ità vt bona, Deum operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe, &c. anathema ſit.*

Secundò, Deum voluiſſe peccatores obligare ad hoc quod impedimento illis eſſe poſſet, ne vtilitatem ex diuinis eius remedijs caperent, prout hîc habet editio prædicta, eſt, eos quantò vehementiùs nituntur in ſe diſponere gratiam & dignam ſanctamque Sacramentorum receptionem, tantò grauiùs ſe peccatores reddere. Cum enim ad diſpoſitionem

gratiæ iustificantis legitimamque Sacramentorum susceptionem, id omne velle necesse sit, ad quod Deus nos obligat; impedimenti prædicti volitione, peccato existente, vt suprà insinuatum est, quò magis huic obligationi complendæ vacaremus ad dictam dispositionem, eò delinqueremus magis, & sic fieremus sceleratiores: quod est blasphemia Lutheri, in suis assertionibus, apud Roffensem, art. 36. quam sic dictus Can. 7. damnat exprèssè. *Si quis dixerit, &c. aut quantò vehementiùs quis nititur in se disponere gratiam, tantò eum grauiùs peccare, anathema sit.*

Ergò necessum fuit addere vocabulum [*declarer*] vbi suprà, vt fiat sensus hic Catholicus in propositione, videlicet, quòd insolitæ bonitatis Dei fuerit opus, voluisse peccatores obligare ad ea declaranda (peccata nempe) quæ remediorum eius vtilitati ab eis capiendæ obex esse possent. Atque ex antecedentibus & sequentibus hanc fuisse mentem Authoris plusquam satis liquet.

Eiusdem cap. pag. 146. lin. 9. vocabulum [*sacrée*] fœmininum, mutandum est in [*sacré*] nostrâ linguâ masculinum, eo

quòd ad [*ſecret*] etiam maſculinum, non ad [*Confeſſion*] fœmininum referatur, vt attentè legenti manifeſtum eſt; quis autem erratum eiuſmodi non tribueret typographo?

Cap. 18. pag. 168. eiuſdem edit. lin. 13. vbi confertur id Concilij Trident. Seſſ. 14. de S. Pœnitentiæ Sacramento, cap. 5. *Nam venialia, &c. quamquam rectè & vtiliter, citráque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, &c. multis alijs remedijs expiari poſſunt*, cum eo quod antè de iiſdem peccatis circà Religioſos decreuerat Oecumenicum & generale Concilium Viennenſe, ſub Clemente V. ſummo Pontifice, Clementinâ, *Ne in agro* §. *ſanè. De ſtatu Mouachorum*; ſic de Clementinâ illâ ac illius Decreto profiteri videtur Author: *Parce que n'ayant que vingt-cinq ou trente ans de plus grande ancienneté que ce ſaint Synode (ſçauoir eſt, de Trente) ie pretends la laiſſer paſſer pour vne meſme choſe.* Latinè [Cum enim Tridentino 25. aut 30. annis tantùm ſuperior ſit, pro eodem decreto atque doctrinâ duxi accipiendam.] In quo non mediocriter à vero contrà temporis rationem aberratum fuiſſe manifeſtum eſt, cùm extrà du-

Digitized by Google

bium reperiatur dictum Cõcilium Viennense, anno Domini millesimo trecentesimo vndecimo initiũ sumpsisse Kalend. Nouemb. finem verò ante annum eiusdem Domini 1314. completum; cùm hoc anno obierit dictus Clemens: illo autem durante Concilio & approbante, dictam Clementinam à summo Pontifice Clemente V. emanasse, atque aliàs Synodum Tridentinam cœpisse duntaxàt 13. Decemb. anni Domini 1545. Vnde constat dictam Clementinam ducentis triginta circiter annis antiquiorem esse Synodo Tridentinâ non autem viginti quinque, aut triginta solùm, vt enunciatur loco citato. Sed quis tanto viro, & non potiùs scribis eius ac Typographis defectum hunc asscribere auderet?

Subiungam hîc in gratiam tuam (Lector beneuole) dictam Clementinam non decernere verbis expressis, vt sua peccata venialia, semel saltem quolibet mense, Religiosi confiteantur; sed absolutè, nullâ peccatorum specialium mentione factâ, fateantur, his terminis: *Sanè*, inquit, *singulis mensibus, tam in Monasteriis, quàm extrà (sublatâ occasione quácumque (ad Confessionem saltem accedant*

omnes & singuli Monachi. Nihilominùs Eminentissimũ Cardinalem meritò Confessionem eiusmodi, de peccatis venialibus intelligere atque exprimere hoc loco Concilij Viennensis, nec-non eius Clementinæ mentem sectando potiùs quam textum. Cùm enim ex vnâ parte credendum minimè videatur, pias Religiosorum animas, in lethales culpas prolabi singulis mensibus; ex alterâ, sit verisimillimum ac penè fidem habeat, veniales plurimas incurrere, nisi singulari sanctitate præfulgeant, vel (quod vulgare esse nequit) existant perfectissimæ: reliquum est, vt Concilium illud, ad cõmuniorum culparum, nempè venialium Confessionem, eos voluerit astringere: non exprimendo tamen rationem venialium eiusmodi neque nomen, vt ansam minimè confitendi peccata sua mortalia, quam quidam, cùm contigisset illos in ea cecidisse, sub prætextu dictæ determinationis venialium arripere potuissent, eriperet.

His non obstantibus, hîc textũ Authoris nullatenùs mutandum duxi, vel alterandum, vt in hoc, Traductio nostra fidelis existeret, & ab omni cẽsurâ immunis.

Digitized by Google

Cap. 19. pag. 179. eiusdem edit. lin. 10. textus D. Augustini, penitùs contrà mentem Authoris, vt ex præcedentibus & sequentibus euidenter patet, peruersus est, hoc modo: *Tu ne seras point changé en moy, mais ie seray changé en toy*: cuius loco dicendum erat, *Tu ne me changeras pas en toy, mais tu seras changé en moy*: prout manifestè constat exterminis eiusdem D. Augustini, tom. 1. Confess. lib. 7. cap. 10. sub finem: vbi, *Cibus*, inquit, *sum grandium, cresce & manducabis me: nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Quamobrem in præsenti Latinâ interpretatione, hunc textum, peruersæ enunciationi Gallicæ, ad mentem Authoris, substituimus.

Cap. 20. pag. 194. eiusdem edit. lin. 22. vice numeri singulatis [*il n'y exerce*] collocandus est hic pluralis [*ils n'y exercent*] quia tota periodus ad Corpus & Sanguinem Iesu Christi Domini nostri, de quibus Author tanquam de rebus duabus loquitur, refertur apertè. Vnde sic Latinè restituimus suo loco; & erratum in Typographos reijcimus.

Cap. 22. pag. 228. eiusdem edit. lin. 15. horum vocabulorũ loco [*par raison*] scri-

Digitized by Go

bendũ eſt [*plus que de raiſon*] cùm Author hîc de ſacratiſſimæ Communionis vſu loquatur quem ab habente gratiam iuſtâ de causâ differri poſſe nõ ignorauit, licét plus iuſto illud nequeat; & quoad ſpiritualem participationem eius, quâ fideles vniuersi (iuſti potiſſimùm) tamquàm formæ finiſque Chriſtianiſmi, & tanquam fontis gratiarum omnium, quem continet, inter ſe communicant; qui gratiâ prædituſ eſt, illius actualem vſum ſocietatemque ſuſpendere, vel procraſtinare non poſſit. Sic igitur, quod ſuum erat, Authori reddidimus.

Cap. 31. pag. 310. eiuſdem edit. lin. 11. vbi habetur [*croyions*] licét ſenſus non sit ineptus omninò, vel illegitimus, videtur tamen potiùs dicendum [*veoions*] cùm hîc terminus iſte ab aliis cognitionis ſpeciebus, de quibus etiam agitur, fidem meliùs diſtinguat, quàm primus; & ſecundùm Apoſtolum, fides sit ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium, non autem, minimè creditarum: illud enim implicat: atque hoc erratum inſcitiæ vel incuriæ impreſſorum manifeſtè tribuendum venit.

Cap. 33. pag. 337. eiuſdem edit. lin. 17.

Digitized by Google

vbi videtur [*le*] collocandum [*la.*] Articulus enim iste refertur ad vocabulum [*espece*] quod est fœmininum.

Item eiusdem pag. lin. vltimâ, in qua legitur [*celles-cy*] legendum [*celles-là*] aliàs totus propositionis sensus eiusdemque veritas destruitur, contrà intentionem Authoris, vt clarè constat accurratè & attentè legenti.

Denique pag. 338. lin. 2. eiusdem cap. vbi reperitur [*les premiers*] ponendum [*les dernieres*]ob eandem rationem quam suprà immediatè exposuimus.

Cap. 41. pag. 404. eiusdem edit. lin. 2. vice huius vocabuli [*ces*] substituendum est illud [*ses*] per se patet.

Item eiusdem cap. pag. 406. eiusdem edit. lin. 18. loco termini singularis [*luy*] pluralem [*leur*] oportet reperiri: ad virtutes enim refertur, qui terminus pluralis est; non ad charitatem, vt liquet ex sequentibus.

Cap. 43. pag. 412. lin. penultimâ, vbi cernitur (*eu*) exprimendum (*en*)

Cap. 46. pag. 48.. eiusdem edition. lin. vltimâ, vbi (*l'Ecclesiastique*) exarandum (*l'Ecclesiaste.*) Non enim Ecclesiastici, sed Ecclesiastis, cap. 12. v. 7. quæ hîc ex-

preſſa ſunt, inueniuntur his concluſa terminis; *Et reuertatur puluis in terram, vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.*

Eiuſdem cap. pag. 486. lin. 8. vbi dicitur (*Article* 3.) dicendum (*action vnziéme & treziéme*) quia minimè per articulos, ſed per actiones eſt digeſta VI. Synodus generalis, Conſtantinopolitana 3. ſub Agathone ſummo Pontifice, & præſente Imperatore Conſtantino Pogonato, vſque ad actionem 9. incluſiuè. In quâ Synodo, act. 11. propoſita lecta eſt Epiſtola Sophronij Patriarchæ Ieroſolymitani, & act. 13. Patrum conſenſu tanquàm orthodoxa recepta & comprobata.

Cæterùm ſplendoribus eloquentiæ Gallicæ Cardinalis Eminentiſſimi non duxi Latinè reſpondendum; ſed temperatum ex induſtriâ ſtylum elegi, doctrinis, quibus totus penè conſtat Tractatus, aptiſſimum: ne ſublimior vel obeſſet Traductionis optatæ ſincerati, vel non æquè prodeſſet ſtudioſis lectoribus; quos cùm doctos atque indoctos, ſapientes atque inſipientes, & medios inter vtroſque, futuros eſſe conijcere liceat, tam in

Digitized by Google

facundissimâ meâ patriâ, quàm in reliquis per totum orbem Christianum Nationibus ac Prouincijs, medio potius omnes illicere (ad quem aliquando descendere, sapientibus ac doctis neque indignum, neque inutile, neque iniucundum est) quàm summo, infimos siue insipientes, ac etiam medios deterrere, solisque placere summis viris, satiùs esse iudicaui.

En partem fructus operæ meæ cuiuscumque (Lector beneuole) ex quâ, reliquos à me superiùs enumeratos, ac de benedictione Domini sanctissimæque Virginis expectatos, mecum sperare potes. Faue, pro viribus, consilijs meis, mercedis partem iure consequeris. Id optat

Humillimus in Christo seruus,
F. M. G. M. I.

INDEX

AVTHORVM QVIBVS tota huius libri doctrina innititur.

A

ADrianus Papa.
Albertus Magnus.
Alexander Halensis.
S. Ambrosius.
Aristoteles.
S. Augustinus.

B

Baronius.
S. Basilius Magnus.
Beda Venerabilis.
S. Bernardus.
S. Bonauentura.

C

Caietanus.
Canones Apostolici.

Digitized by Google

INDEX.

Cassianus.
S. Clemens Papa primus.
Concilia.
S. Cyprianus.

D

S. Dionysius Areopagita.

E

Eusebius Cæsariensis.

F

S. Fabianus Papa.
Franciscus de Sales, Episcopus Geneuensis.

G

Granatensis.
Gregorius Magnus.
Gregorius Nyssenus.

H

S. Hieronymus.

I

Iacobus d'Yépes Hispanus, Episcopus Tarraconensis.
Innocentius Papa tertius.
S. Ioannes Chrysostomus.
S. Irenæus.
S. Isidorus Hispalensis.
Iuo Carnotensis.
S. Iustinus Martyr.
Ius Canonicum.

Digitized by

L

S. Leo Papa primus.
Ludouicus de Leon.

O

Origenes.

P

Paludanus.
Petrus Lombardus.
Plutarchus.

S

Scotus.
Seneca.
Soto.

T

Tertullianus.
S. Theresia.
S. Thomas Aquinas.

Digitized by Google

INDEX RERVM, de quibus loquuntur hîc & tractant Authores prædicti.

A

ADrianus Papa, de Confessione peccatorum venialium, cap. 18 pag. 167
Albertus Magnus, de Confessione peccatorum venialium, cap. 18. pag. 169
Alexander Halensis, de eadem materia, ibidem.
S. Ambrosius, de prototypo & regula omnium virtutum, Christo Iesu, cap. 8 pag. 87. & 90.
Idem, de summo dolore, ex amore Dei puro, pro peccato, etiam alienis cunctorum hominũ, cap. 10. p. 103. 104. 107
Idem de pondere peccatorum non citò curatorum, cap. 17. pag. 162
Idem, de Confessione peccatorum venialium exemplo suo facienda, cap. 18. pag. 167.
Idem, de remissione peccatorum venialium per frequentem sacræ Communionis vsum, cap. 19. p. 174. 185. 186.
Et cap. 22. pag. 228.

Idem, de frequenti communione & quotidianâ faciendâ, cap. 21. pag. 205. & 212.
Idem de communione annuali, seu semel in anno receptâ queritur, ibidem, pag. 206. 213.
Idem, de existentiâ, excellentiâ & magnitudine Creatoris ex creaturis agnoscendâ, c. 45. p. 436. & 442
Idem, de immortalitate animæ & bono mortis, cap. 46. p. 461. 465
Aristoteles, de diuisione vitæ in actiuam & contemplatiuam, c. 43. p. 388. & 402
Idem, de vita voluptuosa, eodem cap. pag. 389. 402.
Idem, de præstantia vitæ contemplatiuæ super actiuam, eod. c. p. 391. & 404.
Idem, de non suscipiendâ disputatione contra negantem principia, cap. 45. pag. 438. & 443.
Idem, quod in æternis idem est, esse, & posse esse, cap. eod. p. 440. & 443.
Idem, quod omnia bonum appetunt, cap. 46. p. 444. & 462.
Idem, quod operari sequitur esse, cap. eod. pag. 447. & 462.
S. Augustinus, de obiecto beatitudinis hominis, cap. 1. p. 2. & 8

Digitized by Google

Idem, definit animam rationalem, cap. eod. p. 2. & 9.
Idem, de parricidio animæ, & defectu miserationis in Christiano illud non plangente, cap. eod. p. 3. vbi citatur D. Bernardus, & 9.
Idem, quod anima quiescere non possit, donec ad Deum reuersa fuerit, eod. cap. pag. 4. & 10.
Idem, quod corpus in cœlum cum anima debeat conscendere, &c. cap. eod. pag. 6. & 11.
Idem, de breuitate & inconstantia dierum nostrorum, cap. 2. pag. 13. & 27
Idem, quod vita beata, æterna esse debeat, eod. cap. p. 17. 27. & 28
Idem, enumerans bona Paradisi, eod. cap. pag. 18. & 28.
Idem, enumerans pœnas inferni, cap. 3. pag. 33. 34. & 40.
Idem, de actione ignis materialis in dæmones & in animas hominum damnatorum, eod. cap. pag. 37. & 41
Idom, quod inordinatus animus sibi ipsi pœna sit, cap. 4. pag. 44. & 50.
Idem, de præsentia Dei vbique existentis, cap. 8. p. 76. & 88
Idem, quod Deus-homo sue Chri-

ſtus Ieſus ſit nobis agendi regula, & quod ſolus ipſe talis eſſe poſſit. eod. cap. p. 86. 89. & 90.
Idem, quod Chriſtus ſit via, veritas, & vita, eod. cap. p 88. & 90
Idem, de ſanctis ac veris traditionibus diſcernendis, cap. 13. p. 129. & 133
Idem, de Confeſſione Sacramentali, cap. 14. p. 135. 136. 139.
Idem, de Confeſſione factâ laïco, penuriâ Sacerdotis, eod. c. p. 138. 140. 141
Idem, de facili lapſu in peccata mortalia, dum venialia contemnuntur, cap. 18. pag. 162. 168. 169.
Idem, de Confeſſione peccatorum venialium, cap. 18. pag. 168. Item 167. 169
Idem, de transformatione animæ per ſacram Communionem, c. 19. p. 175. 186
Idem, de Spe, non in homine, ſed in ſolo Deo, collocandâ, cap. 19. pag. 180. 181 186. 187.
Idem, de frequenti Communione, & veris, quoad hoc, variarum nationum conſuetudinibus, cap. 21. pag. 200. 201. 202. 210. 211.
Idem, quotidie communicare nec laudat nec vituperat, eod. c. p. 203 204. 211
Idem, de Orationis mentalis excel-

lentiâ, cap. 24. pag. 242. 243
Idem, de Orationis iaculatoriæ præſtantiâ, cap. 25. p. 246. 250
Idem, huius Orationis ſpeciei de ſe varia confert exempla, eod. cap. pag. 248 249. 250. 251.
Idem, eiuſdem Orationis exempla profert ex Monachis contemporaneis ſuis in ſolitudinibus Ægypti degentibus, eod. cap. pag. 249. 250.
Idem, de Oratione ſine intermiſſione, cap. 27. pag. 266. 267. 268.
Idem, Orationis effectus enumerat, coſque ad duo ſumma redigit genera, &c. cap. 28. pag. 271. 278. 279.
Idem, cur Deus ſæpè nos non exaudit, eod. cap. pag. 272. 279. 280.
Idem, de pœnarum amore, c. 36. p. 345
Idem, quòd tribulatio ſit medicamentum ſalutare, cap. eod. 348. 351. 352
Idem, de amando Deo, ex bonitate, venuſtate & magnitudine creaturarũ, cap. 42. pag. 377.
Idem, quòd nemo poſſit charitatẽ habere, & impius exiſtere, eod. cap. p. 382
Idem, quod præceptum de dilectione Dei, cętera omnia præcepta contineat, eod. cap. p. 384. 387. & 388.

Idem, quod Deum amare sit satis ad perfectionem consequendam, eod. c. pag. 384. & 388.
Idem, tertiam vitæ speciem constituit, quam mixtam vocat, cap. 43. pag. 390. 402. & 403.
Idem, vitam contemplatiuam & actiuam, Mariæ & Marthæ sororibus, comparat, eodem cap. pag. 390. & 391. 403. 404.
Idem, vtriusque sororis differentiam ostendit, eod. cap. pag. 392. 404. & rationem affert vtriusque differentiæ, ibid. & 405.
Idem, Creatoris existentiam probat ab existentiâ creaturæ, cap. 45. p. 436. 442. 443.
Idem, quòd manu potius quam verbis agendum sit contrà negantem principia, seu veritates euidentes, eod. cap. pag. 438.
Idem, quòd imaginem Dei habeamus in æternitate; similitudinem, in vitæ eius imitatione, cap. 46. p. 456
Idem, de immortalitate animæ, eod. cap. pag. 457. 463. 464.
Idem, librum scripsit de immortalitate animæ, eod. cap. p. 461. 465

B

Baronius, de Confessione Sacramentali & secreta, cap. 13. pag. 132 133
Idem, de frequenti Communione Sacramentali, cap. 21. p. 211
S. Basilius Magnus, de frequenti Communione Sacramentali per hebdomadam, eod. cap. p. 204. 211. 212
Beda Venerabilis, de Confessione factâ laïco, cap. 14. p. 138. 141
Idem, de Confessione peccatorum venialium Sacerdoti facienda, cap. 18. pag. 167. 169. 170.
S. Bernardus, de parricidio animæ, citatur, cap 1. p. 3. sed vide quoad hoc, p. 9
Idem, de iustâ punitione animæ per rebellionem carnis, eod. cap. p. 3. & 10
Idem, quòd creaturæ appetitum animæ satiare non possint, eod. c. p. 4. & 10
Idem, de longitudine dierum, seu æternitate, cap. 2. pag. 17. 18
Idem, de iustâ pœnarum æternitate damnatis infligendâ, cap. 3. p. 39. 42
Idem, de prærogatiuâ S. Petri, pro remissione peccatorũ, cap 14. p. 136. 140
Idem, de Spe in solo Deo collocandâ, cap. 19. pag. 181. 187.
Idem, de præcellentiâ Orationis men-

Digitized by Google

talis ſuprà vocalem, cap. 24. p. 242. 244
Idem, de vitâ contemplatiuâ reſpectu actiuæ, cap. 43. p. 390. & 403.
Idem, de relinquendâ contemplatione pro ſalute proximi procurandâ, eod. cap. pag. 397. & 405.
Idem, de cognoſcendo Creatore per creaturas, cap. 45. pag. 436. 443
Idem, de immortalitate animæ rationalis, cap. 46. pag. 461. 466
S Bonauentura, de Confeſſione peccatorum venialium, ca. 18. p. 166. 169. 170. 171

C

Caietanus, de Confeſſione venialium, cap. 18. pag. 170.
Idem, de præparatione ſeu diſpoſitione ad dignè communicandum, cap. 22. p. 218. 219. 228.
Canones Apoſtolici, de frequenti Communione, cap. 21. p. 198. & 208
Caſſianus, de Oratione iaculatoriâ, cap. 25. pag. 246.
S. Clemens Papa I. de frequenti Communione, cap. 21. pag. 199. 209
Concilia, Agathenſe, de Communione ter in anno ſuſcipiendâ, cap. 21. p. 210
Antiochenum, de eâd. materiâ, ibid.
Braccharenſe 2. de eâd. materiâ, ibid.

Cabilonenſe, de Confeſſionis Sacramental. inſtitutione facta à Chriſto Domino, cap. 11. pag. 116
Conſtantinopolitanum 3. generale 6. de immortalitate animæ rationalis, cap. 46. p. 459. 460. & 464.
Lateranenſe 4. generale 12. œcumenicum & approbatum ſub Innocentio Papa 3. de communione ſaltem ſemel in anno, in Paſchate facienda, cap. 21. pag. 206. 213.
Lateranenſe 5. generale 17. ſub Leone 10. de immortalitate animæ, cap. 46. pag. 460. 465.
Toletanum 1. de communione ſaltem ter in anno ſuſcipienda, c. 2. p. 210
Toletanum 4. de Confeſſione peccatorum venialium, c. 18. p. 168
Tridentinum, generale 18. œcumenicum approbatum, de attentione & valore eius, c. 10. p. 97. 106. & 107
Idem, de inſtitutione confeſſionis Sacramentalis facta à Chriſto Domino, cap. 11. pag. 103. & 106. cap. 13. pag. 127 132. ibid. 13. 133. cap. 14. 134. 139.
Idem, quòd non ſit lex diuina aut humana de confeſſione publica peccatorum, maxime ſecretorum, eod. cap.

Digitized by Google

pag. 110. & 117. 121. sed neque publicorum, ead. pag. 121. & 117.
Idem, de vtili, licèt non necessaria cõfessione venialium, c. 18. p. 165. 168
Idem, de communione Sacramentali annuali & Paschali, cap. 21. p. 206. 213.
Item de frequentiori perceptione Eucharistiæ, ibid. pag. 207. & 214
Idem, de probatione conscientiæ per Sacramentalem confessionem, ad Euchar. suscipiendam, c. 22. p. 216. 228
Idem, quòd Eucharistia à venialibus emundet, ibid. p. 220. & 228
Idem, quòd veniale peccatum non impediat augmentum gratiæ per Eucharistiam, eod. c. p. 220. 228
Idem, deliberatione à leuibus culpis, quotidianis, & præseruatione à grauibus, per eandem Eucharistiam, ibid.
Viennense, sub Clemente 5. generale 15. œcumenicum approbatum, de confessione venialium, cap. 18. pag. 165. & 168. & in prologo.
S. Cyprianus, de confessione Sacramentali instituta à Christo Domino, cap. 13 pag. 133.
Idem, de confessione venialium, etiam cogitatione tenùs dumtaxat admis-

ſorum, cap. 18. pag. 166. & 170
Idem, quòd voluptatem viciſſe, voluptas ſit maxima, cap. 36. pag. 347. 350

D

S. Dionyſius Areopagita, quòd cum Deo ſalutem animarum operari, diuina opera perfectius imitari eſt. c. 1. p. 8. & 11.
Idem, de confeſsione Sacramentali inſtituta à Chriſto Domino, c. 13. p. 133.
Idem, de frequenti communione, ſeu participatione corporis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, c. 21. p. 199. 209
Idem, de ſublimitate orationis ac vitæ ſupereminentis, in qua pati potius videtur anima quàm agere, cap. 31. p. 308. 309. 310.

E

Euſebius Cæſarienſis, de cognitione Dei creatoris per creaturas. c. 45. p. 436. 442

F

S. Fabianus Papa, de communione ter ſaltem in anno facienda à Clericis, cap. 21 pag. 200. & 210.
Franciſcus de Sales, Epiſcopus Geneuenſis, de propriis defectibus cum lenitate ac temperata ſeueritate corrigendis, c. 44. pag. 414. 433.

G

Granatenſis, de frequenti perceptione

Digitized by Google

Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, c.20. p.197.198
S. Gregorius Magnus, de liberatione animæ rationalis à morte æterna, cap. 1. pag. 5. & 11.
Idem, de pœnis proportionatis criminibus damnatorum, cap.3. p. 35.40 41
Idem, quàm iustè pœna æterna peccatum puniatur, eod. c. p.39.41.42
Idem, de præcellenti potestate S. Petri, quantùm ad remissionem peccatorum, cap.14.p.136.139.140
Idem, cur horam nostræ mortis nobis incognitam esse, Deus voluerit, cap.17 pag.157.162.
Idem, de oratione, citatus à D. Thoma Aquinate, c. 28. p. 279.
Idem, de immortalitate animæ, c. 46 p. 461.466.
Idem, de tribus spiritibus vitalibus, eod. cap. pag. ead.
S. Gregorius Nyssenus, de immortalitate animæ, c. 46. pag. 461. & 465

H

S. Hieronymus, Eucharistiam, Panem robustorum appellat, c.19. p 171. & 185
Idem, de frequenti communione, & quotidiana, c. 21. p. 204. 205. & 212

Digitized by Go

Idem, de orationis vi ac virtute, c. 28. pag. 270. 271. & 278.

I

Iacobus d'Yépes, Hiſpanus Epiſcopus Tarraconenſis, in hiſtoria vitæ S. Thereſiæ, de vita actiua ſequenda, exhortationem iſtius ſanctę ad ſorores ſuas recenſet, cap. 32. p. 322

Idem, in ead. hiſtoria, ex ead. ſancta, quæ de merito iuſtæ conuerſationis ſæcularis ipſa cenſuit, c. 43. pag. 400. & 406.

Innocentius Papa 3. de communione ſaltem ſemel in anno facienda, cap. 21. pag. 206. & 213.

S. Ioannes Chryſoſtomus, de confeſſione quæ Deo fit, cap 11. pag. 108. & 116

Idem, de pondere peccati alterum attrahentis, c. 17. p. 160. 162. & 163

Idem, pro confeſſione peccatorum venialium, ſuo exemplo ſæpè facienda, c. 18. p. 167.

Idem, de ardore charitatis ex communione concipiendo contra tentationes irruentes, c. 19. p. 175. 176. & 186

Idem, de communione in ſingulis Miſſis à populo celebrandâ, cap. 21. pag. 205. 206. 213.

Idem, de attentione, & de excellentia orationis mentalis ſuprà vocalem, c. 24. p. 243. 244.
Idem, de conſolatione in afflictione capienda, c. 36. p. 346. 347. & 350
Idem, de dignitate actionum noſtrarum ad modum earum quæ in Comœdiis repræſentantur, c. 41. pag. 370. 374. 375.
Idem, immortalitatem animæ negare, & Deum negare, idem crimen eſſe dicit, c. 46. p. 446
S. Irenæus, de confeſſione Sacramentali inſtituta à Chriſto Domino, c. 13. p. 133.
S. Iſidorus Hiſpalenſis, cur Deus ſæpè non exaudit nos iuxtà placita noſtra, c. 28. p. 271. 279.
Idem, quòd circà vitam actiuam occupari oporteat, priùs quam ad contemplatiuam prætendatur, c. 43. p. 390. 403
Iuo Carnotenſis, de confeſſione venialium, c. 18. p. 168.
S. Iuſtinus Martyr, de frequenti communione, c. 21. p. 199. 200. 209. 210
Ius Canonicum, ferè in omnibus quæ ad Pœnitentiam, Confeſsionem & Communionem pertinent, citatum, vide à c. 11. ad 22.

Digitized by Google

L

S. Leo Papa I. de Priuilegio poteſtatis ligandi & ſoluendi D. Petro concesſo, c. 14. p. 136. 140.

Idem, abuſum publicæ confeſsionis occultorum delictorum reſcindit, & vocat præſumptionem contrà Apoſtolicam regulam, c. 11. p. 113. & 117

Ludouicus de Leon, de S. Thereſia, cap. 30. p. 294.

O

Origenes, de confeſsione Sacramentali inſtituta à Chriſto Domino, c. 13. p. 133

P

Paludanus, de confeſsione venialium, c. 18. p. 170.

Petrus Lombardus, ibid. p. 167. 168. 169

Plutarchus de Lyſimacho poſt hauſtum calicem aquæ frigidæ, c. 3. p. 39. & 40

S

Scotus, de confeſsione venialium, c. 18. p. 166. 170.

Idem, quòd oratio poſsit eſſe ſatisfactoria & non meritoria, c. 28. p. 274. 280.

Seneca, de morte vbique expectanda, c. 17. p. 157. 161. 162.

Idem, fatetur, quoſdam iiſdem mediis

quibus vel ipsi vel alij deprimuntur, altiùs surgere, c. 36. p. 347. 351
Idem, quòd vulnera terreant tyrones & ignauos, magnanimos verò & veteranos magis animent & accendant, eod. c. p. 349. & 352.
Soto, de confessione venialium, cap. 18. pag. 170.

T

Tertullianus, de confessione Sacramentali instituta à Christo Domino. cap. 13 pag. 133.
Idem de agnoscendo Deo per creaturas, c. 45. p. 436. 442
S. Theresia, quòd agere, pati & diligere, sint vera meritorum hominum fundamenta, c. 30. p. 291. 294
Eadem, actionem præfert contemplationi. Vide quam, & quomodo, eod. c. p. 293. & 294.
Eadem, licèt contemplatiua, ad exercitationem virtutum, seu actionem, sorores suas hortatur, cap. 32. pag. 320. 322.
Eadem, in sæculo maius aliquando meritum, quàm in solitudine, comparari docet, c. 34. p. 400. 406

Digitized by Google

S. Thomas Aquinas, quòd Deus sit vbique, optimè probat, cap. 8 pag. 76. 77. & 89.

Idem, quod peccatum exhorrere debeamus super omnia, cap. 10. pag. 101 & 107.

Idem, quòd penuriâ Sacerdotis, laïcis fructuosè queant peccata declarari, cap. 14. p. 137. 140. imò & in necessitate debeant, ibid. & pa. 138

Idem, quòd mortifero crimine infectus, nequeat in periculo mortis differre notabiliter vel negligere confessionem Sacramentalem, cap. 17. pag. 156. 161.

Idem, confessionem fieri posse de peccatis venialibus, cap. 18. pag. 166. 168 & 169.

Idem, quòd peccata venialia non ex toto impediant effectum sacratissimæ Communionis, cap. 22. pag 220. 221 228. 229.

Idem, quòd actualis attentio, vel intentio non sit necessaria, vt actiones nostræ suum finem consequantur, cap. 27. p. 264. 267.

Idem, quod orare non debeamus, vt Prouidentia diuina mutetur, sed, &c.

cap. 28. pag. 271. 279.
Idem, quòd oratio non meritoria, nequeat esse satisfactoria, eod. cap. pag. 274. 280.
Idem, quomodo exaudiatur & non exaudiatur à Deo, peccator, eod. cap. pag. 275 280 281.
Idem, quòd obligatio perpetua ad ea quæ sunt perfectionis cum aliquâ solemnitate requiratur ad statum perfectionis, c. 40. p 367. 368. 374
Idem, quòd vita contemplatiua sit maioris meriti quàm actiua, cap. 43

INDEX CAPITVM.

CAPVT PRIMVM.

Quod Christiani, intuitu dignitatis animarum suarum, curam salutis agere debeant.

CAP. II. *De brevitate & miseria vitæ præsentis, & de æternitate & felicitate futuræ.*

CAP. III. *De inferno, & de pœnarum horrore quæ ibi tolerantur.*

CAP. IV. *De facilitate ad salutem consequendam, & de difficultate ad incurrendam damnationem.*

CAP. V. *Ad monendas animas, vt fructum debitum ex suprà pensitatis excerpant.*

CAP. VI. *In quo consistat perfectio Christiani, & de mediis efficacibus quibus comparari possit.*

CAP. VII. *De mediis excitandi se ad dilectionem Dei.*

CAP. VIII. *De variis Dei præsentijs, &*

Digitized by Google

de modis ex illis proficiendi ad fines Christianæ perfectionis.

CAP. IX. *De Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ quoad generalem considerationem.*

CAP. X. *De Contritione & eius speciebus diuersis, inter quas attritio locum habet.*

CAP. XI. *De Confessione in genere & Pœnitentia publica.*

CAP. XII. *De Confessione auriculari & Sacramentali.*

CAP. XIII. *Quod Confessio Sacramentalis sit ab institutione diuina.*

CAP. XIV. *De necessitate Confessionis.*

CAP. XV. *In eorum opinionem qui diffamant Confessionem, & illam velut iugum intolerabile exhibent.*

CAP. XVI. *De satisfactione Deo debita pro peccato.*

CAP. XVII. *De vtilitate redundanti ex frequenti participatione Sacramenti Pœnitentiæ.*

CAP. XVIII. *Quòd vtile sit confiteri etiam cum peccatorum venialium duntaxat sumus conscij.*

CAP. XIX. *De vtilitate frequentis Communionis.*

Digitized by Google

CAPITVM.

CAP. XX. *De aliis vtilitatibus sacratissimæ Eucharistiæ.*

CAP. XXI. *Quis apud Christianos Communionis vsus fuit in Ecclesia nascente, atque in serie suorum primorum sæculorum.*

CAP. XXII. *Non esse abstinendum à Communione, quòd deuotio, aut feruor actualis, haud percipiatur, nec ob quorumdam venialium formidinem.*

CAP. XXIII. *Obseruatio grauissima in vsum vitæ purgatiuæ.*

CAP. XXIV. *Obseruatio in exercitium vitæ illuminatiuæ, vbi de mentali & vocali oratione tractatur.*

CAP. XXV. *De duabus aliis orationis speciebus mixta & iaculatoria.*

CAP. XXVI. *Fusior explicatio orationis mentalis, cum præceptis quæ ad eius praxim pertinent.*

CAP. XXVII. *Quæ conditiones requirantur ad orationem.*

CAP. XXVIII. *De orationis efficacia, & vnde potissimùm deriuatur virtus eius atque vis.*

CAP. XXIX. *De distractionibus in oratione contingentibus.*

CAP. XXX. *De ariditatibus quas ani-*

Digitized by Google

mæ aliquando in oratione patiuntur.

CAP. XXXI. *De diuersis orationis mentalis speciebus.*

CAP. XXXII. *De differentijs insignibus quæ inter meditationem & contemplationem inueniuntur.*

CAP. XXXIII. *De effectibus & donis extraordinarijs, quæ in sublimioribus contemplationis gradibus Deus participanda concedit.*

CAP. XXXIV. *De extasi vel raptu & de eorum causis & effectibus.*

CAP. XXXV. *De discrimine inter quatuor diuersas species Extasium & Raptuum.*

CAP. XXXVI. *De pœnarum amore.*

CAP. XXXVII *De veris characteribus quibus in contemplatione, præter commune ac solitum, an à Deo, an à Dæmone sit discernitur.*

CAP. XXXVIII. *An Deus fœminis sæpiùs quàm viris vltimum contemplationis gradum largiatur.*

CAP XXXIX. *Obseruatio in vsum vitæ vnitiuæ.*

CAP. XL. *Obseruatio in tres vitas; purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam.*

CAP. XLI. *Quod in omnibus conditio-*

Digitized by Google

nibus ad vitæ Christianæ perfectionem perueniri possit.

CAP. XLII. *De facilitate qua sub legibus filij Dei viuentes perfectionem Christianam possunt adipisci.*

CAP. XLIII. *Quod vitæ genus in hoc mundo perfectius sit, & vt tale reliquis præferendum.*

CAP. XLIV. *Consilia spiritualia ad perfectionem Christiani vtilia.*

CAP. XLV. *Deum vnum esse, nec non luminibus naturæ ac fidei simul, illud ostendit.*

CAP. XLVI. *De immortalitate animæ cognita lumine naturali, ac lumine fidei.*

Extraict du Priuilege du Roy.

PAr Lettres & Priuilege du Roy, noſtre bien amé & deuot Orateur le Pere MICHEL GORGEV Religieux de l'Ordre des Minimes de S. François de Paule, nous a fait remonſtrer qu'il a traduit de François en Latin vn Liure, intitulé, *Le Traitté de la Perfection du Chreſtien, composé par le feu Cardinal de Richelieu*; lequel Liure l'Expoſant deſireroit faire imprimer, s'il auoit ſur ce nos lettres neceſſaires. A ces cauſes, deſirãs fauorablemẽt traitter ledit Expoſant, nous le luy auõs permis & permettõs par ces preſentes, pendant le temps de dix ans, à compter du iour qu'il ſera paracheué d'imprimer: auec deféſes à toutes ſortes de perſonnes, d'imprimer ou faire imprimer ledit Liure, à peine de confiſcation des exemplaires, & de trois mil liures d'amende, applicable à l'Hoſtel-Dieu du lieu où la contrauention auroit eſté faite. Données à Paris le 20. Feurier, l'an de grace 1651. & de noſtre regne le huitiéme. Signées, Par le Roy en ſon Conſeil, COVPEAV. Et ſcellées.

Ledit Expoſant a cedé le ſuſdit Priuilege à Iean Henault Marchand Libraire à Paris, pour en ioüir conformément à iceluy.

Acheué d'imprimer le 25. Septembre 1651.

NOs infra ſcripti ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctores Societatis Sorbonicæ, teſtamur nos legiſſe librum, cui titulus eſt; *Traductio eius Tractatus qui de Chriſtiani perfectione eſt per Eminentiſsimum Cardinalem Ducem de Richelieu Gallico idiomate, &c. operæ ac ſtudio P. F. Michaelis Gorgeü Minimi Pariſini*, nihilque in eo animaduertiſſe quod ſit fidei Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ eiuſque moribus contrarium: Die prima menſis Ianuarij, & die ſecunda menſis Februarij anno Domini milleſimi ſexcenteſimi, quinquageſimi primi.

A. Eueſque.

M. GRANDIN.

Licentia Reuerendiſſ. P. Generalis.

Nos Fr. Balthazar d'Auila totius Ordinis Minimorum ſancti Franciſci de Paula Corrector Generalis, Dilecto nobis in Chriſto Reuerendo Patri Fr. Michaeli Gorgeü, eiuſdem noſtri inſtituti Sacerdoti, Concionatori & Theologo ſalutem.

COnuenientiſſimum eſt, vt is communi loquatur lingua, qui cunctis Chriſtianæ perfectionis tradit præcepta, ne quis omittat agere quod ignarus idiomatis negligit legere, quia nequit intelligere. Inde eſt, quod te Deo opus gratiſſimum, & ſanctæ eius Eccleſiæ vtiliſſimum feciſſe iudicamus, cum ſacra illa *De Chriſtiana perfectione ab Eminentiſſimo Cardinali Duce de Richelieu quondam prolata oracula* de Gallica in Latinam traduxiſti linguam. Sic enim notum redditur omnibus, quod omnibus faciendum conſulitur. Idcirco, vt illam tuam traductionem, aliaque opera, quæ præ manibus habes cõſcripta; ac in poſterum meditaberis, prælo & typis committas, non ſolùm permittimus, ſed etiam inquantum ad excitandum tuum zelum opus eſt, præcipimus; dummodò tamen præuio duorum noſtri Ordinis Theologorum à R. P. Prouinciali Franciæ deſignandorum approbentur examine; In quorum fidem, &c. Datum Florentiæ in noſtro S. Ioſephi Conuentu, hac die 8. menſis Iulij, anni 1650.

Fr. BALTHASAR D'AVILA Generalis Minimorum. I.

NOs infra scripti, sacri Ordinis Minimorum, S. P. N. Francisci de Paula Theologi, testamur accurate perlegisse librum cui titulus, *Traductio eius tractatus, qui de Christiani perfectione est, per Eminentissimum Cardinalem Ducem de Richelieu, Gallico idiomate Editus, & in lucem prodiit posthumus anno Domini* 1647. *opera ac studio P. F. M. Gorgeü Minimi Parisini, &c.* Eumque non solum Orthodoxum in omnibus, ac fidei Catholicæ, Apostolicæ Romanæ tenacissimum; sed & toti Monarchiæ Ecclesiasticæ perutilem, necnon qui typis mandetur, dignum iudicasse. In quorum fidem præsentes dedimus Abbatis-villæ in nostro Conuentu Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ quarto Calendas Septembris anni Domini 1650.

F. SIMON DVPORT. M. Ind.
Fr. IOANNES PARIS Min. Ind.

Fr Ægidius Cossart ordinis Minimorum Prouincia Francia Prouincialis. S.

CVM nobis constiterit V. Patrem Michalem Gorgeü Ordinis & Prouinciæ Sacerdotem Theologum, è Gallica in Latinam linguam, vertisse libtū *De perfectione Christiani per Eminentissimum Cardinalem de Richelieu*, & à duobus Theologis nostri Ordinis quos lustrando & probãdo operi deputauimus, fidei Orthodoxæ & vtilitatis futuræ testimonium habuerit, Tenore præsentium licentiam facimus dicto V. P. Michaeli Gorgeü eundem librum in lucem edere & in fidem datum in Conuentu nostro Nigeonensi: Die 20. Septembris anni 1650.

Fr. ÆGIDIVS COSSART. Prou. Ind.

Digitized by Google

CAPVT PRIMVM.

QVOD CHRISTIANI, INTVITV dignitatis animarum, ſuarum curam ſalutis agere debeant.

OMNIBVS ratiocinatione, cuius etiam rudiores capaces ſunt, vti volentibus naturale, lumen vnum Deum eſſe, declarat; fideſque hanc veritatem per ſe euidentem confirmans, luce ſuâ illuſtratos docet, quis ſit ille Deus; & ex bonitate ac iuſtitiâ, quæ illi natura ſunt, eum præmia, vel ſupplicia æterna homini reddere pro meritis, in hoc terrarum orbe, ſtadio ſibi deſtinato, atque morâ ad probationem datâ, comparatis. Venio citò, inquit ipſe, & merces mea mecum eſt, dare vnicuique ſecundum opera eius.

Peiori ergò cæcitate, quàm quæ à natiuitate quibuſdam ineſt, inuolutum eſſe

Digitized by Google

oportet, ſaxiſque duriorem animum, qui quanti ſit momenti hominũ ſalus, ignorârit: & quæ ad eam promerendam parandamque neceſſaria ſunt, neglexerit operari.

Dignitas animæ rationalis, quæ vel ex eius origine, vel ex naturâ, vel ex fine, aut ex pretio, quo redempta eſt, æſtimanda venit, nos eandem, peccati admiſſione vili, quâ in æternæ infelicitatis abyſſum ruit, deijci, permittere nequaquam ſinit. Imò cogit, gratiâ diuinâ, quæ gloriæ cœleſtis ſemen genuinum eſt, attollere deiectam, in paratum illi felicitatis gradum ſublimem.

Quandoquidem Deus noſtrarum Authorest animarum, eaſque creauit ad imaginem ſuam, rationi maximè conſentantum eſti, ad illum tandem reuertantur, iuxtà doctrinam [a] Diui Auguſtini, inferentis ex eo quòd Deus hominis ſit opifex, eiuſdem hominis obiectum beatitudinis aliud ab eo eſſe non poſſe [b] Magnus ille vir definiens animam, ſubſtantiam creatam, inuiſibilem, ſpiritualem, immortalem, atque ſui Creatoris imaginem in ſe expreſſam circumferentem; apertè oſtendit illam, poſtquàm in tem-

pore, quod certis veluti limitibus & cancellis clauditur, vitam duxerit, tandem, etiam naturali prærogatiuâ, victuram in æternitate, quæ omnes terminos in immensum excedit.

Quod si quemadmodùm anima corporis, sic Deus sit vita animæ, poterit-ne hæc, ab eo qui non modò vita, sed & vitæ eius beatitudo est, separare se velle? præcipuè, si aduertat se ità agere non posse, quin homicidij scelus admittat, eo crudelioris quod animas à corporibus diuellit: homicidij propter quod exclamat sanctus Bernardus: licet-nè tibi aliquo sensu Christianę charitatis iactare te præditum, si super vacuo animæ suæ corpore fundis lachrymas, super animâ verò Deo suo destiturâ non effundis?

Infinita eius prouidentia, ait [d] insignis ille Sanctus, carnem subdidit animæ, sicut anima subijcitur Deo. Vnde si illa iugum à ceruicibus excusserit, cui lege naturali subiacere debet; mirum non est, si caro vicem rependat animæ; cùm iustum sit superiori rebellem, subditorum rebellione puniri.

Cæterùm si verum est quòd Deus vniuersorum conditor, ac proinde anim arũ,

etiam illarũ finis ſit, ſicut cauſa efficiens; æquè certiſſimum eſt (vt eleganter admodum docet [e] S. Auguſtinus) quietas eas manere non poſſe, donec ad Deum reuerſæ fuerint.

Quicquid motu cietur, in ſolo motûs vel actionis, quæ per motum eſt, fine, quieſcere poteſt. Cum cadit lapis, initio caſûs, quietem non habet: in medio aëre quem pertranſit, illa non occurrit; ſed in terra duntaxat termino deſcenſus eius. Primus vitæ noſtræ (quæ motus perennis eſt) progreſſus, in terrâ & à terrâ eſt; terminus, in cœlo: Igitur in cœlo Deique fruitione tantùm; non in terrâ, nec in creaturarum poſſeſſione, tranquillitatem poteſt inuenire. Nam, inquit [f], pius ac ſanctus Bernardus, creaturæ nec molis nec virtutis habent ſatis, ad explendum appetitum animæ: illum quidem occupare poſſunt, replere non poſſunt. Solus Deus id valet, quòd cùm anima, eius immenſitatis ſit capax, quicquid illo minus eſt, hanc capacitatem implere nequeat.

Et alibi, ergó-nè poſſibile eſt animam tantâ rerum huius mundi notitiâ illuſtratam, quomodò & cuius gratiâ facta ſit,

ignorare; aut, si etiam illud nouerit, videns quòd ad Dei sui imaginem sit formata, & ad eum possidendum in æternùm destinata, poterit tanto se priuare bono, vt carnis corruptionem sequatur?

Prætereà, si filij Dei sanguis ex se inæstimabilis, pretium est nostræ redemptionis; ratione suadente, vt tanti quodlibet æstimetur quanti redimitur, nostrarum animarum salutem floccipendere non possumus, quin proprium filij Dei sanguinem etiam conculcemus. Certiores facti eum pro istis animabus, vt vitam haberent, mori voluisse, tamtùm-nè sæuiemus in nos ipsos, vt non ità easdem moderemur, quòd vitam morte tam pretiosâ illis acquisitam valeant conseruare?

Si (inquit [g] Diuus Gregorius Magnus) carnem naturâ mortalem, & quæ tandem sortem mortis miserā non effugiet, damnatione supplicioque temporali eripere iucundum est; quâ non cumulabitur gloriâ, qui animam, soli in cœlis æternitati dicatam, à morte æternâ deffenderit?

Si obitum amici, cui luctus noster inanis est, siccis oculis aspicere non possumus; animi nostri interitum poterimus

abſque lachrymis tolerare? eos-ne, quos reſuſcitandi virtus nulla nobis eſt, deflebimus? & non effundemus lachrymas ſuper animarum morte, quibus vitam reſtituendi per lamenta pœnitentiæ nobis facultas eſt?

Ad hoc commodè [b] D. Auguſtinus, inter animam & corpus fingit diuinum iſtum dialogum. Ego de cœlo deſcendi (ait anima) à Deo delegata ad ornatum tuum atque perfectionem, tu verò de terrâ ortum habes; nonnè æquius eſt ac ſalubrius, te in cœlum mecum aſcendere, quàm vt me tecum ad tartara deuoluas?

Adderem hîc lubens ad ſancti huius Patris animi ſenſa, quæ alibi paſſim ipſe annotauit. Nihil in orbe inferiori non caducum, nihil in ſuperiori non æternum. Terra, nil niſi miſeriæ; cœlum, fœlicitatis plenum velut ærarium eſt. Ratio itaque dictat vnum proſequendum eſſe, alterum relinquendum.

His de cauſis, tenetur vnuſquiſque non modò propriam ſedulò ſalutem curare; ſed etiam (ſi eaſdem rectè perpendat) omnium ſaluti ſe nihil non debere reperiet.

Vltima hæc ratio, fateor, inter alias quæ me huic operi addixerunt, potentiſſima fuit; licèt voluerim viam, quâ pergere teneor, mihi primò ſternere.

Optare propriam, nec non proximi ſalutem, ità connexa ſunt, vt maneant inſeparabilia: & aliorum felicitati æternæ conſulere, certam ſibi ſuam reddendi, quaſi infallibile medium eſt.

Si Ionathas quondam, à Rege Patre, capitali ſententiâ damnatus, quòd virgæ ſummitate fauum mellis attigiſſet, atque guſtaſſet, dum victoriam proſequeretur contra Philiſthæos; vrgentibus populi ſupplicationibus, qui cùm iſtius Ionáthæ magnanimitate ſalutem conſecutus eſſet, Regem cogit adeò ſeueram in filium reuocare ſententiam, liberatus eſt: haud dubium eſt, quocunque ſe crimine maculârit peccator, quodcunque iudicium in irâ ſuâ aduerſus eum Deus proferre paratus ſit, quin (ſi tam felix tunc reperiatur, vt animarum ſaluti aliquid contulerit) illæ acceſſuræ ſint ad tribunal omnipotentis, miſericordiam, in eiuſmodi miſerum, implorandi gratiâ. Equidem conclamabunt inſtar populi ſeruati per Ionatham: non eſt æquum dare neci eum,

qui tantum ab illa populum vindicauit: ac præterea certum est, Deum (cuius deliciæ, bona sua in homines profundere) facillimè daturum iustitiæ suæ seu vindictæ manus, stringendas vinculis charitatis animarum eiusmodi: quæ iure nitentur vicem reddere iis, qui ad hoc vt illæ possent diuinam inuocare atque obtinere clementiam, gnauiter collaborauerunt.

Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam [k] suam, & operiet multitudinem peccatorum, inquit [l] D. Iacobus: & si fidem adhibeamus [m] S. Dionysio Areopagitæ, cum quo caput istud concludam; Inter hominum opera, quæ diuina perfectiùs imitari videntur, cum Deo salutem animarum operari, propiùs eò accedere tenendum est.

[m] Tom. 5. lib. 12. de ciuit. Dei cap. 1. lit. D. vbi ait. *Non est creaturæ rationalis vel intellectualis bonum, quo beata sit, nisi Deus. Itaque quamuis non omnis beata possit esse creatura, (neque enim hoc munus adipiscuntur, aut capiunt feræ, ligna, saxa, & si quid eiusmodi est) ea tamen quæ potest, non ex seipsa potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo,*

à quo creata est. Hoc enim adepto beata est, quo amisso misera est, &c.

[b] Tom. 8. enar. in Ps. 145. pag. 604. litt. D. his verbis. *Res spiritalis est, res incorporea est, vicina est substantiæ Dei. Inuisibile quiddam est. Regit corpus, mouet membra, dirigit sensus, præparat cogitationes, exerit actiones, capit rerum infinitarum imagines.*

[c] Hoc magis & expressiùs habere videtur S. Augustinus tom. 10. serm. 13. de Mart. cap. 6. pag. 400. litt. C. vbi ait.

Scitote certumque tenete corpus mortuum esse sine anima: animam mortuam esse sine Deo. Omnis homo sine Deo mortuam habet animam. Plangis mortuum, magis plange impium, plange infidelem. Scriptum est, Luctus mortui septem dies: fatui autem & impij omnes dies vitæ illorum. An verò non in te sunt viscera Christianæ miserationis, vt plangas corpus à quo discessit anima, & non plangas animam, à quâ recessit Deus?

His tamen alludit D. Bernardus serm. 16. in Cantic. fol. 143. H. cum ait.

Ad omnia reus es, plange per singula [& infra] *Deus Patrem se exhibuit mihi, sed non ego me illi vicissim filium. Quânam fronte attollo iam oculos ad vultum Patris tam bonitam malus filius? &c.*

[d] S. Bernardus ſerm. ad milites Templi cap. xi. fol. 199.

Quid namque iuſtiùs poterat quam recipere talionem? Vita ſiquidem Deus animæ eſt, ipſa corporis, &c. Noluit anima regi à Deo; non queat regere corpus. Si non paret ſuperiori, inferiori cur imperet? inuenit conditor ſuam ſibi rebellem creaturam, inueniet anima ſuam ſibi rebellem pediſſequam.

[e] Tom. 1. lib. 1. confeſſ. cap. 1. vbi ſic habet; *feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

[f] In hanc ſententiã ſic loquitur ſerm. 9 in cœna. Domini, f. 317. litt. H. impreſſ. 1572.

Amor mundi totum mundum quærit, & nunquam ſatiatur. Imò cum plus habet, plus cupit ſemper habere. Amor Dei vnum cupit ſemper habere ſolum, illo contentus eſt, nil aliud iam poſſidere peroptat. Amor Dei nihil aliud quærit niſi ſolum Deum.

Item inter. ſerm. eius diuerſ. 2. quem de miſeria hum. inſcripſit, fol. 84. litt. M. ſic ait;

Quid quæris extra illum? quid deſideras præter illum? quid tibi placet ſine ipſo? ipſe fecit omnia, ipſe habet omnia, ipſe eſt omnia, &c ſi plenitudinem quæris omnis boni, ipſe plenitudo eſt, &c.

Digitized by

[g] D. Gregor. Magnus. [h] D. Auguſtinus.

[i] Lib. 1. Reg. c. 14. v. 44. & 45.

[k] Vulgata habet, *eius*, ſed, *ſuam* quidam vertunt ex Græco αὐτῆ per ſpiritum aſperum; ad quam interpretandi rationem hîc Author reſpicere videtur.

[l] Epiſt. Cathol. c. 5. v. 20.

Lib. de Eccleſ. Hier. c. 10. ſecundum Ioachimum Perionium impreſſum Latinè duntaxat in 12. vel 16. anno Domini. 1585. ſecundùm verò Balthazarem Corderium, in fol. impreſſum 1664. cap. 6. ſub finem. vbi Græcè ſic habet pag. 335.

Οὕτω γὸ ἡ καθ' ἡμᾶς ἱεραρχία τῶν θεοπαραδότοις τάξεσιν ἱερῶς ἐυθετουμένη, ταῖς ἐυσχήμοσι ἱεραρχίαις ὁμοειδὴς ὄξι, τὺς θεοειδεῖς αὐτῆ ὡς ἐν ἀνδράσιν ἀποσώζουσα, καὶ θεοειδῆς χαρακτῆρας. quod ita Latinè redditur ibidem.

Ita enim Hierarchia noſtra Ordinibus à Deo traditis ſanctè digeſta, conformis eſt cœleſtibus Hierarchijs, dum deiformes notas ſignaque Deum exprimentia pro viribus conſeruat.

CAPVT II.

De breuitate & miseriâ vitæ præsentis, & de æternitate & felicitate futuræ.

SI verè vita præsens nihil nisi viæ transitus sit, cuius duratio æternitati comparata, momentum est dumtaxat: si certũ etiam, viam hanc adeò spinis refertam, vt in ea, sine læsione ac dolore, pedem mouere, penè impossibile videatur: si contrà, compertum sit, qua potiri in cœlo speramus, vitam futuram fine carere, sola æternitate limitari, eiusque felicitatem ita absolutam esse, vt cuiuscunque mali expers, omni bono perfectè beata perfruatur: siccinè agemus miserè, vt malum bono, & temporaneum æternitati glorioſæ præferamus?

Has nosse veritates, impossibile, & curam suæ animæ specialem non suscipere: non nosse autem easdem, sine cæcitate fieri nequit.

Si longitudo vitæ huius, alicuius esset momenti, ista-ne de vita hominis pro-

Digitized by Google

nunciarent ſacræ paginæ[a], ventus eſt vita mea? dies eius ſicut vmbra[b] præter-eunt? ignoratis quid erit[c] in craſtino? Si hodie aut craſtino ibimus in illam ciuitatem? &c. Et omnis gloria eius quaſi[d] flos agri?

[e] D. Auguſtinus in Pſalmos, diceretne dies hominis pro nihilo computari, quòd antequam adſint, non exiſtant: & cùm affuerint, etiam abierint: & quidem non accurrere, vt ſint aut permaneant: ſed vt præterlabantur, aut potiùs pereant & non ſint. Affirmaret-nè, quò plus creſcit vita hominis, eò plùs eam decreſcere: quò magis progreditur, eò morti viciniorem fieri: quiſquis viuere cupit, obitum ſuum cupere vel nolentem, cùm vita nihil aliud ſit, quàm ad mortem via: Itanè & aliis modis ſimilibus loqueretur, niſi vitæ huius breuitas ſic eſſet certa, vt omninò extrà dubium foret?

Conſtantiſſima res eſt, hominem tunc ceſſare viuere, cùm mori ceſſat: vnicumque vitæ inſtans habere, quod omnes latet: cùm momentum, quo præteritum (quod iam euanuit) ſecernitur à futuro, (quod necdum eſt) nemo cognoſcat. Quod elapſum, & quod in lucem adhuc

minimè prodiit, vitæ nomen iure ſortiri nequaquam poteſt: ac proinde ſolum illud inſtans, quod præteritum diuidit à futuro, vita noſtra rectè nuncupatur.

Ex quo viuiſcimus, ſtatim imputreſcimus: momentum enim, quod vitæ initium confert, vt fluxerit, illicò amiſſa exiſtentia, mortis præda fit.

Licèt vita & mors aduerſa ſint, quatenùs hæc illius eſt carentia, ſic tamen inter ſe ſtrictè connectuntur, vt eodem curſu ferantur pariter, nec vel vnico patiantur à ſe-inuicem momento diſiungi. Non ſecùs ac vltimus arenæ cadentis è clepſydra ſcrupulus, horam non componit, at eius terminum notat: ſimiliter poſtremus vitæ ſpiritus, quo peruenimus ad interitum, ipſum non inchoat, ſed finit ſolùm cum vita.

Cæterùm, quamuis vitæ nomen tribueretur diebus & annis labentibus, dum ſumus in terra ſuperſtites, morſque tunc ſolummodò incipere crederetur, cùm ab illa migramus: nihilominus vita præſens, Æternitati quæ terminis omnibus caret, compoſita, breuis reperiretur. Atque ità veriſſimum, quocumque modo vita humana ſpectetur, illius breuitatem ex-

tremam eſſe: & (quod non leui dolore deplorandum) videmur eius abuſu, eiuſdem breuiationi totis viribus incumbere.

Si otiosè viuere, viuere minime ſit, &, multò magis, ſi viuere vitiosè, cenſeatur mori: quis ſibi hîc annum viuere promittat, terens (vt aſſolet) vitæ partem facinoribus & vitiis, ampliorem otio ac nugis, penè totam alienam à debitis? vix vllus tantillum illud vitæ ſpatium poteſt prætendere. Plerique hoc in orbe perſeuerant annis pluribus: ſed indè non ſequitur longam vitam impleſſe, quia malè expleuerunt: & vt Chriſtianè loquamur, aliud eſt viuere, & aliud videre effluere tempora conceſſa homini vt viuat.

Dein ſi intuear, quod docent omnis veritatis origo, ſacri [f] codices, nimirùm hominem naſci ad laborem: & ad quietem mori: dies eius repleri ſpinis & doloribus: noctes etiam, vt quieſcat, datas, ducere inſomnes, aut animi perturbationibus & fantaſmatum terroribus irrequietas: imò ab egreſſu ex vtero materno, vſque ad ingreſſum in telluris (primæ omnium parentis) gremiũ, iugum graue

ſuper humeros iugiter ſecum ferre : ſi poſt diuina illa oracula, regrediar ad edita à ſanctis Patribus, qui aut malum, aut timorem mali ſemper homines hîc degentes comitari tradunt : bona habentem, eorum iacturam formidare : mala verò patientem, dolorum aculeos perſentire : vitam noſtram nil præter laborem exiſtere, atque etiam interdum iræ Dei omnipotentis eſſe effectum : procreari nos in maculis, nutriri aliquandiu in tenebris, produci in doloribus, primaſque voces vagitus cum lachrymis edere, vt in peccato nos naſci probemus, & vitales auras, in vniuerſo miſeriarum ſeu in vniuerſis miſeriis, carpere : non poſſum non lugere hominum ſtultitiam, qui tot tantoſque labores ac pœnas ſubeunt ; vt momentum conſequantur aut ſeruent, quod, licèt nihil ſit, nihilominùs graui ærumnarum ſerie contexitur; quique pro eiuſmodi inſtanti vitam deſerunt, cuius felicitas atque duratio nullis limitibus finiuntur.

Contextus ſcripturæ ſacræ ferè omnes, qui futuræ vitæ felicitatem teſtantur, etiam illius æternitatem aſtruunt &. D. Paulus ità expreſsè de vtráque loqui-

tur, vt nullus ſit ambigendi locus; Momentaneum & leue tribulationis noſtrę, quod in præſenti eſt, inquit Apoſtolus ille diuinus, æternum gloriæ pondus operatur in nobis: & quæ videntur, temporalia ſunt: quę autem non videntur, æterna.

Et certè, quemadmodùm notat [h] S. Auguſtinus, Beatorum vita, beata non eſſet niſi eſſet æterna, cùm qui boni, quod poſſidet, priuationem timere poteſt, quieſcere nequeat. [i] D. Bernardus in hæc verba Pſalm Longitudine dierũ replebo eum, ait illum velle loqui de æternitate vitæ futuræ. Æternitas, inquit, plenitudo illa eſt, & continuitas dierum hîc promiſſa: quid enim longius infinito? Finis bonus, ait ibidem, vita æterna. Finis bonus, vita quæ finem non habet.

Beatitudo cœleſtis, non ſolùm, quoad durationem, caret limitibus: verumetiam, quantùm ad eſſentiam, aliquatenùs illis carere dici poteſt. Sancti Patres, & ratio æquè docent, Beatitudinem eſſe ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectum: vnde colligi facilè poteſt, omnes hominis facultates corporeas ac ſpirituales, ſatietatem in cœlo habituras,

nec minimum quid, illi defuturum esse.

Ideò [k] D. Augustinus enumerans bona Paradisi, eum describit plenum lumine, pace, charitate, sapientia, gloria, honestate, suauitate, melodia, gaudio, & beatitudine interminata.

Huius beatitudinis bona singula, vt sunt, exprimere, non modò difficile; sed & concipere atque comprehendere, penitùs impossibile est.

Nihil est, scire, nos in sancta illa patria, vita sine fine perfruituros, sanitate perfecta, corporis impassibilitate, incorruptibilitate, vigore maximo, celeritate, subtilitate, & acumine velut spirituali, nec-non splendore solis æmulo. Nihil, nosse, sensus singulos ibidem perfectissimis obiectis detinendos esse; oculos, aspectu specioſi forma præ filiis hominum, lilij inter spinas exorti, totque sanctorũ, qui tot flores sunt, quibus sanctus ille locus refertur, rapiendos esse; atque perpetuo lumine ac die, cui nox nunquam succedet, potituros: aures, suauissimo illo concentu demulcendas, quem, in [l] Apocalypsi, præ cæteris dilectus Apostolus delineauit, quemque Angelorum chorus, omniumque beatorũ spirituum

cœtus, diuinas laudes iugiter pſallentium, edit; nares, implendas gratiſſimis Paradiſi odoramentis, vel (vt ſponſæ, in Cantico, verbis vtamur) optimis ſponſi vnguentis; guſtus, ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius, quo potantur beati, inebriandos, iuxtà Pſalmographum; tactus, felici complemento donandos, perceptione compoſiti ex qualitatibus ad iuſtiſſimum & conuenientiſſimum temperamentum redactis. Nihil, concipere, nos ſocietati ſanctorum atque Angelorum communicaturos: pacem habituros, quæ nullatenùs turbari poterit: quietem ſine labore, lætitiam ſine triſtitia, denique omnia bona ſine vllo malo.

Sed totum, certiores factos eſſe, nos, non per ſpeculum & in ænigmate, ſed facie ad faciem Deum viſuros: intuituros eum, ſicuti eſt in ſe per eſſentiam vel natũrã, non ſicut apparet per effectus duntaxat: conſpecturos, ſine formidine vlla amittendæ eiuſmodi beatificæ viſionis, & ſine vllo futuro faſtidio vel nauſea, licèt idem ſemper, iuge atque æternum nobis permanere debeat obiectum.

Totum etiam eſt, ſcire nos dilecturos

8- c

eum ſpontaneè ac neceſſariò, non tamen coactè: ſpontaneè, quia vltrò diuinum illud obiectum proſequemur: neceſſariò tamen, quòd illius infinita perfectio, clarè ſe contemplantes, ad ſui amorem pelliciat. Atque pluſquam totum eſt, probè intelligere nos ſpectaturos eum, ſimul & amaturos. Deum intueri in æternùm, & eius pariter ardere charitate, tanto obiecto, omnibus & totis viribus, immobilitùs adhærere, ſtatus ſanè tam fœlix, quàm extrà naturalem creaturæ captum, inuenitur.

Si quis roget, in quo ſita ſit glorioſa illa viſio, de qua loquimur: quid ſit Deũ videre facie ad faciem, ſicuti eſt, quemadmodùm in cœlo beatos illum inſpecturos eſſe ſcriptura teſtatur: ſi prodigium illud, prima fronte, videri impoſſibile aſſeueret, quòd Deus infinitus exiſtat, omnis autem facultas noſtra atque vis, ità finita, vt illius comparatione pro nihilo debeat reputari: cùm reſponderimus cuique oportere ſatis eſſe, noſſe ſimpliciter & abſolutè, ità futurum, quamuis modus fortè lateat: dicam, nos non ſolùm Deum viſuros per viſum corporeum, in ſplendoribus & gloria Sancto-

rum, quibus, in ſublimiorem multò intelligentiam illius inuiſibilis, eleuabimur, quàm ſit parta, per ea quæ facta ſunt, in orbe hoc inferiori: non ſolùm conſpecturos eum in fulgore gloriæ ſanctiſſimæ humanitatis filij Dei, in qua cùm inhabitet (vt ſcripturæ verbis vtar) omnis plenitudo diuinitatis illa in oculos noſtros corporeos lucem adeò viuidam atque vehementem vibrabit, vt eam ſuſtinere non poſſent, niſi Author diuini illius obiecti, ad ferendũ ipſiuſmet ſplendorem, ſpeciale quoddam auxilium ſuppeditaret: At lumine gloriæ, qualitate ſupernaturali mentibus noſtris manu Dei affixa illuſtratis ac corroboratis, & aliàs Dei ipſius eſſentia illis tunc vnienda, ſpecierum intellectilium (quibus hîc ad conceptus formandos, notitiamque vtimur) vices, ac munus ſubeunte, potenter adiutis, fore, vt efficacia ſeu virtus eſſentiæ illius infinita, in nobis & nobiſcum cognitionem & viſionem Dei productura ſit, ſic ſuperantem omnes, quas hîc de illo habere poſſumus, vt hæ nulla ratione cum illa poſſint comparari.

Ea viſione tam ineffabili, quàm ineffabilis eſt natura ſui obiecti, non modò

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Deum esse, perfectionesque, quas in eo deprehendit discursus, illum habere intelligemus: (quia quatenùs Creatori, quicquid boni in creaturis est, in summo non dicam gradu, sed perfectione illi inesse debet, vt potentia, sapientia, bonitas, prouidentia, iustitia, atque misericordia:) sed attributa diuina, secundum perfectionum suarum latitudinem infinitatemque, sine vlla ad creaturas reflexione conspiciemus.

Prætereà, etiam perspecta habebimus alia attributa, quę per respectum ad creaturas, vis intellectiua penetrare non potest: sed quæ per oppositionem ad illarum defectus intelligit: perspecta, inquam, non ampliùs per oppositionem illam, verùm per seipsa, & qualia in se sunt. Hîc per oppositionem ad defectum, quem ex compositione habent creaturæ, Dei simplicitatem inferimus: eius immutabilitatem, per oppositionem ad defectum, quæ reperitur in earum mutabilitate: Eius æternitatem permanentem & indiuisibilem, per contrarietatem contrà successionem continuam temporis, cuius partes nunquam simul sunt, & breuitas est tanta, vt ortus eius

Digitized by Google

& interitus res eadem prorſus habeantur: Eius immenſitatem, ratione cuius, intùs & extrà vniuerſum, vbique ſit præſens, per pugnam quam habet cum limitato & determinato loco cuiuſlibet creaturæ: Eius intelligentiæ perfectionem, qua vnico intuitu omnia conſpicit, per repugnantiam cum imperfectione intelligentiæ creaturarũ, quæ non niſi diuerſis actibus res intuentur, prout hæ viciſſim ac ſucceſſiuè occurrunt: motus ordinatiſſimos voluntatis eius, qui omnes ſine alteratione vlla aut mutatione fiunt, per contrarietatem cum ſolitis inordinatis noſtris, qui ſingulis nos variant & alterant momentis, aliquando tam furioſos in iræ paſſionibus nos reddentes, quàm in timoris affectionibus aliàs puſillanimes: & æquè in amoribus ſceleſtos ac in odiis rationis exortes. At tunc perfectiones illæ mentibus obijcientur tales, quales in ſeipſis exiſtunt, & ſine oppoſitione ad imperfectiones rerum creatarum.

Inſuper adorandæ Trinitatis ineffabile myſterium videbimus, diuerſo planè modo ab eo, quo, ſub cælo nobis idipſum repræſentare poſſumus per vmbras fidei,

quæ docens quod eſt : quomodò, nequaquam exprimit. Eſſentiam vnam in tribus perſonis euidenter penetrabimus : concipiemus , qua ratione Pater vnus gignit filium vnum, conſubſtantialem & coæternum : & quemadmodum Pater & Filius producunt Amorem vnum ſubſtantialem , tertiam perſonam eiuſdem naturæ cum duabus aliis.

In hoc ſæculo, de illis diſſerimus,ſicut paruuli de iis loquuntur , quorum naturam penitùs ignorant : ſed tunc virtute luminis glorię illa detegemus, atque ipſâ eſſentiâ illius , qui tantæ gloriæ cauſa æquè ac obiectum eſt.

Pleraque myſteria alia , in his inferioribus nobis ignota , manifeſtabuntur in Paradiſo : non tanquam pars obiecti noſtrę beatitudinis eſſentialis: ſed tanquam effectus , qui naturæ captum omninò fugientes,ſine lumine ſupernaturali cognoſci minimè poſſunt , à Deo nobis conferendo , vt felicitas noſtra quemadmodùm eſſentialiter, ſic accidentaliter compleatur.

Myſteria illa erunt Incarnatio Verbi Dei , & ab ea dependentia : Reſurrectio, Euchariſtia , Iuſtificatio peccatoris , & ſimilia :

Digitized by Google

ſimilia: quæ licèt omnia ad ſalutem noſtram neceſſaria fuerint (poſita ordinatione diuinæ Prouidentiæ, cui ità placuit) tamen venire nequeunt in partem noſtræ beatitudinis eſſentialis, cuius obiectum abſolutè neceſſarium eſſe debet: cùm illa myſteria, quandoquidem à Deo potuerunt non ordinari, abſoluta neceſſitate carere ſit certum.

Arcana mille æternę Prouidentiæ, quæ nos latuerunt, tunc aperientur: ac potiſſimùm ea comprehendemus omnia, quæ quodammodò ad nos ſpectantia, nouum aliquem gradum beatitudinis poterunt noſtræ felicitati ſuperaddere.

In illa eſſentia diuina, velut in tabula compendioſa, nobis apparebunt quæcunque aliquandò bona geſſerimus, & cuncta, quorum cauſa fuerimus, vel anſa. Diſtinguemus omnes pias motiones & auxilia gratiæ ſingula, quibus fuerimus cooperati: imò etiam illa omnia quæ contempſerimus, & quæ præ noſtra duritie, priuata fuerint effectu, ad quem erant deſtinata.

Bona, ſumma nos replebunt lætitia, quòd per ea Deo placuerimus. Mala prętérita idem præſtabunt, ratione actæ de

illis pœnitentiæ, ac debiti obſequij, quo erga ineffabilem bonitatem, quæ nos ab iiſdem abſoluerit, deuinciemur. Denique cœleſtia mirabilia, atque inania terreſtria, mentis oculis adeò perfectè penetrabimus, vt beatitudine illa eſſentiali, per contemplationem ſeu aſpectum ęternæ, perennis, nec-non incorruptibilis vnius Dei ſubſtantiæ & exiſtentiæ, ac per amorem quo eum proſequemur, donatos, nulla caducarum rerum notitia poſſit feliciores reddere, vel deliciis maioribus cumulare.

En quod, per fragilitatem propriam, de ſubiecto viribus noſtris nimis impari, concipere ac eniti licet. Ad plura, me beatum eſſe oporteret.

° Textus ſacer, docens nec aurem audire, nec in cor hominis aſcendere poſſe mira gloriæ, quam præparauit Deus electis ſuis, mentiretur & falleret, ſi illa concipi valerent, exprimi ac notificari. In his, cæcitas noſtra nobis chara eſſe debet, expectantibus lumen illud incomprehenſibile ac ineffabile, quod ortum in immenſo die Æternitatis, veritates manifeſtabit, quas nunc imaginari non poſſumus. Interim fidei luminibus innixi

iamiam ardenter eum diligere tenemur, cuius cognitio & amor noſtram in æternùm peragent felicitatem.

[a] Iob. c. 7. v. 7. [b] Pſal. 143. v. 4.

[c] Iacob. epiſt. cathol. c. 4. v. 13. & 14.

[d] Iſaiæ c. 40. v. 6.

[e] Tom. 8 in Pſal. 38. pag. 120. col. 1. litt. C. impreſſ. anni 1616. in fol. vbi.

Antè, inquit, abeunt penè quàm veniant, & cum venerint, ſtare non poſſunt. Iungunt ſe, ſequuntur ſe, & non ſe tenent. Nihil de præterito reuocatur, quod futurum eſt tranſiturum expectatur: nondum habetur dum non venit, non tenetur dum venerit.

Item in Pſal. 89. pag. 357. col. 1. litt. B.

Antequam veniant, adhuc non ſunt; cum venerint, iam non erunt: non enim vt adſint, veniunt, ſed vt non ſint, &c.

[f] Lib. Iob. varijs in locis, & aliæ ſcript. ſanct. paſſim.

[g] 2 ad Cor. 4. verſ. 17.

[h] Tom. 5. de Ciuit. Dei lib. 14 c. 25 vbi ſub finem ſic concludit.

Porrò ſi tantum amatur (vita beata, ſupple) *quantum amari digna eſt*, (non enim beatus eſt, à quo ipſa beata vita non amatur, vt digna eſt) *fieri non poteſt, vt eam qui ſic amat, non æternam velit. Tunc igi-*

turbeata erit, quando erit æterna.

[i] In Psal. 90. Qui habitat. serm. 17. paulo post initium fol. 132. litt. L. vbi sic ait.

Habetis nunc quidem fructum vestrum in sanctificationem (inquit D. Paulus,) finem verò vitam æternam. Ipsa est quæ hoc loco promittitur plenitudo, ipsa longitudo dierum, quid enim tam longum, quàm quod æternum est? Quid tam longum, quàm quod nullo fine præciditur: bonus finis vtta æterna; bonus finis qui finem non habet.

[k] Tom. 9. pag. 339. in Manuali c. 14. sub finem. Litt. C. vt his terminis refert qui illud compegit.

Excedit enim omnem sensum humanæ mentis tuum decus &c. tua gloria &c. Et tua charitas. Sicut inæstimabilis est tuæ gloriæ splendor, ita ineffabilis est æternæ tuæ charitatis benignitas &c.

Item c. 17. litt. E. *Quid hac vita beatius vbi & immortalitatis munere vita iucunda; & pax cuncta & lætitia continet, tranquilla sum omnia &c. Cuncta consona, cuncta conuenientia &c. Superexcellens gloria erit, cum Deum videbimus in seipso, videbimus & habebimus in nobis, quem cernere finis non erit.*

Ex alijs D. Augustt. operibus cætera passim elicies.

[l] Apocalyp. c. 14. v. 2. ſequentibus, & cap. 15. v. 2. & alijs.
[m] Cantic 1. v. 2. [n] Pſal. 35. v. 9.
[o] 1. Ad Cor. 2. v. 9.

CAPVT III.

De inferno, & de pœnarum horrore, quæ ibi tolerantur.

SI bonorum, quæ nobis in cœlo repoſita ſunt, copia atque excellentia non poſſunt nos commouere ; nonne malorum peccatis noſtris debitorum quantitas innumerabilis & nullis terminis exprimenda grauitas, nec non eorumdem diuturnitas interminabilis illud exequetur ? Nonne etiam reatibus noſtris inferna mereri formidabimus? Cùm afflictiones ſpiritus, quas in eiuſmodi ſtatu patiuntur animæ, mente reuoluo, ita ex his contremiſcunt viſcera mea, atque exhorrent, vt hinc iſtarum infelicium tormenta qualia ſint, aliquatenùs imaginari mihi concedatur.

Quantùm dolebunt, pro caducæ huius vitæ voluptate leui, ſummi æternique boni iacturam feciſſe ! quibus compun-

gentur doloribus, quod in miſeriarum barathrum nullis vnqnam terminis finiendum, ſe peſſumdederint, ob delectationem ità vanam & tranſitoriam, vt vix dici poſſit cœpiſſe, cùm perit.

Futuros in hoc ſtatu miſero cùm intueor, mihi audire videor rugitus Eſaïi, plangentis amiſſam pro paucâ lente primogeniti dignitatem ac iura; "Regem illum, qui pro aquæ calice priuatus ſceptro ac diademate, etiam præ dolore detrimenti huius maximi, mente ac vitâ penè orbatus eſt; mœrorem Ionathæ, cùm ſe à proprio parente capite damnatum diſcit, ob guttulam mellis vnicam in ſummitate virgæ deguſtatam; deſperationem, in quam incidit Michàs, cùm Deos quos ſibi finxerat, ablatos furto cognoſcit. Quo furore rapiendi ſunt, qui pro nihilo, primogenita, pro deliciarum mundanarum guttulâ, coronam ſe amiſiſſe videbunt ac perpendent, morte ſe damnatos, quòd extremâ linguæ cuſpide, huius vitæ falſas ſuauitates attigerint, deſtitutos eſſe ſe, non Dijs quos formauêre ſibi; ſed illo qui eos creauit, & quem nemo furatus eſt aut tulit ab illis, at quo ipſi carere voluerunt.

Sicut ſcelus eorum exprimi non poterit, ſic dolor; dabitur quippe is vt vindex delictorum. Tortores alios à ſe crudeliores non ſortientur; pugnabunt inter ſe deſideria eorum: Dei præſentiam ad naturæ propriæ conſeruationem optabunt; abſentiam autem, ad eius flagella vitanda: Illum cogentur amare, vt Authorem naturæ ſuæ, atque odio eundem proſequentur, vt iniquitatum ſuarum ſeuerum vindicem; ac ſic quòd in eum rebellârint, in ſemet armatos ſeſe reperiẽt.

Imò quæ propter Dei offenſam in purgatorio futuræ ſunt animæ, quamquam aliàs ſecuræ de miſericordia Dei, cruciabuntur etiam modo terrifico. Vtræque conformes erunt in eo, quòd diris conſcientiæ morſibus continuè lacerabuntur, qui tamen ex longè diſſitis motiuis ſeu rationibus prouenient.

Si ex illis quæ charitate præditæ, hinc Deum cum amore contemplentur, qui tum per pœnas iuſtæ illius vindictæ, quas perſentient, tùm per gratias de eius bonitatis abyſſo ſuſceptas, quarum habitibus potientur, illis præſens erit; ſi peccatorum ſuorum recordatione, verè de illis conterantur; ſi etiam futuræ felici-

tatis notitiâ, in illius poſſeſſionem ſanctâ quâdam impatientiâ ferantur? triſtitia de non ſemper dilecto illo Deo, à quo ſumma beneficia cum piâ quâdam inquietudine expectabunt, ſic eas anget, vt ſi immortales non eſſent, interirent ex dolore concepto de ſceleribus commiſſis in eum, cui obſequium omne deberi manifeſtè videbunt atque inauditis cruciabuntur modis intelligentes ſe à tantâ felicitate, quanta eſt, ad quam ex bonitate Dei nimiâ ſcient ſe peruenturas, ſuâ culpâ dilatas fuiſſe nec non elongatas.

At tantùm abeſt, vt damnati vexentur ex reſpectu vllo dilectionis Dei; quin potius odio ferentur in eum furioſo, & illum ſemper deteſtabuntur tantò execrabiliùs, quantò iuſtiùs grauiſſimã eius manum in æternum experientur. Vice doloris de peccatis ſuis, quo percellentur animæ purgatorij, infelices illi ſpiritus dolebunt, quòd magis offendere nequeant ſummam hanc bonitatem, cui ne reconciliari poſſent, malitia eorum fecerit. Vice ſpei, quæ erit alimento cuipiam animabus purgatorij, deſperationis rabies, ſingulis momentis, Orci carceribus

incluſos confundet, qui planè ſcient malitiæ ſuæ pertinaciam, eos hunc in ſtatum demerſiſſe, quem mutari impoſſibile eſt.

Infortunatæ eiuſmodi creaturæ non modo pœnas dabunt tot tantaſque ſpirituales; verum etiam exteriores, quibus mulctabuntur, omnem vincent imaginationem.

Scriptura & Patres, quocunque modo eas exaggerent, verborum penuriâ laborant, efficacium ſatis, ad genuinam illarum expreſſionem.

Calor, frigus, & cæteræ qualitates omnes illis aduerſæ, de quibus in hoc mundo delicias captârint, conſurgent vnanimiter in has miſeras.

D. [6] Auguſtinus, cuius ingenij vis ac puritas in omnibus emicant, hac in re coruſcare illis non minimè tribuit.

Inferni pœnas accuratè enumerat, illaſque omnes tam corporeas quàm ſpirituales ad nouem præcipuas reducit.

1. Ad ignem, qui ardet nec lucet, & quem totum mare extinguere non poſſet.

2. Ad frigus, quod mons igneus nequiret calefacere.

3. Ad vermem conſcientiæ, qui nun-

quam moritur, & cuius morſus ſuperant morſus ſerpentum & draconum exiſtentium in hoc lamentationis habitaculo.

4. Ad fœtorem teterrimum in nullo conuenientem cum cæteris omnibus huius mundi.

5. Ad flagella & virgas tortorum, qui ſicut abſque ceſſatione, ſic ſine fatigatione cædunt.

6. Ad denſitatem tenebrarum, quas diſſipari impoſſibile eſt, & quæ percutiunt cæcitate, quotquot eas tolerant.

7. Ad confuſionem & ignominiam quibus ſuffundentur damnati, cùm viderint facinorum ſuorum infamiam, omnium creaturarum conſpectibus ſic expoſitam, vt nullatenùs ea valeant occultare.

8. Ad timorem, imò ad notitiam vehementię ſuppliciorum ſuorum, quorum horror, ex conſortium diris clamoribus, quos vitare non poterunt, nec pati ſine deſperatione, ingens capiet incrementum.

9. Tandem ad æternitatem miſeriarum, cui, ignis ac ferri catenis mille aſtricti tenentur.

Sanctus Gregorius inferni pœnas

ſimiliter enumerat,& in hoc ſequitur veſtigia D. Auguſtini, qui ibidem infelicitatis eiuſmodi miſerorum exaggerationi inſiſtens, oſtendit eorum cruciatus ſuis criminibus æquandos eſſe. Illi, inquit, ignem patientur, qui ſe concupiſcentiæ flammis tradiderint. Illi frigus rigidum, qui in Deum, & proximos ſuos fuerint tepidi. Illi, vermium, ſerpentium & draconum corroſione tabeſcent, qui hîc inuidiâ conſumpti. Fœtor ſuffocabit alios qui in turpium viciorum cœno iacere, in delicijs habuerint. Pudore autem peribunt, momentis ſingulis, quos ipſe, à peccatorum ſuorum ſincerâ confeſſione atque integrâ, continuerit. Omnes cæcâ caligine circumuoluentur, quòd in peccatorum tenebris voluerint vitam ducere; Denique catenis onuſti cernentur, quia in viciorum vinculis omnes ex hac vitâ migrauerint.

Cruces illæ ſic horrendæ ſunt, vt vix credi poſſent, ni ſacræ paginæ de illis apertè, vt agunt, loquerentur.

Si ad veritates ità conterrentes, obturent aures impij, quòd mens eorum non ſit perſpicax ſatis, vt concipere valeat, quânam ratione materiales qualitates

in ſubſtantias merè ſpirituales agere, atque vim ſuam in illis imprimere poſſint? ſufficeret eiuſmodi hominibus reſpondere, ſicut nullus Chriſtianus rectè gloriari poteſt myſteria Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Verbi Diuini ſe comprehendere, quamquam de illis nemo talis ambigit: Ità in præſenti materiâ, quod eorum captum excedit illos credere debere, cùm illud doceant ſcripturæ atque Eccleſia.

At obſecro præterea hominis eiuſmodi, vt intelligant Deum, ad effectus vltrâ naturæ vires, creaturas eleuandi, habere poteſtatem: quali vſus eſt, cùm ab aquis Mara, ligno, quod in eaſdem proijcere, Moyſi præcepit, abſtulit amaritudinem: lignum illud ex ſe talem effectum, ad quem erat deſtinatum, producere minimè valebat; ſed hanc vim, per eleuationem virtutis ſuæ naturalis, à Deo factam tunc conſecutum eſt.

Simile quid, & ad propoſitum aptius, videtur in baptiſmo: in eo quod aqua materialis quæ ex ſe maculas corporis duntaxat abſtergere poteſt, & qualitates materiales, humiditatem ac frigus procreare, Dei potentiâ ità extollitur, vt

gratiam iuſtificantem pariat, qualitatem ſpiritualem peccati expungentem maculas, quæ cùm in animâ reſideant, eiuſdem etiam naturæ cum eâ exiſtunt, id eſt ſpiritualis.

Sic ignis, qui ad corpora tantùm comburenda naturaliter comparatus eſt, & ad ſuſcitandas qualitates corporeas, calorem & ſiccitatem: eadem Omnipotentis (qui creaturâ ſuâ vti valet ad libitum,) virtute eleuatus apud inferos, & in purgatorio, qualitatem ſpiritualem progenerat æquè aduerſam ſpiritibus & ſæuam, ac gratia illis grata & ſuauis eſt.

Hoc eſt quod vult ſublimis Doctor D. Auguſtinus, cùm in ſpiritus ignem agere aſſerit veris ſimul & miris modis. Quod etiam volunt plerique alij Patres, quando tradunt agentium materialium effectum, licet naturâ differant, à ſubſtantijs ſpiritualibus, ab ijſdem tamen ſubſtantijs recipi. Si quis dixerit, in baptiſmo gratiam non produci virtute aquæ, ſed diuinâ, ad præſentiam aquæ, & ſic non ſequi quod intendimus. Reſpondeo, quod ſi velit Deum producere gratiam in baptiſmo ad præſentiam aquæ, aquâ non eleuatâ à ſuo Creatore, vt actionem

vllam ad talem effectum habeat, facillimum erit mihi concedere, Deum similiter agere quantùm ad tormenta, quæ ab igne Dæmones patiuntur, & ab alijs agentibus materialibus. In hoc enim nihil fidei contrarium, licet ſententiæ communiori maioris numeri Theologorum aduerſetur, qui volunt tùm aquam in baptiſmo Phyſicè concurrere ad productionem gratiæ, tùm ignem infernalem ſimiliter ſe habere ad efficientiam tormentorum ac pœnarum Dæmonum & damnatarum animarum.

Si alij, cùm ex iudiciis diuinis emendari deberent, contra deinceps illa audeant cenſurâ digna affirmare, eadem arbitrantes ſeuera nimiũ quòd pro peccato momentaneo pœnis æternis addicant, non erit mihi difficile hanc diuinam Iuſtitiam æquam oſtendere, ſi dixerim illam non tam attendere culparum diuturnitatem, quam pondus; quod ex dignitate Diuinitatis offenſæ, menſuram trahit, quæ diuinitas, cùm infinita ſit, etiam infinitam reparationem poſtulat, quoad durationem; cùm homo, cuius exiſtentia certis limitibus clauditur, alterius infinitatis pœnarum ca-

pax minimè reperiatur.

Si deinde cum SS, [f] Gregorio & [g] Bernardo ſubiungam, cùm homo nunquam damnetur niſi ob peccatum finale, iuſtũ eſſe eum pœnis æternis puniri: peccatum enim in quo decedit, teſtatur eum in illo ſemper voluiſſe perſeuare, cùm vſque in finem iſtud hominem illum comitetur. Si denique addam cum eodẽ ſancto [g] Gregorio, damnatis exiſtentibus in perpetuâ voluntate Deum offendendi, in vindictam Iuſtitiæ, quam in eos æquiſſimè exercet, rectum eſſe vt Deus habeat perennem eos corripiendi voluntatem, in vindictam peccati, in quo deliteſcunt; obturabo ora eorum, aut ſaltem implebo mentes confuſione, ſi amodò, quam ad peccatum habent, procliuitas atque adhęſio, obloqui eos faciant ac contrà conſcientiam agere.

¶ Lyſimachum, *Qui nè cum toto exercitu ſiti periret apud Thraces Getaſque, vt ſe ſuoſque hoſti Dromichæti Regi ſubmiſiſſet, aquæ ſubfrigidæ hauſto alice exclamans ait. Dij! Quanta felicitate pro voluptate breuiſſimâ, ex Rege ſeruus factus, careo.*

Refert Plutarch. lib. de tuenda bona valetud. circa primam & tertiam lib. par-

tem, & lib. de dictis notab. Reg. principum &c. seu in apophtegmatibus.

[b] Tom. 3. lib. de spiritu & anima c. 56. pag. 370. litt. H. Impress. Colon. Agripp. 1616. Vbi ad hanc accedit enumerationem his verbis *Ibi erit tortor cædens, vermis corrodens, ignis consumens, peccata detegentur &c. Et hoc totum perenne &c. Pœna cæcitatis intùs obscurabit. Videbunt autem teterrima monstra dæmonum & larvales facies eorum. Videbunt etiam tormenta inferni, & in tormentis sequaces suos &c. Quatenus illorum interitus eos in augmentum suæ damnationis affligant &c. Quapropter miseris mors est sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia & mors semper vivet, & finis semper incipiet, & defectus deficere nesciet.*

Vide si cætera colligere poteris ex dictis tom. 4. lib. de salutaribus documentis cap. 49. pag. 100. Item tom. 5. lib. 21. de Ciuit. Dei. ar. 1. cap. 11. inclusiuè ? & maximè cc. 9. & 10.

[c] In cap. 10. Iob. lib. 9. c. 39. penè per totum, vbi enumerationem eiusmodi partim confusè, partim distinctè complectitur, cum ait. *Gehenna quamuis cunctis una sit, non tamen cunctos una eademque qualitate succendit.* [Et sub finem] *Tunc edax*

flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit : tunc infinitè patens inferni barathrum deuorat, quos nunc inanis elatio exaltat, atque qui quolibet ex vitio hîc voluntatem calidi persuasoris expleuerunt, tunc cum duce suo reprobi ad tormenta perueniunt.

Vide dialog. lib. 4. c. 43. si quid expressiùs ac distinctiùs præsenti enumerationi respondeat ; & alibi.

[d] Exod. 15. v. 25.

[e] Tom. 5. lib. 21. de Ciuit. cap. 10. *Cur enim non dicamus (inquit) quamuis miris, tamen veris modis etiam spiritus corporeos posse pœna corporalis ignis affligi &c.* [Et post pauca] *Adhærebunt ergò, si eis nulla sunt corpora, spiritus dæmonum, imò spiritus dæmones, licèt incorporei, corporeis ignibus cruciandi : non vt ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum iunctura inspirentur & animalia fiant quæ constent spiritu & corpore : sed vt dixi, miris & ineffabilibus modis adhærendo accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.*

[f] Gregorius Magnus lib. 4. dialog. c. 44. vbi sic respondet colloquenti de peccatorum æterno supplicio..

Ostendunt quia in peccato semper viuere

cupiunt : qui nunquam desinunt peccare dum vivunt. Ad magnam ergò iustitiam iudicantis pertinet, vt nunquam careant supplicio, qui in hac vitâ numquam carere voluerunt peccato.

S. Bernardus lib. 5. de consider. ad Eugenium Papam ferm. 12. penè per totum. *Voluntas damnata, in æternum non obtinebit quod vult ; & quod non vult, in æternum nihilominùs sustinebit. Dignè omninò, vt qui ad nihil vnquam afficitur quod deceat, ad nihil vnquam quod libeat, euadat.*

Vide cætera ibidem fol. 214. Impress. Paris. 1572. ab initio ad finem. Vbi suprà.

CAPVT. IV.

De facilitate ad salutem consequendam, & de difficultate ad incurrendam damnationem.

MIHI quosdam spiritus audire videor existimantes se solidiores cæteris, quia vel arrogantiores sunt aut sensus magis expertes ; qui affirmant ad Paradisum consequendum ità impensè la-

borandum esse, ad perditionem verò incurrendam, tantam reperiri voluptatem, vt penè impossibile sit euitare posteriorem, & ad priorem peruenire.

Illos rogo primùm, si (magnanimi cùm sint & sese tales profiteantur) non pudeat eos salutem suam contemnere, quia difficilis adeptione est? & ad perditionem currere quoniam via ad eam est facilis.

Secundò eisdem dico tantùm facilitatis & delectationis inueniri in acquirendâ salute, quantum difficultatis & laboris in damnatione obeundâ. Deliciæ peccari valdè fallaces sunt, quandoquidem pœnæ eas nunquam non sequuntur, quarum pœnarum aculeis deliciarum illarum perimuntur oblectamenta.

Idcircò [a] Sapientia in peccatorum personis exclamat; [Lassati sumus in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles] Item, Ieremias [b] Propheta ait [Scito & vide quia malum & amarum est dereliquisse te Dominum Deum tuum] Prætereâ Rex sanctus Dauid [c] sic ingemiscit [Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.]

Denique eam ob rem præclarus Sanctus

[d] Auguſtinus ſic Deum alloqui pellicitur [Voluiſti Domine, & ita eſt, vt omnis inordinatus animus ſibi ipſi pœna ſit.]

Plerique Patres pari vtentes diſcurſu, hoc volunt, quòd iniuſtitia peccati ſaltem id iuſtum habeat vt nunquam ſe ferat impunitam, & propriæ malitiæ vindex ipſa ſit. Et quidem in peccatum non eſt carnifex qui ſæuiat magis, quàm ſyndæreſis, ſeu dolor, quem in animo illius qui ipſum admiſerit, relinquit.

Statim interempto fratre, Caïn, imaginatione ſuâ ſibi millia millium hominum ſupereſſe fingente & ſuadente (quãuis tunc vnius duntaxât mentionem ſcripturæ faciant, qui pater iſtius Caïn exiſtens, nunquam opus ſuum deſtruere, in animum inducere potuiſſet) [e] exclamat, omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.

Textus [f] ſacer de peccatore loquens, non abs re aſſerit iſtud [Sonitus terroris ſemper in auribus illius; & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur &c. circumſpectans vndique gladium.]

Sed & qui ſolo lumine, quod natura infidelibus concedere ſolet, potiti fuêre; conſcientiam malam, (etiam in ſecuritate

& aduerſi nihil imminente) nunquam ſecuram eſſe deprehenderunt.

Si verum ſit, ambulantem in tenebris, aut cæcum, cùm etiam iter planum ac peruium eſt, in conficiendo illo & ſequendo, pluſquàm exprimi poteſt, laborare; conceptu facile eſt, in viis peccati, quod nos excæcat penitùs, ſentes & ſpinas tantùm calcari.

Quod ſi obijciat quis, viam quæ ducit ad perditionem, communiter ſpatioſam & tritam depingi; arctam autem & aſperam, quæ ad vitam tendit; diſcat primam ideò ſolùm latam haberi, quia multi per eam gradiuntur, atque illis tãtummodò videri facilem, qui ſpinas & tribulos, quibus paſſim abundat, non aduertunt, quòd fuſcâ peccati vittâ oculi eorum occludantur. Diſcat, alteram non dici arctam, niſi quia ſoli electi, pauci numero, per eam pergunt; & aſperam ac difficilem non exiſtimari, niſi ob mortificariones & dura ſimilia, quæ talem illam effingunt ijs, qui hanc non ſequuntur. At verò etiam diſcat, cruces ferendas ad comparandã beatitudinem, totvnctionibus ſanctis illitas eſſe, quot amaritudinibus delectationesde peccatis induũtur.

Noui paſſim in ſcripturis haberi, difficilem eſſe ingreſſum in regnum cælorum: ſed iſtud non obeſt facilitati quam conſtituo, cùm ſacræ eiuſmodi paginæ non alteri difficultatem aſſignent, quàm imbecillium animarum ignauiæ, quas vitium originale debilitauit, & peccatorum habitus improbi ſimul eneruauêre; non autem generoſis ſatis, ad dirumpenda vincula, quæ cæteros innectunt.

Cæterùm, non deffendo abſolutè, viam ad cælum, roſis refertam eſſe. Puderet maximè ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum; ſed contendo duntaxat, & ità ſe res habet, difficultates, quas in ſuæ ſalutis itineribus obuias reperiunt animæ iuſtæ, non venire illis æquandas, quas iniuſtæ, in ſuæ perditionis viis.

Si concilia praua, in ſemitis peccati ſuſcepta, intentum non ſortiantur effectum, quòd à deſiderato ſucceſſu ſicut à ratione defecerit quis, triſtitiâ perimitur; ſi verò ſortiantur, cùm ex ſe fatiget ſenſualitas, hæc in animo figit aculeum & linquit, quòd Deo defuerit, ſeu fidelis minimè fuerit, ob delectationem, quæ magis faſtidium generat & eum prouocat ad nauſeam, quàm reficiat. Et contrà,

ſi quod ceſſerit feliciter, aggreſſa fuerit anima pietati debita, gaudio exitus boni perfruitur ; & ſi non cedat proſperè, illi perinde eſt, quia nullum non mouit lapidem, vt ad finem optimum perueniret.

Nihil importunius vitio, illo maximè, quod ſenſum libidinibus adhærere facit. Cùm deliciis ſuis nouum fomitem ſemper ſubminiſtrare minimè poſſit, illicò fit graue; & iure maximo, cùm eos qui felicitatem ſuam in iſto reperire arbitrabantur, conſumat.

Idem non eſt de virtute ſentiendum; Amor & timor (qui veluti duces duo sũt, qui in itineribus eius dirigũt animas) id efficiunt, vt qui eorum vexilla ſequuntur, in pœnis ſuauitates inueniant, atque immobili quiete potiantur.

Qui Deum amando, ſolum illum timet, cuncta irridet aduerſa huius mundi; & qui aliud à Deo aut veretur aut diligit, quamcumque fortunam obtineat arridentem, in eà minimè quietus permanere poteſt, cùm eius euerſionem formidare debeat, quantumlibèt ſatagat effugere.

Eſtnè qui ignoret optimum eſſe ſerui-

re Domino, qui etiam cùm irâ magis efferbuerit, tum ignoſcit; eſſe verò periculoſum ei adhærere, cui iſi animo nihil aliud eſt, quàm ſuos omnibus bonis euertere?

Maximæ vitij cuiuſlibet voluptati ſua pœna iũgitur comes. Hominibus expertis, illam ſtatim euaneſcere, eiuſque durationem momento menſurari; momentum illud, cruces ſunt & ſupplicia; quibus contrà, virtutis labores, deliciæ, aſpicientibus in remunerationem felicitatis æternæ, quâ beandi ſunt.

Fieri-nè poteſt, vt quis ſciat Ieſum Chriſtum beatos pronunciaſſe, qui pro eius amore perſecutionem paſſi fuerint, atque illis regnum cælorum promiſiſſe, & crucem eius non deſiderent? erit-nè compertum alicui, Deum timentibus certiſſimam eſſe repoſitam mercedem; eorum exitum felicem, & repletum benedictionibus; miſericordiam, in illos, ſuauiores conſolationes ſuas nunquàm non effundere; Et ſe non ſubdet voluntatibus & conſilijs eius, qui ſub amoris & timoris ſui legibus degentes, tot beneficiis afficit?

Eiuſmodi rectè perpenſa generoſum

in

in passione [h] Machabæum confirmabant, cùm proferret sequentia [Tu quidem, scelestissime, in præsenti vitâ nos perdis; sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.] Tot sanctorum exempla, qui omne delectamentum suauitatis in cruce reperêrunt, qualis & quanta sit eius dulcedo, oculos aperientibus experiri concedunt.

Qui Deum diligit, in aduersitatibus pro eius charitate tolerandis, pacem seu quietem reperit. Porrò si verum sit, secundùm communiorem Theologorum sententiam, quòd vnus & idem habitus sint charitas & gratia; & qualitas, quæ respectu subjecti, quod Deo gratum reddit, gratia nuncupatur, charitas sit ratione objecti (nempe Dei) quod diligit super omnia; proculdubiò, quibuscunque prematur angustiis, qui Deum amore prosequitur, non est sine pace & sine tranquillitate, cùm non sit sine gratiâ; tũ quia gratia, iuxtà Diuum Paulum, pacis & tranquillitatis societate iugiter gaudet.

Vulgò dicitur, & ità est, amanti nihil difficile; propriâque experientiâ nemo non nouit, aut amatum non esse graue;

aut saltem amari labores toleratos, in illo amando.

Vndè infero, si salutem nostram diligamus, pœnas omnes, pro illâ obtinendâ subeundas nobis futuras dulces; ineuitabiles autem omnibus qui pereunt, non nisi amarissimas esse posse, quandoquidem nemo satis amens & hebes, vt ruinam suam omnimodam & æternam amore complectatur.

[a] Sap. c. 5. v. 7. [b] Ierem. 2. v. 19.
[c] Psal. 37. v. 5.
[d] Tom. 1. lib. 1. Confess. cap. 12. vbi sic habet. *Iussisti enim & sic est, vt pœna sua sibi sit omnis ordinatus animus.*
[e] Genes. 4. v. 14. [f] Iob. 15. v. 21.
[g] Matth. 7. v. 14. [h]. 2. Machabæ. 7. v. 9.

CAPVT V.

Ad mouendas animas, vt fructum debitum ex suprà pensitatis excerpant.

SI verè à Deo simus ex nihilo formati, charactere suæ diuinitatis insigniti, vt

illo fruamur in æternum manu ſuâ producti in lucem, atque eius ſanguine, quò hæredes ſuæ gloriæ nos perficeret, redempti. Si certum ſit totum vitæ huius curriculum momento menſurari, cùm alterius æternitati comparatur; & ex illo momento noſtram felicitatem aut in felicitatem æternam pendêre. Si conſtet Paradiſi felicitatem nec-non æternitatem nos ad cœlos vocare: Inferni horrorem durationemque nos ab omni, quod in illum præcipitat, deterrere debere: virtutis delicias, eiuſdem laboribus eſſe maiores, atque vitij pœnas, eius ſuauitates vincere: ratio dicere cogit, quod abſque horrore & lachrymis cogitare nequeo, nimirùm nos centies grauiores inferno dolores vel ſupplicia mereri, ſi nonobſtante tantâ illâ mediorum varietate, per refertum ſpinis iter, ad damnationem curramus, cùm per plenas floribus vias ad ſalutem peruenire poſſemus.

Materia iſta tanti momenti eſt, vt battologiam contemnendo, meipſum interrogem, oporteat, an proprij commodi cura, quam gerimus in præſenti, eandem pro futuro negligere penitùs, poterit permittere? Delicati quemadmodùm ſu-

mus in ijs quæ ad corpus ſpectant, in his quæ ad animam, erimus-ne ſtupidi? mala vitæ huius cùm non valeamus ſuſtinere, alterius ſupplicia, quæ incurrere poſſumus, credemus-nè meliùs ferre nos poſſe? Si quod momentaneum & leue tanti æſtimemus, quod æternum eſt, flocci-pendemus? Quid? Inuenientur homines perditis moribus ſatis, atque ſceleſti, qui tùm naturæ tùm gratiæ vim inferant, vitam æternam & beatam neglectui habentes, vt foueant temporalem ac miſeram? Exponere ſe morti ſempiternæ, & vitam pariter æternam nihil ducere nemo poteſt, quin rationi ſimul ſummam inurat iniuriam.

Si ad præſentia duntaxàt Deus nos plaſmauit, de futuris poſteà, minimè cogitare, fas eſt; At verò, ſi ad ea tantùm quæ poſt hanc vitam ſequentur, nos creauit, quantorum rei ſcelerum reddemur, ſi, quæ huius vitæ ſunt, ſic amplectamur, vt debitum melioris ſtudium omninò deſeramus? Si mors terribilium terribiliſſimum; vita autem, quod magis ac meliùs afficit & delectat, demẽtes eos eſſe oportet, qui ad beatitudinem cæleſtem, quæ mortem prorſùs excludit, & vitam inclu-

dit æternam, non anhelant.

Affectus carnis, & mundi, in quo orimur, ſolùm, vt occidamus, à nobis ſemper abijciendus eſt. Locus eius debetur Amori ſpiritus atque cælorum, cùm in illis non viuiſcamus, niſi vt nunquàm moriamur.

Cæterùm ſi verùm ſit, hominem, nullum non ſubiturum laborem, vt hîc vitam, omnibus, quibus ſcatet ſtatus eius miſer, ærumnis expeditam ducat; Ità-nè ille infelix erit aut nequam, vt, quod cupit, reſpuat, cùm id habere poſſit tam tenui pretio, vt in comparando eiuſmodi, pauper æquet facultates diuitis, quandoquidem ad id, tantùm opus eſt ſeipſum conferre.

Si porrò certum, vt vita prolixior ſit, licèt calamitoſa, hominem perpetuò laborare; cur vt bona ſit non ſtudet, ſic breuitatem eius fugiendi medium certiſſimum conſecuturus, quatenùs eius bonitati æternitas felix & glorioſa ſemper ſuccedit.

Si vitam amore proſequamur, quæ terminis careat, inueſtiganda eſt. Stultum eam diligere, & eius adeptioni non incumbere. Stultum, in hoc orbe inferiori,

vbi nuſquàm eſt, eam quærere: & eius fruitionem, in ſuperiori, in quo duntaxàt reperitur, mereri negligere.

Cum IESVS ad nos deſcenderit, vt illam nobis daret, rationi magis conſentaneum eſt, vt eandem in eo inueniendi gratiâ, viciſſim ad ipſum aſcendamus. Supra modum nitendum eſt, quò terram promiſſionis fructuoſam atque vberem, nobis in cœlo conſtitutam ingrediamur. Cùm quodlibet ſuopte pondere in finem vltimum feratur, ſummæ beatitudinis ſuæ intuitu animæ noſtræ, vt quę ad illam comparandam neceſſaria ſunt, gnauiter exequantur, debent perſuaderi.

A ratione alienari nimis oporteret, vt non moueremur niſi ſenſibilibus, & ea deſpiceremus bona, quæ illa probat multò meliora his, quæ magis arridēt, quia præſentia ſunt, & blandiuntur concupiſcentiæ.

Ac inde credere velim, eos qui prima hæc quinque capita perlegentes, ſe quorundam quæ in illis tractauimus, meditationi dederint, non modicum ex eis fructum profectumque collecturos, & tantùm propriæ ſalutis ſtudioſos fore, quantùm, qui ſatiandis libidinibus vacant,

acres sunt ad propriam ruinam.

At mihi audire videor quosdam ex ijs, qui, hac tempestate, singularis ingenij rumusculos aucupantur, non alio titulo, quàm insolentiæ, quâ primarias & certissimas veritates se minimè credere profitentur, qui aiunt, datis argumentorum meorum principijs, conclusiones esse necessarias aut infallibiles.

Posito quòd Deus sit, eorum neminem negare posse, illum obligare ad virtutem sectandam, & vitium fugiendum: item esse beneficum, & delictorum iustum vindicem; cùm constet independentem naturam, à quâ cæteræ dependeant, esse non posse, quæ simpliciter & absolutè perfecta nequaquam existat; & siquidem Deus est eiusmodi, iustus est, ac proinde bonorum remunerator, censor verò malorum & correptor.

Hanc consequentiam nimis euidenter probat ratio; sacræ paginæ genuinè nimis astruunt; populorum etiam omnium consensus vnanimis, Patrum testimonio cunctis in sæculis firmatus, confirmat definitè nimis, vt vllus hac in re sit relictus ambigendi locus.

Sed egregia illa ingenia, cùm quæ ex

tam recto certoque discursu eruitur, illationem negare non possint, & necessitatem videant suæ libertati impositam ex obligatione ad compositos mores (quod declinare nequeunt, si Diuinitatis assertores maneant atque immortalitatis rationalis animæ) vt ab illa necessitate se expediant, coguntur in controuersiam reuocare existentiam Authoris suarum immortalitatis animarum, & effrænatè atque impudenter negare duo illa præcipua fidei axiomata.

Cæcitatem hominum eiusmodi non mirari impossibile est, & eorum ignorantiâ aut malitiâ non moueri. Inde cor meum sic vulneratum fateor, quòd emissis ad Deum supplicibus votis, vt eorum oculos aperire, & cordis duritiem emollire dignetur; etiam obtester eundem submissè, vt nisi sanctis inspirationibus, quas illis daturus est vt eum agnoscant, acquiescere velint, ad hoc nefarios adigat pœnis iustis eorum superbiæ ac temeritati debitis, hîc dando istis robur sui brachij fortissimum experiri.

Interim, vt mala illa extrema ab eis tentem auertere, duobus vltimis capitibus, ad hoc, sub finem libri huius expressè an-

nectendis, polliceor, me illis perſpicuè demõſtraturum vtriuſque maximæ Chriſtianæ ſupradictæ veritatem, quæ illos latere minimè poteſt, niſi malitia peior dæmoniacâ, eorum oculos contra ſolem occludat.

CAPVT VI.

In quo conſiſtat perfectio Chriſtiani, & de medijs efficacibus quibus comparari poſsit.

NON absre, qui de Chriſtiani ſpirituali diſciplinâ vel inſtitutione, ad ſuum finem vltimum per excellentiores vias aſſequendum, ſeripſêre, vitæ eius ſtatum triplicem diſtinguunt, cum reuerà tres gradus inueniantur, quibus ad perfectionem aſcendere debet.

Primus eſt vitæ purgatiuæ, qui (propriè loquendo) nihil aliud eſt, quam diligens ſtudium, ſeu vehemens & aſſidua occupatio animi Chriſtiani ad detergenda atque fugienda peccata, nec non ad Dei ſui gratiam acquirendam.

Secundus, est vitæ illuminatiuæ, qui consistit in curâ singulari, quâ Christianus sedulo, se sensuum retibus ac inuolucris expedire laborat, ita vt mens eius mysteria suę salutis interiori oratione valeat clariùs contemplari. Vnde contingit ampliori lumine irradiatam eius voluntatem, ardentiùs amplecti objectum sibi ab intellectu propositum, ac tanto cũ feruore virtutibus exercendis incumbere, vt earũ habitus consequatur, quivitiosos, quos ille contraxerat, euertentes, & passionum peruersarumque procliuitatum suarum dominum eum constituentes, sic, ab eius corde peccati radices extirpant, & ad perficiendas Dei voluntates ei concedunt facilitatem.

Tertius, est vitæ vnitiuæ, qui idem est ac animi Christiani, ab omni peccatorum labe mundati per purgatiuam, illuminati & feruentis per illuminatiuam, continua attẽtio & applicatio valida, ad hoc, vt charitate perfectâ Deo cohæreat. Quod illũ ità cum ipso Deo voluntate conjunctũ reddit, vtoblitus sui prorsùs, nihil deinceps velit, nisi quod Deus vult, & eâ tantùm ratione, quia in hoc est voluntas Dei.

Quòd Christiani perfectio in hoc præ-

eisè sita sit; idiotis & sapientibus demonstrat argumentum sequens. Nemo Christianus tam rudis, qui se hac luce frui, ex merâ Creatoris sui liberalitate ac beneplacito, non nôrit. Nemo item talis, qui nesciat se existentiam à Deo suam accepisse, non aliam ob causam, quàm vt illâ ad præstitutos in bonum suum ab eo fines vtatur; atque ideò nemo mentis compos, qui lumine naturali non videat nil meliùs se operari posse, quàm intentionem, cuius gratiâ Deo placuit illum hunc in mundum edere, sequi; suamque perfectionem in eo esse, vt eius voluntatibus, totis viribus se-se conformet.

In hoc stat vera vita prædestinatorum; Etiam Dei filius, ad suam Diuinam alimentum alterum non habet; nec quicquam nos facit esse ità feliciter proximos Deo, ac sacris eius voluntatibus humiliter subdi. Sic frater, soror, & mater Iesu, vt ipsemet [b] asseruit euadimus.

Cùm Deus sit perfectus, vt reuerà, & omnis defectus expers, sole clariùs est eius decreta cuiuslibet perfectionis normam esse debere. Nec posse nos suis numeris absoluti aliquid habere in hoc vel in altero sæculo, nisi completis eius edi-

ctis, in quem incompleta seu imperfecta non cadunt.

Tres illæ vitæ species, tres fines diuersi (qui tamen in vnum coëunt, quatenùs subordinantur sibi inuicem) sortiuntur.

Primus intendit Christianum ab omnibus peccati maculis emundare, & in sui conditoris gratiâ eum constituere.

Secundus, Mysteria salutis plenius perspicerevt eò maiori charitate illa complectatur; atque virtutum habitibus, vitia radicitùs extirpare.

Tertius, voluntatis conformitate vnum cum Deo esse, volendo quicquid vult & nihil aliud.

Tres illæ simul & singulæ species voluntatem Diuinam tanquam suum finem vltimum respiciunt; sed postrema absolutè illi se-se conformat, eò facilius, quòd duæ priores felici huic vnioni illam coaptarunt, vnà in-quantùm à peccato non purgat, nisi quia ità Deo placet; altera, in quantùm meditationi, & de Mysterijs fidei fructuum collectioni, nos nequaquam addixit, nisi quia illi placendi verum medium est.

Vita purgatiua, ad quam per motiones

gratiæ noſmetipſos præparauimus, primũ peccati odium, vitiorũque execrationem præbet; ac prætereà ad virtutem diſponit, cuius affectum, effectumque ità accendit illuminatiua, vt frequenti exercitatione virtutum, oppoſitarum defectibus iam à nobis abjectis, magnam nobis facilitatem ad imitandas Ieſu Chriſti Domini noſtri veræ, à nobis ducendæ vitæ, Regulæ, perfectiones acquirat.

Sic primus labor noſter cædit & deijcit arborem eius vitij, cui renunciamus; ſed quia, vt curſim nimis actum, manet imperfectum hoc opus, quòd ſtirpes deiectæ arboris adhuc terræ firmiter hæreant; Chriſtianus nouam ſibi curam indicit reperit, quâ nouas in vita illuminatiuâ vires quærit, vt etiam truncum cum radicibus euellat ac diſſipet. A quo poſteà cupiens, conatu tertio, aliam excitare arborem, eique incrementum ac celſitudinem tribuere, ſic ſuæ voluntatem Diuinam perfectè inſerit, & inſertam fouet & ſeruat inuiolabiliter vinculis charitatis genuinæ, ac perpetuis virtutum obſequijs, vt dignos cauſæ ſuæ, nimirùm Diuinæ voluntatis fructus emittat.

Cùm vita ſua Chriſtiano videtur perfe-

ctior, tùm illi curæ esse debet, si non peccata, saltem peccati semina, nec non humorem quemdam illorum fertilem, singulis adhærentem hominibus, à se repellere.

Vita eius, conflictus cum hoste continuus, iugis actio ab omni otio, verâ vitiorum origine, remota; sollicitudo nunquam interrupta, & quæ in illo rationis imperium stabilire, passionum verò tyrannidem, in nos per Adæ peccatum introductam, destruere indesinenter contendat, esse debet.

Pugnare opus illi est, nunc prouocando, vel aggrediendo, nunc tuendo se, vel aduersos impetus eludendo, vt mala, quæ aliàs contingere possent, anteuertat; firma sibi constituendo præsidia contra sæculi vanitates, carnis insultus, dæmonis improbitates & astutias. Vno verbo, operari semper, quietis in vitâ Christianâ vnicum medium est, & qui ibi perfectione otiosâ quiescit, statim ad arma recurrendi, occurrere sibi necessitatem videbit, non vt hostium tentatæ irruptioni repugnet, sed vt illos expellat à locis, quæ, dum otio indulgeret, occupauerint.

En paucis, quæ ad vitæ spiritualis con-

ſideratione m ſeu theoriam ſpectant definitionem eius, diuiſionem in tres ſpecies illarum differentias, fines varios, qui in vnum tamen coincidunt, inquantùm ad diuinarum voluntatum expletionem ſinguli proficiſcuntur atque pertingunt.

Huiuſmodi trium viuendi rationum perfectio, difficillimam illius adeptionem fortè ſuadebit; attamen ſi attendatur quatuor mediis nos ad hunc finem deduci poſſe, oppoſitum ſentiemus.

Duo priora ſunt Amor Dei & eius præſentia: duo poſteriora, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentorum repetitio frequens.

Amor Dei & eius præſentia duo omnium validiſſima ſunt motiua, quibus homo ferri poſſit ad eluendam conſcientiam à peccati maculis. Ab his Pœnitentiæ Sacramentum omninò eum abluit, & in iſtâ felici puritate conſtitutum cuſtodit Euchariſtiæ vſus non rarus. Idem Amor qui ſuprà eademque præſentia, cognoſcendi mirabilia Dei, nec non myſteria eius actione mentis puriſſimâ, appetitum ingerunt. Dein illis motiuis incaleſcimus ad ardentiùs ſolito proſequendam amore, ſummam bonitatem; quod tandem ad

insistendum virtutum officijs & actibus mouet, ad quæ nihil magis ac firmiùs obligat, quàm crebra duorum eiusmodi Sacramentorum susceptio, quæ nouas homini gratias velut immulgendo, nouas eidem vires addunt, (cum dignè talibus Sacramentis vtitur) ad fines tantæ pietatis.

Idem amor eademque præsentia sic nos placendi Deo studiosos efficiunt, vt perfectam denique cum eo, propter eum ipsum voluntatis cõformitatem obtineamus : Nec media reperiuntur æque efficacia, vt eiusmodi boni ineffabilis possessores perseueremus, ac sæpiùs iterata participatio Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, quorum vnum primam gratiam confert, aut corroborat, cùm eâ inuentâ, collationi minimè locus est : alterum, semper eiusdem augmẽtum præstat, & sic tantam virtutem adijcit, vt hostes non occurrant, qui viribus æquis polleant, vt superare possint, si vtroque illo semper munitos auxilio nos reperiant.

Demùm concludamus, charitatem erga Deum, conspectumque eius præsentiæ, duo esse media ad finem propositũ adeò infallibilia, vt vi quâdam cõgruâ homini,

illum penè cogant ad ea, quæ liberè debet producere ; cùm certum ſit, quod qui iuxtà legem ſibi inditam Deum diliget, nullo, eius obſequetur placitis negotio, & qui eundem in conſpectu ſuo ſemper habuerit, vix edicta illius ſibi nota audebit infringere.

Veritates eiuſmodi ſenſum communem feriunt. Perfectè amare aliquem, & eius mandata violare, inter ſe pugnant ; Et ſi conſtet, eum qui ſiſtit coràm Principe de habitu ſuo exteriori iudicandi capaci, totum, vt illi ſit gratus, attendere, & aptare ſeſe; haud facilè intelligemus nos in conſpectu Dei, qui animorum arcana etiam ſecretiora perſpicaciùs ſcrutatur & videt, quam Reges, noſtrorum colores vultuum, quin mentis cogitationes intimas, cum eius decretis ac legibus componamus.

Reliquum eſt, vt motiua quæ nos ad Deum ex toto corde diligendum, & in mente ſemper habendum præſentem, prouocent, quæramus, æquè efficacia, ac eius amor & præſentia, vtilia & infallibilia ſunt media, quibus ad voluntatum illius obſeruantiam erigamur.

[a] Vide quę ad c. 6. diximus in prologo.

[b] Matth. 12. v. 50.

CAPVT VII.

De Mediis excitandi ſe ad dilectionem Dei.

VT amori diuino, conceptum ortumque, ac in dies incrementum maius in anima noſtra, tribuamus, quinque nobis ſæpè conſideranda ſunt, & vt memoriæ atque animo ſemper obuerſentur, in conſuetudinem deducendum.

Primum, beneficia communia, quæ genus humanum à Deo Creatore ſuo & Redemptore ſuſcepit. Secundum, beneficia ſingularia & gratiæ particulares, quas ſinguli in indiuiduo accipiunt. Tertium, bona, quibus haud dubiè cumulabimur ab eo, ſi fideliter ipſum dilexerimus. Quartum, mala, quæ declinare non poſſumus, ſi Deo defuerimus in charitate. Quintum, perfectiones infinitæ quæ in Deo vt Deo exiſtunt, quæ dilectionem hominum abſolutè merentur.

Si mente reuoluamus eum omni prorſùs lege ſolutum, liberrimè nos hunc in

mundum edidiſſe; naturam quæ nobis ab eo data fuerat, innocentem aliquando extitiſſe ac beatam; vt in illâ beatitudine in æternùm permaneremus, nobis gratiam ſufficientem contuliſſe; cùm eum offenderimus, noluiſſe nos perdere, quamuis potuiſſet, imò debuiſſet, ſi egiſſet ex iuſtitiæ legibus; contrà verò redimere nos voluiſſe: hoc, ſolo nutu voluntatis, aut ſolo valuiſſe verbo, quemadmodùm vniuerſi procreationem attigit; nihilominùs per incarnationem ſuam varijs Amoris eius affectibus refertam, quibus millies ac millies ſibi noſtrum obſtrinxit, hanc nobis gratiam procurare decreuiſſe; noſtra-nè pectora, corda atque affectus ei poterimus denegare?

Si denuò conſideremus, quòd naturam humanam induiſſe, pretium noſtræ ſalutis æquum iuſtoque ſuperabat plurimùm; cùm operationum eius minima infinita exiſtens, plus æquo, peccati demeritis ſatisfacere ſufficeret; ſed id non fuiſſe ſatis amori eius ergà nos, propter quem, non ſolum omnia naturæ humanæ incommoda ſuſtinere voluit: verùm etiam mortem, atque mortem dedecore, ignominiâ ac crudelitate plenam; nonnè omnem

φιλαυτίαν ſeu amorem proprium à nobis ablegabimus, vt vnicè diligamus eum, qui nos præamare cupiens, omnibus Majeſtatis & gloriæ ſuæ iuribus & titulis renunciauit.

Si præteteà aduertamus bonitatem eius pietatemque tantas ergà nos fuiſſe, vt cum ad eiuſdem vitæ mortalis terminos duntaxàt extendere ſe potuiſſent, vltrà valde ſuos protenderint; quatenùs gratijs quas ſui ſanguinis merito, nobis moriendo comparauerat, abuſuros cùm proſpiceret, ſuſceptoque baptiſmo, per quẽ illud nobis applicatur meritum, in culpam relapſuros, variis tamen nos ad reſurgendum ſubſidijs inſtruxit.

Si attendamus, quòd cùm ad recuperandam eius gratiam, veram contritionem nobis præcipere, & à nobis exigere potuiſſet; ſciens tamen animas paucas tantæ virtutis fore, quæ hac ratione tale beneficium aſſequerentur, defectus earum ſupplere voluerit per confeſſionem, quæ poſt dolorem, licèt imperfectum, quem de peccato quilibet concipit, nihilominùs mundat abſolutione ſacerdotali ſuſceptâ, & in conſpectu eius reddit immaculatum.

Si rursùs meditemur eum instituisse prætereà alia Sacramenta omnia, vt nos gratiâ suâ firmaret; maximè verò Eucharistiæ, quod non modò animas corroborat, sed & corpora, nè pondere suo aggrauent mentes, quæ in eum semper sublimes abire debent; nulli Christiani degunt, qui se Dei sui amore acriter vulneratos non persentiant.

At si illi reuoluant animo gloriam, quam eis præparat in cælis, felicitatem Paradisi terrestris omninò excedere; & vbi gratuitò atque immeritis, hanc illis largitus erat; post peccatum in tantum benefactorem admissum, hoc munere ipsos donasse, vt suo concursu cùm filij eius precioso sanguine, eosdem cælestem illam commereri voluerit; non poterunt (nisi saxeo corde sint) non diffluere lachrymis & amore, in eum, qui tanto illos complexus est.

Præter hæc debita generalia, nemo est qui singularibus eximijs Deo suo non deuinciatur, ac proindè qui tali nixus fundamento non teneatur ergà eum amoris flammas in se suscitare. Hic desperatâ valetudine liberatus, ille à morte seruatus tùm cùm maximè periclitaretur,

vitâ priuatus gratiæ; alter, vbi omne auxilium humanum vanum & inutile illi apertè videbatur, à perſecutione & oppreſſione manifeſtâ exemptus. Tandem vix reperietur, qui non ex intimis ſe, gratiâ quâdam ſpeciali, Deo obligatum fateatur, cui nequit gratus eſſe ſatis, niſi ex amore: Itaque impoſſibile eſt cuicunque Chriſtiano, qui mentis oculos aperire voluerit, Deum ſuum non diligere, cùm ad hoc, æquè ſenſus ac mentis diſcurſus, illum promoueant.

Nullus ſcire poteſt, ſolam charitatis priuationem, tot tantiſque gratijs generalibus ac ſpecialibus acceptis indignum ſe poſſe reddere, quin ingrati animi actum affectumque fugere velit. Et non eſt anima, quæ probè nouerit, quòd, ſi Deum diligat, ſibi factum ſatis ille exiſtimet pro omnibus exhibitis beneficijs, quin ei debita omnia deſideret perſoluere.

Si ſpectetur Amor Dei nobis paradiſum collaturus, vbi delicijs omnibus affluentes & in mirabilia eius immerſi, laudes eiuſdem concelebrabimus; odiſſe ſe oportet, vt non diligat quis eum, qui nos tantâ bonorum copiâ cumulare appetit,

Digitized by Google

ſub ſolâ conditione redamandi.

Si perpendamus in æternum nos damnandos eſſe, ſi nobis charitas erga Deum deſit; & in eiuſmodi ſtatu miſero, à laudibus & benedictionibus, eius Majeſtati atque bonitati tribuendis arcendos ; etiam hîc, quaſi dæmones, in malo obſtinatos nos eſſe neceſſe eſt, aut certè ad diligendum eum, cuius amore, ab omnibus malis eximimur, totâ libertate quâ ſumus prædiți, contendendum.

Poſtremò, ſi abſolutam & infinitam Dei perfectionem rectè concipiam, cùm bonitatem eſſe amoris objectum ratio doceat: eius vſu penitùs interdici oporteret, vt illum qui bonitas ipſa eſt, amore non ſtringeremus.

Vno verbo perſtringo cætera, haud credo mentem in eiuſmodi cogitationibus exercitatam fore, quæ ſimul charitatis officijs non aſſuefiat, & tantis motiuis in ſe beatum illud non excitet incendium.

Hic Deum diliget, ne pœnas ſoluat, quã minimè diligendo: Et iſta dilectio in timorem abit. Interim ſi illa ſpecies amoris, legis Diuinæ producat obſeruantiam, etiam prodeſt ad ſalutem.

Alter Deum diliget, vt dignus ſit qui de largâ eius manu, bona ſuſcipiat, & amoris præmium mereatur ; atque iſta dilectio mercenaria eſt, ſi aliam quam Deum ipſum mercedem intendat ; & in amorem ſui vertitur, cùm amantis commodum finis illius ſit : Nihilominùs ſuo intento non cadit, nempè gloriâ æternâ, ſi, vt ad hanc perueniatur, in mandatorum executionem inducat.

Alius, Deum amabit in gratiarũ actionem pro acceptis ab eius bonitate beneficijs; amor autem iſte minùs imperfectus eſt, quàm duo priores : at in hoc deficit ſemper quòd mixtus probetur, quatenùs Deum intuetur homo propter hominem, id eſt ſeipſum : nihilominùs ad finem, quem ſibi proponit Chriſtianus, eum perducere non omittit, modò præcepta Dei impleat.

Iſte, Deum amabit non ſuppliciorum formidine, non ſpe mercedis, non præ gratijs acceptis, ſed planè & plenè, quòd cùm Deus ſit perfectiſſimus ac optimus, propriè loquendo, præter eum nihil amore dignum ſit : Ille, quicquid diuina lex præcipit, peragendo, non intuens quod ſic deuitat inferos, ſic paradiſum

diſum conſequitur, ſic beneficijs acceptis rependit vicem; ſed vt placeat Deo duntaxat, & eius voluntati morem gerat, quia illi ità lubet, ſupremum in terris homini poſſibilem amoris gradum aſcendit.

Ad hunc perfectionis apicem vltimum paucæ euadunt animæ; quæ tamen huiuſmodi gratiam adipiſcuntur, prægustant cœleſtem in terris beatitudinem, ac veram felicitatem anticipant.

Alij amoris gradus, licèt imperfecti; præterquàm quod ad ſalutem ſufficiunt, ad vitæ Chriſtianæ perfectionem ducere non deſinunt: quatenùs qui Deum amat ex timore, magis idoneus eſt vt diligat gratus, quàm qui nullo vnquam amore motus eſt; & qui eum diligit gratè, tum ratione accepti tùm ſpe accipiendi beneficij, dubio-procul aptior eſt ad eundem amandum ſincero infinitarum illius perfectionum intuitu, quàm quiin agnitionem meditationemque gratiarum, quas in genus humanum atque in ſeipſum effudit & effundere, valet, nunquam eſt ingreſſus.

Hîc aduertendum inueniri pleroſque qui niſi motu ſenſibili in Deum ferantur,

& eorum affectus in ſenſibus habeant radices, non exiſtimant ſe illum diligere. Sed errant : Amoris ſedes in voluntate habetur. Deum amant, qui volunt quod ille vult; ſi eorum ſenſus etiam concinant, feliciter : ſin minùs, amor ex eo fit excellentior; vnione voluntatis hinc manifeſtè fortiori euadente, quòd ſenſus ſuperet repugnantes.

Amoris ſpecies duas conſtituunt Theologi. Primam vocant intentionis, quæ propriè amor tenellus eſt, ſenſus afficiēs. Secunda, ad terminos eorum, dicitur & eſt amor appretiatiuus & præferentiæ, qui propriè rationis eſt, & cuius domina per gratiam voluntas noſtra; atque is eſt quem Deus ab homine poſtulat, & quo ſolo hic illi perfectè copulatur.

Quolibet motu rapiantur ſenſus; ad quodcumque obiectum feratur noſtra libido ; ſi voluntas illa vincat vt diuinæ iungatur, eamque compleat, vltimam hanc ſortitur amoris ſpeciem, quæ in præferendo Deum cuilibet alteri obiecto, & in æſtimando illum, atque ſuper omnia pretioſum ſeu chariſſimum habendo, conſiſtit.

CAPVT VIII.

De varijs Dei præsentijs ; & de modis ex illis proficiendi ad fines Christianæ perfectionis.

PRæsentiarum Dei duplex genus est, vna generalis, secundùm quam, eodem modo reperitur in omnibus creaturis ; altera specialis & particularis, virtute cuius non est in omnibus ; sed in quibusdam tantùm hominibus, per commercia singularia. Harum vtraque in tres diuersas species diuiditur.

Deus præsentiâ suâ generali omnibus adest per diffusionem essentiæ illimitatæ magnitudinis, per eminentiam scientiæ nihil nescientis ; & per efficaciam atque operationem potentiæ omnia producentis & conseruantis.

Anima in homine aliquatenùs est, quod Deus in mundo : operatur in corpore iuxtà extensionem illius, quemadmodùm Deus in hoc vniuerso. Illa non solum corpus ipsum animat per diffusionem suæ substantiæ, quæ in partibus sin-

gulis eius quod animat, præsens est: verumetiam illas omnes mente peruadit, & cum omnibus eius facultatibus, ad actuũ suorum exercitium suâ virtute concurrit.

Deus, præsentiâ suâ particulari atque speciali, est in iustis per gratiam, & in beatis per gloriam; in vtrisque, per charitatem suam. Præterea in mente plerorumque, humanitati nostræ quasi conjunctus est, tanquam viuendi norma, quam à vita Iesu Christi, atque exemplo, piæ animæ mutuantur.

Quod Deus vbique sit per diffusionem essentiæ suæ, patet; quia nisi esset infinitus, Deus non esset: & infinitus existens in extensione suâ, terminos magnitudinis habere non potest, nequidem ratione finium huius mundi. Vbique est, inquit D.[a] Augustinus, & vbique totus, per præsentiam potentiæ suæ, non absente naturâ eius siue essentiâ; deinde Deum alloquens, amatorijs his vtitur sermonibus in[b] soliloquijs. Sic immensitatem tuam debemus attendere, vt te in omnibus esse cogitemus non incluſum, ac extrà omnia non excluſum.

D.[c] Thomas eiusmodi veritatem docens, eandem mirifici roboris argumen-

to probat, in operationis Dei vniuerſalitate fundato.

Quod vt perfectè intelligatur, ſcire opus eſt omne agens altero horum modorum operari; aut præſentiâ ſubſtantiæ propriæ, aut medijs quibuſdam qualitatibus, quæ agentis præſentiæ (cum illud abeſt) vices gerunt.

Sol illuminat & calefacit, luce ſuâ & radiorum reflexione, loca in quibus non eſt. Ignis manum adurit, non tangat licèt, per interiacentia corpora calorem immittendo. Reges, quorum natura finita, prouincias à regni ſedibus longè remotas per Proreges moderantur. Verùm modus hic imperfectus eſt, naturæque finitionem ſupponit, quæ vbi nec eſſe nec agere per ſe valet, ſubrogat media ſubſidiaria. Dei autem operationes cùm imperfectionis capaces eſſe nequeant, ſicut nec eius exiſtentia, ille etiam nequit modo illo imperfecto agere. Itaque ſi vbique operetur, id per ſubſtantiæ propriæ præſentiam fiat, (qui modus agendi cæteros antecellit) neceſſarium eſt; proindeque certum atque euidēs, Deum eſſe vbique per ſuæ diffuſionem eſſentiæ.

Non cognoſcuntur ab hominibus ob-

iecta, niſi ſpecierum beneficio, quas ab illis ſenſus eorum exhauriunt: vnde ſequitur, quòd, cùm eorundem facultas limitata ſit, à rebus abſentibus ſpecies abſtrahere non poſſint, nec eodem inſtanti, cunctas præſentium, ab illis; quo fit, vt non tantùm non cernant omnia ſed etiam quæ intuentur, non niſi tractu temporis valeant diſcernere.

At Dei cognitio penitùs diuerſa eſt, videt non per ſpecies mutuatas à rebus, ſed per eſſentiam ſuam: vnde fit, vt vbique præſens ratione ſuæ infinitatis, non modò perſpiciat omnia; ſed illa ſimul, & ſemper, non tractim aut viciſſim intueatur.

Homines rerum ſuperficies duntaxàt percipiunt, & penetralia nequaquam poſſunt inſpicere, quia quod extrinſecum non eſt, nequit vllam ex ſe producere ſpeciem ſenſibilem. Senſa animi ac motus cordis illos latent, quòd non incurrant in ſenſus; iſta enim neque oculis colores, neque auribus ſoni, neque odores naribus ſunt. Deus autem interiora atque exteriora videt, & ſcrutatur conſilia cordium, quòd eius eſſentia in homine diffundatur, & omnium motionũ

noſtrarum non ſolùm ſit cauſa efficiens, ſed & exemplaris, & Idæa formas earum exhibens.

Quamuis in rerum naturâ non ſit quicquam, quod harum cognitionum differentię comparari queat, ex diuerſitate tamen intuitus hominum, eius conceptum facilem reddere poſſumus.

Principes duo, eodem inſtanti, è locis ſic diſtantibus & diſcrepantibus exercitum aliquem luſtrare poſſunt, vt eorum recognitio nil ſimile habitura ſit; Vnus in cacumine montis conſtitutus, totum vno obtutu conſpiciet; alter, in aperto campo, per partes duntaxàt, prout coràm eo milites traducentur. Sic Deus proſpiciens de ſummo atque ſuper omnia excelſo æternitatis ſuæ throno, vnico intuitu conſpicit vniuerſa, cùm homines hîc non videant quæ vident, niſi ſucceſſiuè, prout obuiant ſenſibus.

Infinitæ perfectioni Diuinæ, non ſufficit, eſſe vbique, & omnia perſpicere: porrò nihil in rerum naturâ exiſtere poteſt, quòd illum tanquam cauſam non reſpiciat, & quòd verè non ſit eius effectus. Operatur omnia in omnibus, inquit Apoſtolus; id eſt cauſa cauſarum eſt, &

non tantùm ſuâ virtute omnia creauit, ſed etiam omnium actiones ſuo concurſu comproducit ; Ità-vt quicquid illa operantur, ab illo pendeat, tanquam à cauſâ ſupremâ, primariâ, & vniuerſaliſſimâ; nec-non à creaturâ, tanquam à cauſâ dependente, ſecundâ, ac particulari.

Cùm ſolus agit ad intrà, naturæ ſuæ conformiter operatur : at cùm creaturis cooperatur, reſtringit potentiam, & præ bonitatis exceſſu, earum captui concurſum ſuum accommodat. Sic Pater gignit filium ſuum infinitum, & ambo ſpirant Spiritum ſanctum æquè infinitum ; vbi verò operatur ad extrà, Prophetam [c] Eliſæum agit, qui ad ſuſcitandum viduæ filium, mortuo incumbens incuruat ſe ſuper paruulum; & ad modum menſuramque eius abbreuiat ; ponit os ſuum ſuper os eius, cor ſuum ſuper cor eius, & pedes pedibus ſimiliter imponit.

Productiones Diuinæ ad intrà, infinitæ ſunt, non ſolùm quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad durationem : quas autem exequitur Deus cum homine, illæ ſic aliquando ſunt imperfectæ, ex imperfectione hominis, vt vltrà eſſe non poſſint ; atque ità fugaces, vt diuturni

nihil habeant. Cogitatio præterit ſimul ac aduenit; vocis tota ſubſiſtentia fluxus eius: initium & finis illius in eodem inſtanti.

Si vellet Deus, de tenuitate ſuâ poſſet hominem ſuſcitare, atque de infirmitate erigere ad actiones producendas ſe ſublimiores, magiſque virtuti eius infinitæ proportionatas, quàm naturæ propriæ exiſtentiæ limitibus: ſed attemperat ſe infirmitatibus noſtris, & cùm ducat & determinet nos ad opera gratiæ; ad naturæ opera, duci ſe ac determinari permittit.

Illa ipſa bonitas, quâ, vt aptet ſe humilitati noſtræ mouetur, mouet etiam nonnunquam eum, vt nos eleuet ſuprà nos, promouendo ad actiones, quæ licèt non ſint miracula, cùm eius potentiâ rerum maximarum capaci comparatæ; ſunt tamen, ſi infirmitatem noſtram naturalem attendamus.

Concluſionis gratiâ, quicquid agit homo, ſiue naturæ ſuæ viribus conforme, ſiue ſuprà vires eiuſmodi, abſque concurſu diuino, eorum nihil operatur; atque ideò cum in actione perenni, eius vita conſiſtat, liquet hanc vel vnico mo-

mento durare non posse, si non adsit, qui illi agendi facultatem confert, & cum eo cooperandi.

Ità neminem latere potest (nisi cæcitate nimiâ perculsum) Deum à se nunquã abesse. Nemo valet tam apertæ veritati non assentiri, absque infidelitate dignâ seueriſſimâ animaduersione. Illi autem assentiens, non vulgaris contemptus reus est, si ab animâ suâ minimè peccatum excludat, vt adeò mundum suo Creatori habitaculum exhibeat, quòd, simpliciter indignum eius Majestate, nequeat promulgari.

Diuina puritas cum vitiorum nostrorum fœditate non consentit. Non potest quisquam efficere, vt Deus absit ab eo, cùm necessariò adsit, & ex conditione naturæ suæ immutabilis; at à se potest peccatum expellere; atque ideò, nisi expellat, grandi se crimine obstringit.

Si intima nostra omnia, Dei oculis aperta sint, vsque adeò cæci erimus, vt committamus coràm eo, quod in conspectu mortalium, sine rubore maximo ac confusione non possumus?

Quia hominibus sumus ignoti, etiam Deo qui lustrat omnia, tales nos esse,

credere-nè poſſumus ? Dauid [f] tùm de culpis tantùm grauiſſimè dolebat, cùm eas ſe coràm Deo admiſiſſe recordabatur. Nouerat orbem totum, peccatorum ſuorum ſpectatorem ac teſtem ; verùm oculus Creatoris, dolorem excitabat.

Et verò quo rubore ſuffundi debet homo, ſi Deum ſe obligare intueatur ad concurſum actionum , quibus ſola ſua prauitas & malitia defectum inferunt atque labem ?

Deus per ſe cauſa eſt efficiens perfectiſſima , quæ non niſi reales effectus in nullo deficientes producere poteſt. Si ergò in operibus quæ ſimul à Deo & homine procedunt , defectus reperiatur ; authorem illius ſe homo agnoſcat, oportet , ſuamque imperfectionem , ipſum ſolum reddere cauſam deficientem.

Impoſſibile eſt Dei præſentiam intimè mentis impreſſam habere, & non execrari maximè peccatum. Hinc teneor ijs, qui ſingularem ſalutis curam agere cupiunt , conſulere , vt à tam vtili & ſalutifero conſpectu Dei numquam abſtrahantur.

Non intendo cogere, vt eiuſmodi beato aſpectui actu ſemper & ſenſu vacent ; pleroſque ſcrupulos inquietos animi

motus ac perturbationes id parere poſſet. Sat eſt in die pluries in eiuſmodi Dei præſentiâ ſe conſtituere, & nil admittere quod illam deſtruere poſſit; cùm certò conſtet illam cenſeri permanentem, donec actione contrariâ ei ceſſare dederimus. Melius eſt, ex decreto quodam generali interdiu aliquotiès repetito propter Deum iugiter laborare, quàm in continuâ ſuper ſe reflexione verſari.

Expedit magis, ſemper amare Deum, quàm perpetuò explorare, vtrum ametur. Et reuerà, ſine auxilio Diuino ſpecialiſſimo, Deum aſſiduè habere præſentem in mente atque phantaſiâ, experimento ſenſibili, impoſſibile eſt; & qui tale conſilium iniret, in viâ perfectionis regrederetur potiùs quàm progrederetur; occaſiones enim mille benè agendi amitteret, dum nimiùm attenderet ad media, quæ ſibi ad conſequendam vim ſic ſe habendi, proponeret. Nempè Dei præſentia nobis commendata à Sanctis, non tam intellectualis quàm affectuoſa cenſetur, quæ actibus comparatur varijs, quibus adeò frequenter Deo noſipſos conſecramus, vt in nobis eiuſmodi præſentiæ habitus oriatur & permaneat.

Tres illæ præſentiæ generales, ad amãdum Deum multùm obligant, & ad id non mediocre ſubſidium poſſunt conferre: ſi tamen quis attentè perpendat tres alias ſpeciales prætactas, hæ fructum omninò ſpecialem producent.

Veniet-nè in mentem, Deum non aliâ de cauſâ hominem creaſſe, quàm vt in eius animâ ſibi templum collocet; Naturam humanam non aſſumpſiſſe, niſi vt cicurem eum, & cordis illius ingreſſum, facilem ſibi redderet; cùm non recipitur in hac æde, propriâ manu delicijs ſuis extructâ perpetim ſtare ad oſtium eius & pulſare, vt ei aperiatur; venient, inquam, hæc in mentem, & de peccatis admiſſis vehementi contritione mota atque aperta charitate illi non erunt noſtra pectora?

Poterimus contemplari quantum bonum homini eſt, hîc Deum habere, eoque frui per gratiam, & in cælo per gloriam; atque indè nullatenùs excitari ad mores ità componendos, vt à tantâ felicitate, ad quam ſumus deſtinati, actibus noſtris non cadamus?

Non credo animas ſatis in malo obduratas inueniri, vt his ſpectatis non com-

moueantur. Imò mihi perſuaſum habeo illarum nullam ſibi exhibituram charitatem Dei erga hominem, tantam, vt eius naturam induere dignatus ſit quò tùm factis, tùm præceptis eum ad iuſtitiæ munera inſtitueret; quin ad illum in omnibus actionibus, pro ſuo captu, imitandum, ſe ſpecialiter ſentiat animatum.

Scriptura ac Patres ità manifeſtè prædicant eum eſſe nobis rectè viuendi exẽplar propoſitum. vt veritas tam euidens nequeat ignorari. Inter alios D. ℟. Auguſtinus probat illum non ſolùm eſſe nobis agendi regulam, ſed etiam ipſum ſolum, talem eſſe poſſe; Ratio eius æquè ſolida ac ſubtilis eſt; oportet, inquit, regulam eſſe viſibilem & infallibilem; viſibilem, vt innoteſcat, & eam ſequamur; infallibilem, vt qui ſequitur illam, ſit omnis erroris expers. Deus, vt Deus, infallibilis quidem exiſtit; ſed vt inuiſibilis, non eſt imitabilis; homo, viſibilis eſt, ſed nimiùm fallibilis, vt ſecurè eum imitemur. Igitur conditiones perfectæ Regulæ in ſolo Chriſto Ieſu reconduntur, cùm vt Deus, ſit infallibilis; at quatenùs homo, viſibilis.

Vnde quamuis Diuina lex fidelibus ſit

norma loquens ; viuentem ſenſibilem, præter verbum Dei hominem factum homines non poterant habere.

Poterimuſ-nè humilitatem ac patientiam in doloribus, reſignationem & obedientiam, charitatem cæteraſque virtutes eius mente reuoluere, & ad æmulandas vitæ & mortis eius actiones, ſingulari modo nequaquàm accendi? Non eſt quis ſic inimicus proprij commodi, vt ad hoc cum ardore minimè rapiatur, ſi meditetur emolumenta, quæ indè certum eſt ei prouenire poſſe.

Quæ verè piæ ſunt animæ, non ſolùm Redemptoris exemplum imitabuntur in iis quæ iam fecit : ſed in hoc certiſſimo fundatæ principio, quòd ille nullam potuerit actionem exercere non abſolutam omnibus ſuis numeris ; vt excitent ſe ad ſanctè puréque agendum, effingent in mente, quid in occaſionibus ſibi oblatis, ipſe fuiſſet operatus.

Pretioſum eſt prototypum, quòd noſtros antè oculos ſemper verſari debet. Hoc ſenſu, omnia in omnibus eſt : Ita quòd, iuxtà verba D.[h] Ambroſij, fruſtrà operam dat virtutibus comparandis, qui, alibi quàm in CHRISTO IESV, eaſ-

dem perueſtigat; cuius in Euangelio doctrina hæc eſt, ego ſum via, veritas,& vita. Ac ſi diceret (interpretatur D.[i] Auguſtinus); Quò properas? Ego ſum via. Cui vis credere? Ego ſum veritas. Cupis in æternum viuere? Ego ſum vita.

Quicumque eiuſmodi præſentiæ Chriſti Ieſu, tanquam Regulæ, ſtudio inhærebit aſſiduo, facilè gratiam conſequetur, & ſeruabit; quam, finem noſtrum principalem in terris,ac medium tandem adipiſcendi gloriam in cælis eſſe debere,certum eſt.

[a] Tom. 5. lib. 7. de ciuit. cap. 30. vbi ſic loquitur.

Deus vbique totus &c. implens cœlum & terram præſente potentiâ, non abſente naturâ.

[b] Vide tom. 1. ſoliloq. lib. 1. cap. 1. paulò vltrà medium cap. vbi his proxima iſta proteſtatur.

Deus ſub quo totum eſt, in quo totum eſt, cum quo totum eſt. [Immediatè poſt eiuſmodi] *Deus ſuprà quem nihil, extra quem nihil, ſine quo nihil eſt. Et*

Tom. 9. tract. 6. de ſpeculo cap. 33. ſuprà dictis adduntur ſequentia.

Deus *vltrà quem nihil, infrà quẽ nihil &c.*

Vide ſi quid expreſſius hîc vel alibi repereris.

[f] 1. Part. q. 8. art. 1. in corp. vbi ait. *Oportet omne agens coniungi ei in quod immediatè agit: & ſua virtute illud contingere, &c. ſed Deus cauſat eſſe omnium rerum non ſolùm quando incipiunt eſſe, verum & quamdiu conſeruantur in eo: & eſſe eſt intimum & profundiſſimũ omnium rerum. Vnde oportet quod Deus ſit in omnibus rebus & intimè. Vt ignis in ignitis, illuminans in illuminatis, eſſe increatum & per eſſentiam, in rebus creatis, & habentibus eſſe per aliud à ſe.*

[d] 1. Ad Cor. 12. v. 6.

[e] 4. Reg. 4. v. 34. [f] Pſal. 50. v. 6.

[g] Tom. 10. ſerm. 52. de diuerſis cap. 2. pag. 477. litt. H. vbi ſic ait.

Intuemini quàm magnum ſit hoc myſteriũ veritatis. Ad ſaluandos homines legem dederat, Prophetas miſerat: & quia ſanandis langoribus hæc remedia præceſſerunt, ipſum ſe ad ſalutem eorum offerre hominibus Deus voluit. Porrò homines Deum ipſum in ſua ſubſtantia videre non potuerunt: ſpem verò homines ſuam ponere in ſolo homine non debebant. Quid ergo hîc fieret? hominem ſequi non debebant, homo ſequendus non erat, qui videri poterat: Deus ſequendus erat, qui

videri non poterat. Vt ergò exhiberetur homini, & qui ab homine videretur, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.

[b] Lib. 3. de fide ad Gratianum Augustum cap. 4. tota ferè col. 1. capitis Vbi

Viæ Domini (inquit) *velut quidam tramites bonæ vitæ sunt, qui diriguntur à Christo, qui ait : Ego sum via, veritas & vita.* [*Et post pauca*] *Principium itaque nostræ virtutis est Christus, principium integritatis &c. principium parsimoniæ &c. principium patientiæ &c. principium humilitatis &c.*

[i] Colligitur ex tom 9. tract. 69 in Ioan. vbi ait.

Si eum sciebant Apostoli, & via ipse est, viam sciebant : si eum sciebant, & veritas ipse est, veritatem sciebant : si eum sciebant, & vita ipse est, vitam sciebant. [Et paulò post] *Sed via est quâ itur &c. veritas & vita quò itur. Ibat ergo ad seipsum per seipsum. Et nos &c.*

Digitized by Google

CAPVT IX.

De Sacramentis Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, quoad generalem conſiderationem.

COnſideranti hîc Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, quatenùs eorum vſus vtilis eſt & neceſſarius aſpirantibus ad vitæ Chriſtianæ perfectionem, duntaxàt; de pleriſque eorundem naturæ affectionibus, quæ magis ad ſcholam, quàm ad huius generis tractationem ſpectant, multa texere mihi non eſt opus. Hîc non ago cum dubitantibus de myſterijs fidei : ſed cum ijs qui indubitata illa omnia habentes, eorum fructus & emolumenta percipere deſiderant.

Horum igitur duorum Sacramentorum veritatis probationi nulli aſtrictus, poſſem animum explere meum, exponendo tùm vſus eorum excellentiam tùm debitam ad vtrumque diſpoſitionem, vt ex illis ſperandi fructus colligerentur.

Qui de fructu arboris alicuius edunt, quomodò proceſſerit, non tenentur intelligere. Satis illis eſt deguſtare eius

ſuauitatem, ipſumque agnoſcere ſalubrem.

Nihilominùs non omittam hîc obiter, inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ haberi in hoc D. [a] Ioannis textu [Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.

Delictorum confeſſio, & verba abſoluentis ſunt ſignum exterius & ſenſibile; omnibus Sacramentis neceſſarium; promiſſio verò gratiæ, ſine quâ nullum poteſt eſſe Sacramentum, continetur ijſdem verbis; [Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; cùm non remittantur peccata, niſi per gratiam.

Deinde dicam Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum inſtituere Sacramentum Euchariſtiæ, cùm apud ſanctos Matheũ, Marcum, Lucam, & Paulum, ait: [Accipite & manducate; hoc eſt corpus meũ.

Huius Sacramenti ſignum viſibile, panis & vini ſpecies ſunt, quatenùs operiunt corpus & ſanguinem Domini. Promiſſio autem gratiæ, patet in his verbis D. [c] Ioannis; [Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.] Exercitium manifeſtè cernitur in cœnâ factâ à Chri-

sto cum Apostolis, antequàm moreretur.

Sacramentum [d] Pœnitentiæ, existentibus in peccato mortali, præparatio requisita est ad Eucharistiam. Vt hoc filij Dei pretiosum corpus dignè suscipiatur, priùs (si isti culpæ lethali subjacere quis reperiatur) gratiam per pœnitentiam oportet esse consecutum. Atque ità vnum Sacramentorum eiusmodi, alterius dispositio est; Pœnitentiæ verò Sacramentum dispositionem non requirit aliam, præter eam quam in se reperit.

Ad Sacramentum pœnitentiæ dignè percipiendum, præter eius partes ritè ac rectè constitutas, quæ nos emundant à peccatis, & gratiâ iustificante effectu huius Sacramenti, & dispositione ad Eucharistiæ Sacramentum debitâ atque necessariâ donant, nil requiritur.

Priùs igitur quàm ostendamus quantas vtilitates habeat pœnitentiæ frequens vsus, partium eius naturas aptè exponere necesse est; cùm ex eiusmodi notitiâ pendeat, tùm finis propositus, tùm medium illum attingendi.

Pœnitentia tribus constat partibus, Contritione, Confessione, & Satisfactione. Harum anima contritio est; cha-

ritas autem, contritionis anima: quandoquidem ſine dilectione contritio nulla perfecta eſſe poteſt.

Quia verò Contritio terminus eſt generalis omnem complectens dolorem de peccatis, perfectum vel imperfectum; Primùm ſpecies eius ſingulas oportet intelligere, vt vitemus inſufficientem, & neceſſariam amplectamur.

[a] Ioan 20. v. 21. & 23.

[b] Matth. 26. v. 26. Marc. 14. v. 22. 23. & 24. Luc. 22. v 19. & 20. Paul. 1. ad Cor. 11. v. 24.

[c] Ioan. 6. v. 60.

[d] Vide quæ ad cap. 9. pag. 91. lin. 18. & 21. diximus in prologo.

CAPVT X.

De contritione & eius ſpeciebus diuerſis, inter quas attritio locum habet.

PErfecta contritio, Deum ſortitur obiectum vnicum, aut ſaltem præcipuum. Dolor eiuſmodi non eſt abſolutè neceſſarius ad obtinendam peccа-

torum remiſſionem in Sacramento pœnitentiæ; quia ex ſe illa remittit. Vnde fit, quòd, ſi ille fuiſſet neceſſarius, cùm ſit aliunde ſufficiens, credi poſſet Ieſus Chriſtus nõ inſtituturus fuiſſe hoc Sacramentum pro remiſſione peccati; cùm fruſtrà quæratur per plura, quod per vnicum mẽdium æquè aptum, poteſt comparari.

Alia datur contritio ſic imperfecta, vt aliud non reſpiciat quam hominis damnum temporale, qui amore ſui ità mouetur, vt illum offenſæ Diuinæ non pœniteat, niſi ratione detrimenti, quod hinc in hoc ſæculo experitur & timet. Dolor iſte non ſufficit ad obtinendam remiſſionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ, quia purè naturalis eſt; & tantùm abeſt, vt ſit à Spiritu ſancto, quòd ne fidem quidem ſupponat; cum ſic in pagano effectus Sacramentorum incapaci, ac in Chriſtiano valeat reperiri.

Tertia, attritio eſt, quæ media inter perfectiſſimam & inutilem, ea dicitur quæ neceſſaria, & quæ ſufficiens, ad obtinendam remiſſionem peccati in Sacramento Pœnitentiæ.

Dolor iſte concipi ſolet fomidine

gehennæ infernalis, priuationis gloriæ cæleſtis; nec non infamiæ ex peccato incurrendæ. Et licèt in tali caſu, motiuum principale hominis ſit eius incommodũ; Dei tamen dilectio ibidem includitur, quatenùs Dei inimicitia perpetua, inter æternitatis pœnas horrendas, locum habet, nec poſſumus Paradiſi priuationem metuere, quin Dei fruitionis amiſſionem, quæ beatorum operatur felicitatem, vereamur. Quod non modò Dei notitiam ſed etiam amorem præſupponit.

Talis dolor, imperfectioris aliquid habet, quatenùs hominis damnum præcipuè reſpicit; at etiam perfectionis nonnihil comprehendit, ſiquidem à mouente Spiritu ſancto eſt, in quantùm fidem donum eius ſupponit, atque actualibus illuſtrationibus, datis ad horrorem inferni & affectum æternæ felicitatis, exercetur.

Ille ſufficit, quoniam Sacramentum Pœnitentiæ, ad remiſſionem peccatorum per primam gratiam ſanctificantem conferendam inſtitutum, nequit hanc, quam ipſummet producere debet, neceſſariò præſupponere; ſed diſpoſitionem duntaxàt ad illam ſuſcipiendam, per

gratiæ

gratiæ actualis Spiritus-ſancti motionem ſimplicem, prout apertè docet Tridentina[a] Synodus.

Ille etiam neceſſarius eſt, quòd omnis alius ipſo inferior, merè ſit naturalis, & non à Spiritu-ſancto, fonte vnico totius ſanctificationis.

Eâ de re plura dicerem, niſi in ortâ nuper occaſione pleniſſimè tractauiſſem.

Dicam tamen diuiſionem hanc contritionum ſeu dolorum, ortum trahere à diuiſione amoris bipartiti. Alius eſt amor quo Deum propter ſe proſequimur, alius quo ipſum propter nos. Priori, bonitatem eius diligimus, poſteriori, bonum quod ab eo accipimus. Illo Deum, qui beat iuſtos, charitate complectimur; iſto verò, beatitudinem ipſam quam largitur Deus.

Primus perfectus eſt, & ad perfectionem ducit, tribuendo homini, vt hæc terrena non aſpiciat, niſi propter cæleſtia; creaturas niſi propter Creatorem; & ſeipſum minimè diligat, niſi propter Deum.

Secundus imperfectus eſt, quatenùs Creatorem ſpecialiter propter creaturam, & Deum amat propter vtilitatem, quam inde percipit: Quòd non tam

Deum, quàm ſeipſum diligere eſſe videtur.

Prioris, Contritio filia eſt ; attritio verò poſterioris. Sicut attritio amorem imperfectum habet Parentem, ita ipſa imperfecta eſt ; Et vt talis, ſola nequit peccatum expungere, nec animam Deo reconciliare; quia ad ſuum finem vltimum, nempè Deum, illam perfectè non reducit; Imò ſibi ipſi ſemper aliquatenùs eſſe patitur ad hærentem. Quò fit vt ſine actuali concurſu Sacramenti, efficaciam à ſanguine Chriſti-Ieſu mutuantis ad remittenda peccata, gratiam, ad culparum ſuarum remiſſionem, peccatori neceſſariam, producere non poſſit.

At contritio, quæ oritur ex perfecto amore, quo Deum propter Deum, nullâ habitâ ratione proprij commodi, vel incommodi, proſequimur ; eſt perfectus dolor, quo pœnitentes amauiſſe, quod Deus non amat, eo quod illud non amet, etiam eiuſdem propriâ vi, atque efficaciâ, à peccato liberamur, cùm peccatum, propriè loquendo, nil ſit aliud quàm indebita creaturis adhæſio ; Contritio verò, de tali adhæſione dolor, atque dolor adeò perfectus, vt Deo, qui ſingulare

eius motiuum eſt, aut ſaltem principale, denuò tribuat adhærere.

Quemadmodum amor Concupiſcentiæ, id eſt, cuius finis propria vtilitas, fieri vnquam nequit amor amicitiæ, id eſt, amor cuius finis amati bonum dumtaxàt, ratione diſcriminis principiorum ſuorum atque objectorum inter ſe; ſic attritio numquam fieri poteſt contritio: ſed poteſt quidem dari tranſitus ab vnâ in aliam. Ac velut amor concupiſcentiæ, progreſſus quidam eſt ad amorem amicitiæ non paruus, quòd qui ſeipſum amat faciliùs valeat alterum amore complecti, quàm ſi neminem penitùs amare ſciret: ſimiliter attritus, ad contritionem aptior eſt, quàm nullo, de peccato, dolore affectus.

Non ſat eſt dicere Contritionem eſſe dolorem, quem de peccato, vel propter Deum ſolum, vel propter ipſum præcipuè, homo concipit. Pluribus opus eſt, vt eius natura benè perſpecta habeatur; atque hoc declarare, nempè ſicut voluntas eſt facultas ſpiritualis quæ Deum offendit, ſufficere dolorem de peccatis eſſe merè ſpiritualem; nec, ſenſibilem exiſtere, abſolutè eſſe neceſſarium.

Aliquando quidem ſenſum ferit, ſed id opus non eſt; atque is cui ex ratione cor præ dolore de peccatis reſtat contritum, etiam-ſi flere nequeat, nulloque ſenſibili dolore tangatur, æquè Deo placet, ac ſi totus lachrymis diffluereret.

Menſura doloris iniqua, ſenſus; ab eorum actibus, illius non pendet magnitudo; ſed ab actibus rationis.

Poteſt quis ſenſibiliùs lugere amiſſionem prolis, quàm gratiæ ſui Conditoris, per peccatum; attamen ſecundùm rationem, de reatu dolebit magis, quàm de prolis amiſſione. Quod illi tùm ſic probatum erit, cùm vtrâque amiſſione inter ſe collatâ, hanc, quæ diuinæ gratiæ eſt, mens grauiùs mœrere conceſſerit, quàm quæ filij, pro quâ interim lachrymabit, & ſenſu afficietur præ alterâ, cuius gratiâ vel lachrymulam ſtillare non poteſt.

Ex ratione, Pater primogenitum ſuum, quem velut domus propriæ columnam firmiſſimam intuetur, diligit ſuprà filium iuniorem; nihilominùs hunc continget eſſe Patri gratiorem, atque ab eo teneriùs amari.

Amor ſenſitiuus cum rationali non ha-

bet proportionem. Atque eſt par ratio doloris Contritionis, qui ſæpè maximè diſtat in mente, ab eo quem in ſenſu cernimus reſidere.

Haud Chriſtiani ſumus per ſenſum nobiſcum brutis communem; ſed per intellectum hominibus peculiarem, ac per rationem diuinam omninò ſingularem fidelibus. Itaque ſtatera iuſta doloris noſtræ Contritionis, ratio eſt agens ſuprà fidei fundamenta, id eſt principia atque documenta, quæ, vt fideles ac Chriſtiani fierent, hominibus Deo placuit concedere.

Quò aliquid nobis arridet magis (inquit magnus S. [b] Thomas,) eò plus eius horremus contrarium. Igitur qui Deum amat ſuper omnia, de peccato, quod Deo illum priuat, ampliùs triſtabitur, quàm de iacturâ rerum omnium creatarum, licet ſenſus eius aliud aſſerere videatur; facultates quippe ſenſitiuæ non tam rationis ductum ſequuntur, quàm rerum ſenſibilium motus ſeu impreſſiones, quibus impelluntur.

Vnde dolor ab homine conceptus de peccato, quòd Deū directè offendat per culpam, multò eſt maior eo quem habet

de eiuſmodi peccato, quatenùs in illud ſeuerè Deus animaduertit, pœnis rectè ſubijciendo. Quòd manifeſtè patet, quando pœnæ cum reatu comparatione factâ, paratus inuenitur potiùs infeini pœnas ſubeundas eligere, quàm flagitium, quò Deus offenditur, & homo Dei gratiâ priuatur, admittere.

Interim eſt aduertendum, licèt dolor ſenſitiuus magnitudinem rationalis non aſſequatur, ſæpè tamen conſolationis minus capacem exiſtere, tum quòd ſenſitiuus iſte ſoleat eſſe vehementior; quia quod ſenſum ferit, concutit fortiùs eo quod rationem ſimpliciter mouet, tùm quia illius vires, non æquè ac rationalis, extendunt ſeſe. Vnde in mœrore ſæpius conſumptis illis, vix earundem tantillum gaudio reliquum eſt.

Rurſus notandum, inter doloris perfectionem, & mali quod patimur, magnitudinem, non parùm eſſe diſcriminis. Contritio dolor eſt perfectior, ſed ad ferendum leuior eo quem habet Attritio, quippe qui acrior eſt.

Prior faciliùs tolerari poteſt, quia lætitiâ ex charitate Dei deſumptâ miſcetur.

Digitized by Google

Posterior durior est, caret enim causâ lætitiæ; prioris, quæ causa in Dei charitate consistit, quàm eo modo quo prior, ipsa non possidet; & quia dum homini amor sui motiuum præcipuum est, animo ejus imminentium malorum timore perculso, difficile existit in pœnis solatium aliquod excipere; cùm infelicitas eius tanta probetur, vt quamùis amor iste sui, ei omnis mali causa sola sit, itidem boni esse non valeat, cuius fons vnicus Deus, quem attritio potissimùm non respicit.

Non tantùm magnum reperitur discrimen inter Contritionem & Attritionem; sed etiam ipsa Contritio gradibus constat variis, valdè inæqualibus inter se. Quem peccasse pœnitet præcipuè propter Deum, eum dolor perfectus tenet: quem verò propter Deum duntaxat, ita quòd Dei amor suæ sit pœnitentiæ motiuum vnicum, multò perfectior: Porro suprà hunc inuenitur eminentior, cùm eo Christianus velut transuerberetur, non solum pro peccatis propriis, ex amore Dei puro; sed etiam pro alienis, cunctorum hominum.

De hoc dolore loquitur D. [c] Ambro-

ſius, cùm notat Dei filium in horto montis Oliuarum triſtitiâ pœnè defeciſſe, non tam ob plagas quibus erat afficiendus, quàm propter culpas ab hominibus iam admiſſas, atque deinceps admittendas.

De eodem, Pſaltes [d] Regius, cum ait, [Defectio tenuit me : pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam]& [e] [Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam] & [f] [Tabeſcere me fecit zelus meus : quia obliti ſunt verba tua inimici mei.]

Perfectus dolor de peccatis, omnia illa deplorat & deteſtatur ; Cùm enim Deus ſit obiectum eius vnicum, ſufficit illius iura eſſe læſa, vt, qui illi verè adhæret, indè commoueatur non mediocriter.

Contritio non modò latè patet ratione obiecti quod omne peccati genus includit, originalis & actualis, mortalis & venialis, proprij & alieni : ſed etiam ratione temporis, cuius limites neſcit ; quod, cùm charitati, quæ nunquam excidit, neceſſariò vniatur, liceat aſſerere, eam nunquam à piis animabus, in quocumque loco & ſtatu conſtitutæ fue-

int, ſeparandam eſſe.

Nunquam Beati pœnitentiam de peccatis ſuis, imò de omnibus in orbe toto vſquam commiſſis, omittunt. Tantum abeſt, vt eiuſmodi pœnitentia eorum turbet felicitatem, quin potiùs pars eius ſit; quando quidem conſtat, quod velut elementorum maiora in quantitate, & validiora in qualitate, alia mutant & in ſui naturam conuertunt his duobus modis ſibi inferiora; ità perfectio atque vis gaudij cœleſtis id efficiunt, vt dolorem ſanctorum de peccatis, in ſeſe commutet. Ita vt triſtitia, quam habent de peccatis præteritis, ſit illis actualis & præſens lætitia, quæ nunquam deficiet. Itaque Contritio æterna eſt, permanebit in purgatorio, in Paradiſo, & vbique, inferno excluſo, vbi Damnati, vice doloris de peccatis debiti, volent perpetuò Deum offendere.

Quamuis Contritio hoc ſenſu ſit illimitata; alio, modis præſcriptis non caret; cùm tanta queat inueniri, vt cùm mundare hominem à peccato ſuo deberet, in nouum crimen illum poſſit peſſumdare.

Sanè, quemadmodùm diligendi Deum modus excedi non poteſt, ſic & dolendi

ſpiritualiter, & rationi conuenienter, de offenſâ illius. Verum de dolore ſenſitiuo non ſic ſe res habet, qui non licet, cũ in tantum excedit, vt afferre queat interitum, quandoquidem homo non eſt, ſummus vitæ ſuæ dominus : ſed à Deo dependenter illam tenet; & eius vſu gaudet duntaxàt, non proprietate ; iuxtà illud D.g Pauli [Rationabile obſequium veſtrum] id eſt, tale ſit, vt vires veſtras non exhauriat.

Itaque Chriſtianus ſuo ritè inſtructus officio, ſic ſenſuum motibus à pœnitentiâ concitatis ſtudioſè modum imponet, ſicut habenas dabit dolori de peccatis, quem ratio ſuſcitauerit : cùm hic magnus nimis eſſe non poſſit, & illius exceſſus ſit eius perfectio.

r Seſſ. 14. cap. 4. & can. 5. Sic enim ait in dicto cap.

Illam verò contritionem imperfectam quæ Attritio dicitur &c. declarat &c. donum Dei eſſe & Spiritus ſancti impulſum &c. Et quamuis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat ; tamen eum ad Dei gratiam in ſacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit.

Et dicto can. 5. ſic definit.

Si quis dixerit eam contritionem &c. qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando &c. & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & vtilem dolorem, nec præparare ad gratiam &c. anathema ſit.

[h] In ſupplem. 3. p. q. 3. art. 1. in corp. cuius verba ſunt hæc.

Quantùm aliquid placet, tantùm contrarium eius diſplicet: finis autem vltimus ſuper omnia placet, cùm omnia propter ipſum deſiderentur: & ideò peccatum, quod à fine vltimo auertit, ſuper omnia diſplicere debet &c. [Et poſt pauca] *vires inferiores mouentur vehementiùs ab obiectis propriis, quàm ex redundantia ſuperiorum virium.*

[c] Commentar. lib. 10. in Lucæ cap. 22. vbi de triſtitiâ, dolore, tædio & oratione Chriſti loquens ait.

Doles Domine non tua ſed mea vulnera, non tuam mortem, ſed noſtram infirmitatem &c [& paucis interiectis] *infirmatus es, ſed propter peccata noſtra,* [& infrà] *Triſtis videbatur, & triſtis erat, non pro ſua paſſione, ſed pro noſtra diſperſione.*

[d] Pſal. 118. v. 53. [e] Ibidem. v. 136.

f Ibidem. v. 139.
g Epiſt. ad Rom cap. 12. v. 1.

CAPVT XI.

De Confeſsione in genere, & de pœnitentiâ publicâ

TRES ſunt confeſſionis ſpecies. Prima eſt, quæ Deo fit, per quam nil ei declaratur quod ignoret; ſed confitendo culpas quas non neſcit, qui de illis habetur dolor, exprimitur; & ſi non habeatur, nitimur concipere, atque ab ipſomet Deo miſericordia poſtulatur. Sic ſentit D.[a] Chryſoſtomus.

Secunda, ea eſt, quæ in primitiuâ Eccleſiâ fiebat publicè coram omnibus fidelibus, de quibuſdam peccatis, quæ cum latere non poſſent, confeſſionem, & ſatisfactionem ſuis meritis condignam requirebant.

Ad primam obligatio elicitur ex illo legis naturæ principio; quod tibi fieri velles, fac alteri. Si iniuriam ab aliquo paſſi eſſemus, eum teneri ad eam agnoſcendam, confitendamque culpam, nec non pro eâ veniam à nobis poſtulandam,

quò nobiſcũ in gratià rediret, cẽſeremus. Igitur ſimili modo tenemur ergà Deum.

Tertia eſt, quæ de omnibus culpis admiſſis, publicis vel ſecretis, fit ſacerdoti, ſub ſigillo ſecreti inuiolabilis.

Eiuſmodi confeſſiones ſingulæ, apud Eccleſiam fuêre in vſu: ſed cùm politia, quæ à ſolo iure poſitiuo Eccleſiaſtico pendet, poſſit & debeat variari, iuxtà Eccleſiæ placitum, ob rationes varias, ſecunda aliquanto tempore duntaxat viguit, aliævero duæ ſolæ manſêre in praxi. Prima quia à naturę lege, quę perẽnis eſt, oritur: altera, quoniam à iure diuino poſitiuo, quo ad eam in perpetuum obſtringimur, emanat.

Nemo eſt qui ſcire non poſſit lumine ſuo naturali, quemlibet reum læſæ Majeſtatis Authoris ſui, ei ſatisfacere debere, confeſſione culpæ, cenſuram eius ſubeundo, & ad illius miſericordiam recurrendo; nulluſque Theologus negare poteſt, quandoquidem etiam Eccleſia ſuorum definitione [b] Conciliorum illud agnoſcit apertè, Confeſſionem auricularem & Sacramentalem à Chriſto Ieſu inſtitutam eſſe.

Confeſſionem autem publicam, & pœ-

ferunt notatu digna. Primum eſt, dari non paruam diſtantiam inter Pœnitentiam publicam, & Confeſſionem, quæ hoc nomine nuncupatur.

Conſtat in Eccleſiâ primitiuâ Pœnitentiam publicam fuiſſe non raram Manifeſtum etiam eſt atque euidens, Confeſſionem item publicam peccatorum, de quibus pœnitentia publicè agebatur, fuiſſe in vſu; cùm palàm ore profiteri, quod palàm opere quis teſtabatur, minimè difficile videretur.

At nuſquam reperitur Chriſtianos obligatos vnquam fuiſſe ad confeſſionem publicam ſuorum omnium peccatorum articulatim faciendam. Imò expreſſè docet Tridentina [d] Synodus, Eccleſiam nunquam ſimile quid ſanciſſe. Et ratio, affirmans neminem teneri ſibi ſcandalum generare, illud-ipſum ſuadet.

Certum etiam eſt, neque legem vllam Eccleſiaſticam, neque Canonem pœnitentialem, neque decretum Concilij cuiuſquam Oecumenici vllum inueniri, quo confeſſio publica etiam publicorum criminum præcipiatur.

Nihilominùs veriſſimum eſt, illam in Eccleſiâ peractam fuiſſe diuerſis in euen-

tibus; maximè cùm pœnitentriæ publicæ, quæ primis illis ſeculis celebrabantur, occurrerent.

Authores quidam, eiuſmodi Pœnitentiarum duas notant ſpecies; quarum vnã ſolemnem, alteram non ſolennem vocant; atque hæc ita dicebatur, quòd licèt palàm pro omni culparum publicarum genere fieret, paucioribus quàm illa cæremoniis compleretur.

Id vtrique commune erat, quòd nunquam pro delictis occultis fieret publica confeſſio; Et ſi ex abuſu, talis conſuetudo vſquam introducta eſt; ſtatim etiam fuit abrogata; vt patet exemplo S. [e] Leonis primi, qui eam omni ſtudio in Campania, & aliis in locis, vbi perperàm inoleuerat, aboleuit; quòd regulis Apoſtolicis (inquit inſignis ille ſanctus) aduerſaretur. Pœnitentia vero ſolemnis, addunt Authores illi, non niſi pro delictis publicis imponebatur.

Solemnẽ ſolus præcipiebat Epiſcopus, atque pro re magni momenti. Sicut penès eum ſolum talis poteſtas erat, ſic & reddendi pacem pœnitentibus; excepto ſolo neceſſitatis caſu, aut abſentiæ eiuſdem Epiſcopi.

Hæc nunquam imponebatur Sacerdotibus, nulluſque, cui indicta fuiſſet, poterat ad ſacros Ordines promoueri. Non decernebatur coniugio copulatis, niſi ex conſenſu partis vtriuſque.

Semel tantùm in vitâ imponebatur alicui, & qui in eâ verſabantur, veſtibus vtebantur ſingularibus; atque in Eccleſiâ, loco diſtincti erant.

Qui ſceleratiore, Eccleſiæ ingreſſu prohibebantur; ſed manebant pro foribus, vt ab altari, etiam ipſis Catechumenis, eſſent remotiores.

Alij ſiſtebant in ianuis, vt ad modum Catechumenorum auditorum, concionem audirent.

Aliis licebat aditus in Eccleſiam, vt orarent, inſtar Catechumenorum competentium; ſed adeſſe fidelium ſacrificio non permittebantur.

Aliis, & cum fidelibus eſſe in Eccleſia, & eorum adeſſe ſacrificio Miſſæ, facultas erat, licèt non communicandi.

Qui verò pœnitentiam peregerant, & abſolutionem, in cœna Domini duntaxàt cæremonialiter dari ſolitam, receperant, ad communionem admittebantur.

Huiuſmodi Pœnitentiæ auſteritas, iuncta deficienti zelo Chriſtianorum, pri-

mùm illius obſeruantiam inſenſibiliter minuit, quæ poſteà penitus extincta eſt.

Dein, quibuſdam in locis, impoſita eſt per ſimplicem ſacerdotem ex commiſſione Epiſcopi ; & in perſecutione Decij, ſub finem ſecundi ſeculi, vnus eo fine in qualibet Eccleſiâ, expreſſè præfectus eſt, qui totus excipiendis confeſſionibus eorum qui publicè deliquiſſent , vacaret, vt ijs proportionatam ſui facinoris granitati & notorietati Pœnitentiam, antequàm ad ſacram ſynaxim admitterentur, imponeret.

Huius ſtatuti occaſio ſumpta eſt à Nouatianis, quibus ſcandalo erat, quod exprobrabant Catholicis, nempè facilitas nimia recipiendi in atrociora lapſos crimina, ad ſacram communionem.

Nectarius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus S. Chryſoſtomi anteceſſor primus in Oriente, ſub finem quarti ſæculi, Pœnitentiam publicam antiquauit ; ob ſcandalum ortum per mulierem, quæ crimen cum Eccleſiæ Diacono perpetratum euulgauerat. Quidam leuitatis damnârunt hunc Archiepiſcopum, quòd pro tollendo abuſu vnico, continentes in officio ſuo peccatores habenas ; eoſque

auertentes ne saltem in ea criminum genera laberentur, pro quibus ad sacerdotem Pœnitentiarium recursus necessarius erat, ad recipiendam pœnitentiam publicam, abstulerit. Attamen in eius consilium ventum est; tum ob similia incommoda possibilia, tùm quòd obligatio eiusmodi, solo nixa canone Ecclesiæ, ab eâdem liberè poterat de causâ legitimâ mutari.

Octoginta annis posteà: Ecclesiæ Occidentali, eadem ratio, mutandæ eiusmodi consuetudinis ansam dedit, in quâ, abusu, quo Pœnitentes occulta delicta in quibusdam Ecclesiis publicè declarabãt, cogente S. Leonem, vt manifestè rescinderetur, quemadmodũ suprà aduertimus: contingit deinceps hunc morem euanescere, & perire in dies, quasi rem interitui proximam, & abrogationi subjectam.

Sola igitur confessio secreta, nobis relicta est tanquam Sacramentalis, ad quam tenemur ex instituto Domini nostri Iesu Christi.

Atque de illâ iamjam nobis agendum est, cuius veritas eò patet euidentiùs, quò temporibus quibus Confessiones

publicæ reſciſſæ ſunt, illius vſus, ſeu praxis, magis ac magis commendatus habitus eſt, vt infrà videbimus.

[a] Colligitur ex ijs quæ habet homil. de pœnitent. quæ incipit [prouida mente] & referuntur in iure, decret. 2. part. C. 33. q. 3. de pœnit. diſt. 1. cap. perfecta, & cap. Non poteſt. Item diſt. 3. cap. Perfecta Vbi ſic loquitur de Peccatore;

In corde eius contritio eſt, in ore eius confeſſio, in opere tota humilitas. Hæc eſt perfecta & fructifera pœnitentia.

[f] Item eadem diſt. 3. c. Talis: ſic ep. 5. ad Theodorum lapſum dicitur reſcripſiſſe;

Etiamſi non potuerit quis explere omnem ſatisfaciendi ordinem, quantulamcumque tamen, & quamlibet breui tempore geſtam non reſpuit pœnitentiam Deus: ſuſcipit enim ipſam, nec patitur quamuis exiguæ conuerſionis perdere mercedem, &c.

[b] Conc. Cabilon. c. 8. vt Trident. ſeſſ. 14. can. 6. his verbis.

Si quis negauerit Confeſſionem Sacramentalem vel inſtituta[m], vel ad ſalutem neceſſariam eſſe iure diuino; aut dixerit modum ſecretè confitendi ſoli ſacerdoti quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſeruauit & obſeruat, alienum eſſe ab inſtitutione & man-

Digitized by Google

dato Christi, & inuentum esse humanum, anathema sit.

[c] Sess. 14. cap. 5. vbi ait,

Etsi Christus non vetuerit &c. delicta sua pub icè confiteri: &c. non est tamen hoc diuino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqual ge præciperetur, vt delicta, præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda.

[d] Dictis suprà sess. & cap.

[e] Epistol. decretal. 80. Secundum impress. anni 1633. Lugduni, ad vniuersos Episcopos per Campaniam Samnium & & Picenum constitutos: vbi circa medium 1.

Vocat eam consuetudinem, præsumptionem contrà Apostolicam Regulam. [Et infrà] *Remoueatur, inquit, tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur* [Et paulo post] *sufficit enim illa Confessio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. &c.*

Inuenitur etiam in iure de pœnit. dist. 1. cap. sufficit, & cap. quamuis plenitudo, sub finem eius dem dist.

Supradicta ep. annotatur scripta anno Christi 461. qui fuit ann. Pont. S. Leon. 21

CAPVT XII.

De Confessione auriculari & Sacramentali.

HÆC Confessio, est Accusatio voluntaria, à Pœnitente facta, omnium peccatorum suorum [a] mortalium quorum recordatur, sacerdoti habenti potestatem eum absoluendi. Accusatio cum dolore de admissis, & cum firmo proposito de non ampliùs admittendis.

Terminus iste, Accusatio, ostendit non sufficere narrare peccata; sed accusatoriè, & se reum protestando, declaranda esse.

Vocabulum voluntaria, docet, Confessionem coactam, qualis quæ per iudices à sceleratis, gehennis extorquetur, nullam fore; Deo, liberam hominis voluntatem, inprimis deposcente.

Verba, omnium peccatorum suorum mortalium, varia manifestant. Primò illud, omnium, insinuat Confessionem integram esse debere; & tùm censetur talis, cùm exprimitur qualitas, numerus, ac circumstantiæ peccatorum suorum

mortalium, quantùm, cum rationabili conſcientiæ examine, fieri poteſt, nullo ex malitiâ excepto.

Dixi expreſſè, peccatorum ſuorum mortalium; quòd venialium omiſſio, confeſſionis integritatem non impediat, cùm primarius Ieſu-Chriſti finis ſit, nos gratiæ ſuæ quâ nos ſolum lethale priuat peccatum, reconciliare, per pœnitentiæ Sacramentum.

Interim quamuis culparum venialium expreſsio non ſit neceſſaria, tamen negligenda non eſt, vt infrà videbimus. Et quia omnia ſua peccata confitendi facultatem, varia quandoque tollunt accidentia; vt Pœnitentem plenè inſtructum reddamus, addo, eum qui confeſsionem incœpit, ſi ex ſummâ morbi grauitate illam peragere nequeat, integram cenſeri perfeciſſe. Si aliundè malum repentè contingat Confeſſori, ità-vt quod illi aperire cupit Pœnitens, integrè audire, eo impediatur, & aliàs non ſit copia alterius Confeſſoris, poteſt illum validè abſoluere, perinde ac ſi confeſsionem integram ille compleuiſſet.

Signum exterius vnicum, in neceſsitate, æquiualet integræ culparum decla-

rationi; qui enim quod in se est, vt satisfaciat præcepto, moraliter operatur, tùm exequitur munus suum; tùm eidem simul satisfacit.

Diuersæ aliæ considerationes ab integra peccatorum confessione eximunt.

Si Pœnitens reatum suum manifestare non possit, sine euidenti mortis periculo, ad eundem cum tali periculo declarandum non tenetur.

Huiusmodi etiam habetur data aliquando temporis nimia breuitas ad declaranda peccata omnia; quòd sæpè dum mare æstuat, aut vbi cum hoste signa conferenda sunt, accidit; quibus occurrentibus, licet sacerdoti, qui ob præsentissimum periculum omnes qui integrè confiteri vellent, audire non potest, illis absolutionem impertiri, aut sigillatim, vnico à singulis declarato simplici reatu, aut omnibus coniunctim, factâ ab illis protestatione verbali de dolore pro peccatis, vel dato signo altero à sacerdote postulato, ad exprimendum dolorem eiusmodi. Idem grassante peste, aut alterâ lue populari exercendum venit, quo casu, Confessor aduertens in hospitio plures ægros sic ad interitum currere, vt

separatim

ſeparatim eos audire ſe poſſe diffidat, poteſt omnes ſimul abſoluere, eo modo quo paulò antè deſcripſimus.

At cùm per tempus licet, & ſupradictorum nullum excuſat pœnitentes, ſuas omnes tenentur culpas edicere, poſt accuratam conſcientiæ diſcuſſionem.

Ab illâ verò diſcuſſione, ſi quorundam delictorum inculpabiliter obliuiſcantur, ex hoc non deſinit eorum confeſſio integra reputari; præcepto quippe cenſetur ſatisfieri, cùm poſt moralem diligentiam, ei pro viribus factum ſatis eſt. Reſtat tamen eis obligatio declarandi obliuioni tradita mortalia, ſtatim atque in memoriam recurrerint.

Dictio illa, ſuorum, monet adeò prudenter confitendum, vt propria cum accuſamus, alios non accuſemus ſimul. Exempli gratiâ, exprimenda quidem eſt conditio perſonæ cum quâ delictum eſt: ſi copulata coniugio: ſi conſanguinea, vel affinis: ſed minimè deſignanda perſona: imò cauendum maximè ne confeſſori vllatenùs innoteſcat.

Nihilominùs hîc notandus eſt abuſus hac tempeſtate non rarus, quo confeſſoresquidam ignorantiâ maximè culpabili

permittunt pœnitentibus iudicum ſententiâ pereuntibus, credere, nequaquàm ſe obligari ad accuſandos coràm eiuſmodi iudicibus, ſocios criminis, licèt in quibuſdam caſibus id ſit falſiſſimum.

Vel ſocietas illa, de qua agitur, eſt in crimine, vnde non ſequitur aliud detrimentum; vel in coniuratione contrà bonum publicum, vel contrà bonum alicuius particularis. Nullus tenetur denunciare ſocios criminis omnimodè præteriti, & vndè incommodi nil accidere poteſt: neque iuſtitia, neque charitas eos declarari poſtulant: ſed ambæ iubent crimen detegere, quod damno futurum eſt, tùm Reipublicæ, tùm particularibus. Plerique etiã in eâ ſunt ſententiâ, vt qui crimen eiuſmodi nouerit, accuſatorem ſe præſtare debeat, ſi probare poſſit. Sed miſſâ iſtius controuerſię deciſione, certiſſimum eſt eum teneri ſaltem Magnates monere quibus occurrendi tùm Reipublicæ, tùm partium eius ſingularum imminenti malo poteſtas eſt. Sanè crimini ſuo adhæret pertinaciter, qui Reipublicæ vel proximo, præſidio eſſe renuit in iniuriam quam quis eis peſſimè machinatur & qui ignorantiæ illi culpabili

pœnitentium conniuent: à peccato coràm Deo nequeunt esse immunes.

Dictum verò (cum dolore) aperit hoc, nimirùm confessionem secundam Pœnitentiæ partem, primam quæ contritio est, supponere: non sufficiente declaratione peccatorum ad formandam confessionem, quæ sit pars Sacramenti Pœnitentiæ, nisi simul ea commisisse pœniteat peccatorem, aut ad sensum vsque, aut ratione tenùs; atque in ea rursùs neutiquam impingere decernat: cum is dolere de præteritis censeri non possit, qui ad noua incurrenda animo propenderet.

Additur, sacerdoti habenti potestatem absoluendi, vt sciant omnes sacerdotem solum esse ministrum Sacramenti Pœnirentiæ, nec-non ad hoc probari & destinari debere.

Dei filius, iure optimo, soli sacerdoti, absoluendi potestatem reliquit. Confessio enim est actus iurisdictionis, qui propterea personas, ad ferendum de peccatorum qualitate ac momento iudicium ac deinceps ad soluenda vel liganda eiusmodi, ordinatas expoſcit.

Duo ad id numeris requiruntur, potestas Ordinis, & potestas iurisdictionis,

Prima à Christo Iesu confertur sacerdoti secunda eidem communicatur ab Ecclesia; cùm ditioni suæ subditum imperium, in diœceses & paræchias distribuens, cuilibet Episcopo & Pastori suas oues proprias specialiter assignauit, tanquam subiectos datos, ad illius potestatis effectus in absolutione peccatorum suorum recipiendos.

Quilibet sacerdos in casu necessitatis, hoc est in periculo mortis, in quemlibet iurisdictionem habere censetur; & in eiusmodi casu, non solùm tantæ est potestatis, quantæ Episcopi, verum etiam quantæ summus Pontifex, Pastor Ecclesiæ Vniuersalis.

Imò in casu simili, sacerdote excommunicato & interdicto vti liceret; & quod amplius est, etiam hæretico facto, modò intentionem generalem habere vellet faciendi quod vult vera Ecclesia, non dijudicando an illam ipse sectetur, necne. In hoc, inquam, articulo, istius generis hominibus vti licet, cùm non est copia aliorum; quia potestate illorum suo characteri indelebili alligatâ, nihil ad eius exercitium illismet deest, nisi habere suæ iurisdictioni subditos, cui necessitas &

ſalutis momentum, quemcunque ſubijcit, qui in vitæ diſcrimine etiam ſalute periclitaretur, ſi tùm minimè ei ſuppeditaretur anſa damnationis euitandæ.

Ad hoc, notandum eſt ſacerdotum capacitatem, pro adminiſtratione Sacramenti neceſſariam, eſſe duplicem; alteram iuris, electionis alteram.

Priori, paræchi omnes iure facultateque audiendi confeſſiones in toto iuriſdictionis ſuæ ſpatio, potiuntur.

Poſteriori, Regulares & ſacerdotes purè, facultatem illam vel à Paræchis, vel ab Epiſcopis, vel à Summo Pontifice, iuxtà tenorem Bullarum quas obtinent in formâ legitimâ, & cauſâ cognitâ, ſortiuntur.

Prima, eſt irreuocabilis, id eſt, quandiu Paræchus, Paræchus manet, tandiu animas ſibi ſubiectas abſoluendi gaudet poteſtate, atque eam (niſi iuſtâ de cauſâ iuridicè ſuis functionibus ſit interdictus) exercere valet: altera verò reuocari poteſt ad libitum eius à quo emanat.

Ad eludendas difficultates plurimas, quæ in hac materiâ, penitentium animos varijs intricarent ſcrupulis; breuî concludo eos, quemlibet ſacerdotem abſoluen-

di capacem, censere debere, qui à suo Superiore & talis iudicatur & ad hoc destinatur.

Quia verò effrenati quidam reperiri possunt, qui in hæc verba erumpent, gratis doceri, qualis debeat esse confessio, nisi à Christo-Iesu instituta probetur; quamquam iam dixi, me non agere cum dubitantibus de Mysterijs nostræ fidei, addam capitulum sequens, vt eorum curiositati satisfaciam,

¶ Vide quæ ad cap. 12. pag. 117. diximus in prologo.

CAPVT XIII.

Quòd Confessio Sacramentalis sit ab institutione Diuinâ.

SI Deus in Ecclesiâ suâ Tribunal constituerit, in quo peccata iuridicè remittantur; etiam Confessio de iure Diuino est; cùm Iudex pro reo vel in reum dicere nequeat, inaudito aut incognito eius crimine; nec eũ etiam conuictũ absoluere possit, nisi digna pœnitentiæ testimonia protulerit. At qui Ioan. 20. Deus Ecclesiæ

ſuæ concedit facultatẽ remittendi peccata, quam anteà S. Petro, ſuiſque Diſcipulis erat pollicitus, vt videre eſt apud ſanctum Mathæum c. 16. & 18. æque igitur patet ac conſtat, eum ſtatuere Confeſſionem omninò neceſſariam ad functiones eiuſmodi Poteſtatis.

Tam infallibilis eſt iſta conſequentia, vt hoc vnico nixa fundamento, Confeſſionem eſſe de iure Diuino, inſtitutam à Chriſto-Ieſu, definierit Tridentina[a] Synodus.

Tandem, in Actis[b] Apoſtolorum expreſſa eſt praxis Confeſſionis, cùm dicitur: *Multi quoque credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus ſuos.*

Dicere enim cum aduerſarijs Eccleſiæ, actus de quibus loquitur S. Lucas, fidelium miracula ſignificare, ridiculum eſt, tùm quòd propriè loquendo, miracula actus noſtri vocari nequeant, cùm ſint opera Dei; Tùm quia S.[c] Lucas refert cauſam eiuſmodi Confeſſionis fuiſſe terrorem fidelibus incuſſum ex vindictâ, quam Deus exercuerat in eos, qui nomine Ieſu, nec non S. Pauli abutebantur, turpis lucri gratiâ. Vnde ſequitur per tales actus exprimi atque intelligi peccata;

cùm clarum ſit, terrorem apprehenſionemque, tam ſtrictè, ad agnoſcendos, nec non articulatim in Confeſſione declarandos reatus ſuos, quàm ad tacendas laudes proprias, homines aſtringere. Si enim populi culpas ſuas minimè dixiſſent, non affirmaret S. Lucas, D. Paulum, libros eorum curioſitatem perniciosam fouentes, comburi iuſſiſſe.

Inane etiam eſt proponere iſtud, nimirùm loco cõfeſſionũ ſecretarum, quibus vtimur, illas, de quibus in Actibus Apoſtolorum ſit mentio, fuiſſe publicas, cùm licèt in hoc caſu tales extitiſſent ex nimio primorum Chriſtianorum zelo, non inferatur inde non potuiſſe eſſe ſecretas. Imò potiùs id ſequitur, nullà lege, naturæ legi derogare valente, quę non patitur quemquam, ſine cauſâ, ad propriam diffamationem poſſe obligari.

Ad ſtabiliendam Doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, ſatis eſt oſtendere, quod licèt tunc Confeſſiones illę publicæ locum haberent, tamen ſecretarum ſacer vigebat vſus. Quòd manifeſtè patet ex eo quod primorum ſæculorum Concilia, leges ferunt de ſeruando inuiolabiliter ſecreto Confeſſionis; vnde infallibiliter

colligitur, non tantùm vſum eius noſtro conformem tunc floruiſſe (eo ſtatutum factum neceſſariò ſupponente, qui eius ſeruandi media modoſque præſcribit) ſed etiam, iuxtà D. 8 Auguſtini regulam, illam fuiſſe inſtitutam à Deo & ab Apoſtolis traditam; cùm eius initium & origo non inueniantur, conciliaque nec non Summorum Pontificum decreta, principia ſint omnium, quæ hac de re ab hominibus ordinata ſunt.

Præterea etiam, qui ſecundo, tertioque ſæculo vixêre, atque concilia generalia præceſſêre, Patres, [h] de illâ manifeſtè loquuntur; & quidem ſuper fluum eſt varios textus, in quibus Confeſſionem delictorum à peccatoribus Deo factam, ac Confeſſiones publicaſque Pœnitentias in primitiuâ Eccleſiâ ordinarias, commendant, aduerſus eandem ſecretam producere; tùm quia cùm duæ veritates non ſunt contrariæ, ſed tantùm differentes; quod alteram firmat, alteram non infirmat; tùm quia cum illa Chriſtianiſmi lumina, de duabus illis confeſſionis ſpeciebus, factæ ſcilicèt Deo, & publicè in Eccleſiâ, loquuntur; tam apertè deſignant eam quæ nunc vſurpatur, vt de eo

dubitandi nullus relinquatur locus.

Vocant determinatè Sacerdotes, quibus fiunt Confessiones, de quibus agunt; non de peccatis publicis, sed de secretis, etiam de cogitationibus.

Volunt eiusmodi confessiones exerceri spontaneè, nõ ab aliquibus tantùm, sed ab omnibus; quod obligationem inducit. De confessione facta Sacerdotibus differunt, vt de re absolutè necessariâ.

Arguunt eos quos pudet palàm pro peccatis satisfacere, quæ sacerdotibus confiteri non erubescunt.

Volunt ad Sacerdotes recursum fieri, non consilij causâ duntaxat, sed etiam absolutionis recipiendæ.

Hortantur homines, vt caueant à vitijs; quia ignorant si in supremo vitæ spiritu pœnitentiæ locum inuenient, atque confitendi sua peccata Deo & Sacerdoti.

Post Authoritates adeò expressas, Confessionem secretam esse ex instituto Diuino nemo potest ambigere; neque, in Ecclesia semper fuisse in vsu. Superest vt videamus si eius solus vsus à Christo fuerit institutus, & an omninò sit necessarius.

Certissimum est Dominum nostrum Ie-

ſum Chriſtum Confeſsionem inſtituiſſe, tanquam medium requiſitum ad remiſſionem peccatorum. Sed eſt quæſtio non leuis, vtrùm ipſe intenderit hanc obligationem intrà limites ſecretæ confeſſionis cogere; vel, vt etiam ad publicam extenderetur permittere.

Deus contrà naturæ, cuius author eſt, principia numquam agit; atque ideò, cùm quæ prima cordibus humanis impreſſa lex eſt ſiue lux infuſa, ea ſcandalum proprium ritè rectéque fugere doceat, quando Chriſtus Dominus Chriſtianos ad Confeſsionem voluit obligare, primaria eius intentio ad confeſſionem ſecretam tanquam ad obiectum & finem ſe ſe extendit; licèt non prohibuerit publicã; cum videlicet, quæ aliàs eſſe poſſet proximo, aut ſcãdalo aut dedecori, ei qui ſine cauſâ legitimâ talem exerceret.; hisſecluſis, Pœnitentem humiliatum reddit, & ædificat proximum, eò magis quò crimen publicum cognoſcentem, ſcire etiam decet expiationem eius, delicti grauitati reſpondere.

Hæc doctrina ità conformis eſt Concilio Tridentino, vt eius definitione nobis lege factâ, probationi illius vltrà incum-

bere non sit opus.

Quemadmodum Confessio publica minime requiritur à Christo ad remissionem peccati, sic non est prohibita, nec eius instituto contraria, imò imprudenter quis altâ voce confitendo sua peccata diuulgaret, qui sic nihilominùs ad recipiendam absolutionem ab illis sese disponeret; cùm ità Sacerdoti reuelaret dijudicandum facinus, & talis reuelatio, pœnitentiâ de illo eò maiori cõpleretur, quò contritio tantæ confusioni, quanta est publica culpę confessio, cũ exponeret.

[a] Sess. 14. can. 6. vt suprà ad pag. 84. annotatum est.

[b] Actor. 19. v. 18. vbi Græcè sic habes πολλοὶ τῶν πεπιστευκότων ἤρχοντο ἐξομολογούμενοι καὶ ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν.

[c] Eod. cap Actor. 19. v. 17.

[d] Ibidem. v. 13.

[e] Ibidem. v. 19.

[f] Ad hoc vide tom. 1. Conciliorum. Vide etiam Annal. Eccles. Baron ad an. Christi. 56. epitomem Spondani ibidem à num. 5. ad 11. inclusiuè. Vbi num. 8. apertè dicit Sozomenus, *quòd odiosum esset coram multitudine delicta pandere, huic operi præfectum fuisse Sacerdotem Secreto-*

rum tenacem.

[g] Expreſſam tom. 2. ep. 118. ad Ianuarium cap. 1. his verbis.

Illa autem quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs Concilijs, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata atque ſtatuta retineri.

Habetur etiam in iure, decret. 1. p. de conſuetudine, diſt. 12 cap. illa.

[h] Dionyſius Areop. ſcribens ad Demophilum. Irenæus agens de Rhodanenſibus Feminis. lib. 1. cap. 9 Tertull Oriegenes. Cyprian. & alij multi.

Vide Annal. Eccleſ. vbi ſuprà num. 6 & 7.

[i] Seſſ. 14. cap. 5. & can. 6.

CAPVT XIV.

De neceſsitate Confeſsionis.

DICET forſàn aliquis, poſſe quidem inferri ex verbis ſuprà allatis, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, vſum permitti confeſsionis, eumque ſimul vtilem eſſe: at non eſſe abſolutè

neceſſarium : cùm ſenſus terminorum eiuſmodi, aliud omne peccata remittendi medium non excludat.

Reſpondeo primò: hoc ſophiſma directè militare contrà Concilium[a] Tridentinum, capacius ad interpretanda verba Chriſti-Ieſu, ijs qui vix aliam, quàm de omnibus ambigendi capacitatem habẽt.

Reſpondeo. 2 cùm Deus Apoſtolis ſuis poteſtatem ac medium peccata remittendi conferens, aliud non inſtituerit, manifeſtum eſſe eum non tantùm velle, vt confeſsio illis facienda ſit ad hoc medium vtile; ſed etiam ità neceſſarium ac vniuerſale, vt apud homines aliud non ſit in vſu ordinario.

Hanc veritatem apertè teſtatur ſeries ſermonis Domini noſtri Ieſu-Chriſti ad Apoſtolos, cùm eis peccata remittendi poteſtatem impertit. Confert[b] poteſtatem hanc cum illâ quam accepit à Patre; ſicut miſit me Pater, inquit, & ego mitto vos. Non aliam authoritati conceſſæ de peccatis dijudicandi, menſuram præſcribit, quàm quæ illi à Patre, cùm in mundum, eiuſdem iudicij exercendi gratiâ, mitteretur, collata eſt.

Atqui illa filij accepta poteſtas, ſine ex-

ceptione eſt ; Data eſt, [c] ait, mihi omnis poteſtas in cælo & in terrâ. Itaut viâ ordinariâ Pater non iudicet quemquam ; ſed dederit omne iudicium filio, quãuis extraordinariè quẽlibet iudicare poſsit. Itaque dicendum eſt Dei filium ſic Apoſtolis ſuis & eorum ſucceſſoribus iudiciariam reliquiſſe poteſtatem, vt licèt abſolutâ authoritate & viâ extraordinariâ, eâ fungi poſſet; id tamen non præſtet, ſed velit peccatorum confeſsionem & ſacerdotum abſolutionem , eſſe non tantùm medium vtile , verùm etiam, viâ ordinariâ, abſolutè neceſſarium ad remiſsionem peccatorum.

Id clarè docet D. [d] Auguſtinus , cùm ait, pœnitentiam agite, qualis in Eccleſiâ fieri ſolet. Verùm declarans , quid ſit pœnitentiam agere , qualis vſurpatur in Eccleſiâ, addit. Nemo ſatisfeciſſe exiſtimet, dicens, Apud me ſecretò ago pœnitentiam : hanc ago coràm Deo ; necnon concludit, minimè dari viam aliam à praxi Eccleſiæ, quæ vt pœnitens quilibet culpas ſuas declaret, exquirit. Igitur inquit , proſequens quæ ſuprà , fruſtrà dictum erit, quæcumque ſolueritis ſuper terram , erunt ſoluta & in cœlo. Ergo

abſque cauſâ, Eccleſiæ Dei claues datæ ſunt. Vero ſuo ſenſu Euangelium priuamus; inutilia atque inania Chriſti-Ieſu verba reddimus, cùm quod ipſe denegat, promittamus.

Hæc vltima [quod denegat, promittamus] valdè ponderande ſunt. Quamuis enim Diuus Auguſtinus verba filij Dei affirmatiue duntaxàt retulerit, quibus concedit Apoſtolis poteſtatem remittendi peccata; hanc nihilominùs propoſitionem negatiuam ex his colligit, poteſtatem ſcilicet eiuſmodi non reliquiſſe alijs, imò ne ſibi quidem reſeruaſſe; Ità quod iuxtà viam ordinariam, & legem in Eccleſiâ poſitam, non adhibito eorum miniſterio, ſententiam pronunciare velit, ac peccatorum remiſſionem impendere.

Super hoc firmiſſimnm fundamentum SS. Leo, Gregorius, Bernardus, & plerique alij Patres, de ſancto Petro loquentes, non verentur eius tantam fuiſſe prærogatiuam, aſſerere, vt in remiſſione peccatorum præceſſerit ſententia Petri, ſententiam cœli.

Audacter quis fortè proſilicet, dicens, rem non ità ſe habere, quandoquidem

contritio prima pars pœnitentiæ peccata ſæpè remittit priùs, quàm de illis pœnitens confiteatur. Sed iſte reum ſe fatebitur, credo, ſi peccati remiſſionem, quæ contritione fit, perpendat neque confeſſionis neceſſitatem, neque efficaciam excludere: ſed enim illam ſupponit, quatenùs votum confeſſionis faciendæ, cùm erit opportunum fit pars actus contritionis quæ â peccato, hominem purgat.

D. ſ Thomas ex illo principio tantam concludit neceſſitatem confeſsionis, vt ad hanc vſque procedat propoſitionem, quòd, cùm illius vſus ſacerdotis penuriâ, Sacramentalis minimè reddi poteſt, laïcis fructuosè peccata queant declarari, credens ex eiuſmodi confeſsione Pœnitentem proficere, non tantùm ratione humilitatis, cum quâ exponit reatus ſuos, & doloris, quem ex illorum commemoratione concipit; ſed etiam ratione gratiæ ſummi Sacerdotum Sacerdotis; qui illius quidem ſancti ſententiâ, in tali caſu, bonitate ſuâ ac poteſtate, ſupplet defectum iuriſdictionis, in laïco.

Ex hoc egregius ille § Sanctus ad hanc

deuênit ſententiam, nimirùm quod in neceſsitate, & in mortis periculo talis confeſsio obligaret, nixus exemplo baptiſmi, cuius tamen maior eſt neceſsitas; cùm purgationis ab originali peccato, infantibus non ſit aliud medium : adulti autem mundari valeant à peccatis per contritionem, quâ vti poſſunt abſque alterius perſonæ miniſterio.

Praxis quidem talis fuit in antiquâ Eccleſiâ. Author libri de verâ & falſâ [h] pœnitentiâ, itemque venerabilis [i] Beda ſic expreſſè declarant; Iam verò abijt peſſùm eiuſmodi, propter abuſus qui inde oriri poſſent præ libertate, quâ laïci non ità inſtructi Diſciplinâ ſecreti confeſſionis ſeruandi, ac Sacerdotes, auderent reuelare quod ſibi eſſet expoſitum.

Neceſſitas verò ipſa confeſſionis eſt talis, vt licet vſus eius ordinarius, ad exprimenda verbis peccata perſonaliter auriculæ Sacerdotis, obliget; in diuerſis tamẽ caſibus exceptionem poſſit ſuſtinere.

Qui ſolo alienigenâ Confeſſore frueretur, poſſet confiteri per interpretem. Qui verbis non poſſet, poſſe ſcriptis, aut nutibus, aut alijs ſignis : quod exerceri quotidie ſolet cum mutis & infirmis om-

ni voce carentibus; Ecclesia tantùm postulat, vt qui hoc vtitur priuilegio declarandi scripto peccata, non sit absens, aut ita remotus à Sacerdote, ad quem sic confessionem mitteret, vt posset rationabiliter dubitare, si cùm is verba absolutionis proferret, adhuc ille in sufficienti dolore de peccatis perseueraret.

Tandem certum est Confessionem, Ecclesiæ Ministerio factam, esse omninò necessariam.

[a] Vbi suprà. [b] Ioan. 20. 21.

[f] Matth. 18. v. 18.

[d] Tom. 10. lib 50. homil 49. de pœnitentia, vbi ait.

Agite pœnitentiam qualis agitur in Ecclesiâ vt oret pro vobis Ecclesia. Nemo dicat sibi, occultè ago, apud Deum ago, nouit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergò sine causa dictum est [quæ solueritsi in terra soluta erunt & in cœlo.] Ergo sine causa claues data sunt Ecclesiæ Dei: frustramus Euangelium Dei: Frustramus Verba Christi. Promittimus vobis quod ille negat, nonne vos decipimus?

Inuenitur etiam in iure. q. 3. de pœnit. dist. 1. cap. Agite.

[i] Gregorius in regist. lib. 9. indict. 4. c.

39. circa medium, vbi ait.

Certe enim Petrus potestatem regni cœlestis acceperat, vt quæque in terra ligaret vel solueret, essent in cœlo ligata vel soluta. Vide etiam lib. 2. super Ezechiel. Homil. 18.

S. Leo. serm. 3. in anniuers. assumpt. suæ *Manet*, inquit, *Priuilegium vbicumque ex ipsius fertur æquitate iudicium. Nec nimia est vel seueritas vel remissio, vbi nihil erit ligatum vel solutum, nisi quod B. Petrus aut soluerit aut ligauerit.*

S. Bernardus, lib. 2. de consider. ad Eugenium Papam. c. 8. vbi ad hoc præclara admodum habet.

[f] In supplem. 3. p. q. 1. art. 1. in corp. concludit necessitatem Confessionis; eiusdem verò supplem. q. 8. art. 1. in corp. concludit tantam eiusm. necessitatem vt laicis, in necessitate, vice Sacerdotis confessio fieri possit; & eiusdem q. art. 2. & 3. in corp. *Minister*, inquit, *pœnitentiæ, cui Confessio facienda est ex Officio, est Sacerdos; sed in necessitate etiam Laicus vicem Sacerdotis supplet, vt ei Confessio fieri possit.*

[g] Dicto art. 2.

[h] Tom. 4. D. Aug. operum, in appendice cap. 10. vbi sic ait.

Digitized by Google

Tanta itaque vis Confessionis est, vt si deest Sacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit quod pœnitens non potest confiteri coram Sacerdote, quem desideranti nec locus nec tempus offert. Et si ille cui confitebitur, potestatem soluendi non habet, sit tamen dignus venia ex desiderio Sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis.

Inuenitur etiam in iure. q. 3. de pœnit. dist. 1. cap. Quem pœnitet, ante finem In commentar. ad cap. 5. ep. canon. D. Iacobi ad illa verba, *Confitemini alterutrum*, Inuenitur etiam in iure, decret. 1. p. dist. 25. cap. vnum orarium. Sed inter ea quæ per modum postillarum subiunguntur.

CAPVT XV.

In eorum opinionem qui diffamant Confessionem, ac illam exhibent velut Iugum intolerabile.

AMico solatium est doloris participem facere eum, quem se ipsum alterum iure arbitratur: Æger tùm credit conualescere, cùm Medico, quæ patitur,

recenſet mala : qui grauatur, onere exonerari deliciatur: ſimiliter, tantùm abeſt, vt inclementiæ aliquid ſit in lege, quâ cauetur, quòd peccatores culpas manifeſtent ; quin potiùs filij Dei pietas ſingularis cenſeri debet, quòd miniſtros ſuos humanorum defectuum fideles depoſitarios eſſe voluerit, vt dein reperirentur authores conſolationis atque remedij.

Si quis dixerit, Amico declarari tantùm quod cuique placuerit ; Confeſſorem verò nihil momenti alicuius celare neceſſe eſſe; Reſpondeo illum de eo conqueri, quo ad immortales gratias reddendas tenetur; cùm, ſi omnia & ſingula nullo dempto detegenda ſint conſcientiæ vulnera, id ità ſit quia Deus omnia abſolutè ſanare cupit.

Qui variis obrutus morbis, pleroſque eorum medico declarat, ac præ verecundiâ vnum abſcondit aut alterum, ægritudinis perpetuæ verecundiâ ſuâ periculum incurrit. Igitur inſolitæ Diuinæ bonitatis argumentum eſt, peccatores ad ea " declaranda, quæ aliàs ne fructum caperent ex eius remediis, impedire poſſent, obligare voluiſſe. Nihil Principum temporalium gratias fruſtraneas

atque inutiles reddit, niſi cùm ſupplicibus libellis, quibus eas rei conſectantur veritas deeſſe deprehenditur,

Cæterùm ſi pudet culpas indicare, labor ex tali actu humilitatis ac Religionis ſuſceptus, debitis pro criminum expiatione, annumeratur ac recipitur. Atque ità, quod primà fronte durius videtur noſtris ſenſibus, rationi poſteà ſuauius ſapit.

Si obijciantur, hac ſtante praxi, famæ vitæque periculum, ſingulis momentis, hominem ſubire, quatenus ſacerdos conſcientiæ ſecretiora reuelare poteſt. Reſpondeo, quòd, ſicut qui Tigres ac Leones alit domi ſuæ, id præſtat abſque vllo periculo, ſi illi pluribus innexi catenis ibidem affigantur, aut muris aut palis; ita-vt ſi catenarum aliqua frangatur, aliæ prohibeant effugium; ſic ſine detrimenti formidine fit confeſſio, cùm Sacerdotes non tantùm lege naturali omnium potentiſſimâ, ſed etiam iure poſitiuo diuino atque humano, ſecreto teneantur.

Lex naturalis, depoſitum, fidei ſuſcipientis aſtringit; nec alteri facere, niſi quod ſibi quiſque vellet fieri, permittit.

Ius Diuinum peccatorum manifeſtatio-

nem hominibus præcipiendo, ex conſequenti, etiam Sacerdoti, abſolutum de illis ſilentium præſcribit : aliàs quippe nemo hac manifeſtatione teneretur, cùm ſic in damnum proprium peſſum-ire poſſet, ad quod nullâ lege queunt homines obligari.

Hinc fit, vt qui ſummo Pontifici, cæteriſque Principibus fauere ſe putant, docentes, Sacerdotes ea quæ ad eiuſmodi Principum vitam maximè ſpectantia, ex confeſſione nouerint, teneri exponere, malè illis ſibique conſulant; cùm enim ad ruinam propriam nullatenùs quis cogi poſſit, Pœnitens ab expreſſione peccatorum eſſet immunis ſi à ſeruando de illis ſecreto, Confeſſor exemptus foret.

Denique Eccleſia, hac in re Sacerdotem reum mulctans perpetuâ monaſterij Clauſurâ, arctè nimis eundem ligat, vt nihilominùs ab eo ſolutum iri poſſe ſecretum formidemus.

Et reuerà, quæ ex eiuſmodi lege contingunt, adeò rara ſunt, incommoda, vt manifeſtè Deus, qui peccatorum linguas exerit ad producenda ſua facinora; ad eadem reticenda, Sacerdotum mutas facere videatur. Denique in rebus humanis,

nis, nihil eſt in quo pariter minimè periclitetur, aut certè in quo non magis quàm in præſenti. Pharmacopola poteſt quotidiè pro ſaluriferis medicamentis, dare ægrotis toxica. Coquo liberum pernicioſa domino iuſcula propinare. Coniux coniugem dum ſomno indulget, ſtrangulabit, ſi lubet. Eiuſmodi infortunijs poſsibilibus, & quæ rarò cõtingunt, non obſtantibus, initur matrimonium, hominibus ſuccurritur ab aliis, in ijs quorum vſu funeſtum aliquid poteſt accidere.

Eccleſiæ vincula robuſtiora, quàm facilè perrumpi queant; cumque confeſſionis ſecretum ſit de iure naturali, abſque perfidiâ ac fraude non poteſt violari; quatenùs de iure diuino, & ſic ad religionem ſpectat, in eo deficere quis nequit ſine ſacrilegio. Quatenus etiam iure humano firmatum eſt, quicunque illud non ſeruat, grauiſsimâ rebellione, pœnarum ſeueritate in tantum ſcelus iuſtè decretarum expiandâ, in Eccleſiæ leges impingit.

Sigillum iſtud adeò ſacrum, vt ſoli cuius eſt, pœnitenti liceat ipſum aperire, qui tum illud valet, cùm vtile cenſet. At-

que eâ de causâ confessiones publicæ in quibusdam casibus, vt suprà ostendimus, fuêre licitæ; quamuis nulla vnquam Ecclesiastica lex extiterit, fideles obligans ad occulta delicta publicanda.

Tam sanctum est [b] Confessionis secretum, vt nõ à Presbyteris duntaxàt; verùm etiam ab ijs qui merè fortuitò, & illis qui ex malitiâ, & datâ operâ, Confessionem audirent, seruari oporteat. Si Pœnitens vtitur interprete; hic ad secretum tenetur. Si laïco confiteatur, laïcus sine crimine non potest auditas sic culpas reuelare. Hoc solùm interest, quòd tribus variis rationibus fractione sigilli sacerdotibus interdicitur, cæteris verò, solo iure naturali. Confessori non licet proferre, nequidem in genere, suum Pœnitentem confessum esse sua peccata mortalia: quia venialia tantùm potest commisisse.

Neque etiam fas est eidem Confessori vllatenùs designare venalia pœnitentis, in Confessione audita; ex naturâ enim venialium, quibus hic esset obnoxius, inferri posset quòd illi ipsi foret detrimento. At non est illicitum, dicere pœnitentem, in genere benè confessum om-

nia peccata ſua, vel declaraſſe omnia ſua venialia; notiſſimum enim eſt, quamlibet Cõfeſſionem materiam ſuam ſupponere, quæ ſaltem in venialibus culpis conſiſtit.

Tandem rebus tanti ponderis ità prouidit Eccleſia, vt etiam in licitis, velit Sacerdotem adeò diſcretè prudenterque ſe gerere, vt ex eorum vſu mali nihil vnquam valeat contingere.

Si Pœnitens conceſſerit aliquid Reipublicæ grauiſſimum, ex ijs quæ confeſſus eſt, declarari, vt Confeſſor omni ſuſpicione careat, poſtulat Pœnitentem, licentiam à ſe factam confeſſori circà hoc, coram teſte recognoſcere.

Si alterâ viâ nôrit quæ Pœnitens aperit per confeſſionem, vti quidem poteſt iſtâ notitiâ; non debet tamen, niſi id Reipublicæ bono ità ſit vtile ac neceſſarium, vt eius teſtimonio carere non poſſit; atque tunc tenetur patefacere media, quibus, alterâ quàm per confeſſionem viâ eius rei de quâ agitur cognitionem aſſecutus eſt; vt vitet labem iniuſtitiæ in ſeipſum, quam incurreret, ſi, vt alteri iuſtitiæ actui indulgeret, famæ faceret periculum.

[a] *Vide quæ ad cap. 15. pag. 142. edit. 2.*

lin. 19. *diximus in prologo.*
[b] *Vide quæ ad eiusd. cap.* 15. *pag.* 146. *lin.* 9. *diximus in prologo.*

CAPVT XVI.

De ſatisfactione Deo debitâ pro peccato.

PECCATVM Adæ, trinæ nos ſatisfactionis, Deo debitores conſtituit. Primæ, pro culpâ peccati, ſecundæ pro æternâ pœnâ, quæ illam culpam ſequitur, eique annexa eſt. Tertiæ, pro pœnâ temporali, cui poſtquàm ab æternâ nos Deus abſoluere dignatus eſt, obſtricti remanemus.

Duæ priores ſunt ſtricti iuris, tertia proficiſcitur ex gratia & miſericordia.

Sanè cum rigoroſa ſatisfactio, offenſæ proportionari debeat; certum eſt, Deo per peccata noſtra offenſo, infinito exiſtente, ad iuſtitiæ pondus & æqualitatem ei non poſſe ſatisfieri, niſi perſona æquè infinita illi pœnas dederit. Hinc factus eſt locus Incarnationi Verbi Dei quod noſtram ſibi naturam copulauit, vt infinito ſui ſanguinis pre-

tio, à culpis, & æternis, quibus hæ ſubdiderant homines, ſuppliciis, eos liberaret.

Quod ſpectat ad tertiam ſpeciem ſatisfactionis, cùm non ſit inſtituta niſi ad compenſandam ſenſibilem voluptatem, leuem non infinitam, ab homine captatam ex peccato; vt per perſonam infinitam fiat, rigor iuris nequaquam requirit; ſed Deus, licèt ex gratiâ tantùm, hominem ad eam per ſe ſoluendam admittit. Quod quidem duobus modis implere fas eſt, nimirùm vel pœnitentiam à Confeſſore ſuo iudice impoſitam peragendo; vel proprio motu, pro expiandis culpis, pœnas cruceſque à ſe repetendo.

De hac tertia ſatisfactione agitur; quæ vocatur Sacramentalis; quia Sacramenti Pœnitentiæ pars eſt, atque eam acceptae perficereque tenetur Pœnitens, vel per ſe, ſi poteſt, vel per alium, ex conſenſu ſui Confeſſoris.

Duæ hac in re quæſtiones præcipuæ tractandæ ſunt. Prima; Nùm pœnas ſenſibili delectationi, quam ex peccato cepiſſe Pœnitentem iudicare poteſt Cõfeſſor, correſpondentes, debeat ei im-

ponere. Secunda, num impoſita pœnitentia Sacramentalis valeat à Pœnitente extrà ſtatum gratiæ compleri, dato quòd antè illam perfectam, in peccatum mortale ſit relapſus.

Ad primam Reſpondetur, quòd cùm iſta ſatisfactio ſit ex gratiâ, non tenetur Confeſſor eam proportionare omninò valori delectationis ſenſibilis ſui Pœnitentis, cuius menſuram ſcrutari, habereque, ei impoſſibile eſt. Sufficit, ſi eum parêre paratum, ſubiectumque Eccleſiæ reddat, quaſdam ipſi iniungendo pœnas, authoritate illius; quod iuſtæ offenſarum æqualitati deeſt, contritionis pœnitentis dolore, confuſione confeſſionis, ieiunijs, alijſque aſperitatibus, quibus ipſemet in ſe animaduertere poteſt; ſicut etiam generalibus Eccleſiæ ſatisfactionibus, ſupplendum relinquendo.

Ad ſecundam, ſatisfit dicendo ſacerdotem non obligare pœnitentem, niſi ad ſubſtantiam eorum quæ pro ſatisfactione iniungit, non autem ad modum. Optat quidem, vt in ſtatu gratiæ ea perficiat, ſed minimè aſtringit ſub pœna noui peccati.

Digitized by Google

Superest vt sciamus, si talis pœnitentia in statu peccati impleta satisfactoria esse possit pro pœna temporali, ob quam imposita est.

Cùm opera in peccato facta, mortua sint, Pœnitentia in eiusmodi statu peracta nullius, pro soluendis pœnis temporalibus, efficaciæ videtur esse posse. Nihilominùs, non secùs ac, quas ex simplici motu gratiæ actualis, peccator operatur actiones, eæ non merentur ex se & de condigno gratiam iustificantem, & tamen ex nimiâ Dei bonitate, seu de congruo, eam merentur; cùm deceat, vt motionibus sanctis quas inspirauit, effectum successumque largiatur; sic satisfactio, à Pœnitente in culpam relapso, antequàm perficeretur, acta, recipitur à Deo, pro expiatione pœnarum temporalium, solâ bonitatis suæ gratiâ, quanquam ex iustitiâ illud prætendi non potest.

His duabus tertiam quæstionem addere licet, nùm qui ex professo pœnitentiam à Confessore impositam obmitteret, esset absolutus. Huius difficultatis decisio pendet ex statu in quo versabatur, quando absolutionem suscepit.

Digitized by Google

Si tunc non intenderit implere pœnitentiam, non est absolutus; intentio enim illa non parendi, peccatum est, quo constat istum de culpis suis verè non doluisse.

Si contrà, quamuis posteà eiusmodi intentionem amittat, manet absolutus; sed nouum delictum admittit, quòd confessoris sui iussionibus non faciat satis.

CAPVT XVII.

De *vtilitate redundanti ex frequenti participatione Sacramenti Pœnitentiæ.*

TRES illæ, de quibus egimus, Pœnitentiæ partes, illius Sacramentum constituunt, cuius vsus frequens non minùs vtilis est, quàm in casibus quibusdam absolutè necessarius. Baptismus prima Paradisi clauis appellatur; Pœnitentia, secunda. Baptismus, prima post naufragium in Adam, tabula; Pœnitentia, secunda post illud, quod nostris actualibus peccatis, quæ gratiâ

nos priuant, incurrimus. Vnde fit, quòd, de rigore iuris diuini positiui, ijs tantùm necessaria est pœnitentia, quos in mortale aliquod peccatum actu cadere contigerit: cùm illud solùm, gratiam merito passionis filij Dei nobis acquisitam, & primò per baptismum acceptam, à nobis-ipsis auferat.

Eo tamen non-obstante, habito respectu ad ius positiuum Ecclesiasticum, certis quibusdam temporibus & casibus, tenetur quilibet confiteri, quamuis nullius peccati lethalis, sed venialis tantùm reus inueniatur. Hinc est, quòd, idem præceptum, quo ad Sacratissimæ Eucharistiæ communionem, tempore Paschali, obligamur, ad Sacramentum Pœnitentiæ etiam nos vrget, quod præparationis locum habet, ad eluënda peccata, vt sic dignè communicemus Corpori & Sanguini Domini.

Imò licèt quis peccatum nullum admisisset, cuius confessio esset absolutè necessaria ad communicandum cum effectu; quamuis etiam à venialibus abstinuisset, (quod supponere, ratione fragilitatis naturæ nostræ corruptæ difficile est) nihilominùs teneretur sisti-

re ſe coràm Parocho, ſupradicto tempore, ad declarandum conſcientiæ ſtatum, ſtandumque eius iudicio; ſic ſatisfaciens Eccleſiæ mandato ità decernenti atque volenti, vt fidelis quiſque in tempore eiuſmodi, per talem Religionis actum, debitam Paſtori ſuo ſubjectionem teſtetur. Quo caſu, de peccatis iam confeſſis quædam (ſi alia declaranda deſint) confiteri poteſt.

Quæretur forſan, ſi iam in confeſſione declarata, atque remiſſa peccata, nouæ confeſſionis materia ſufficiens eſſe poſſint.

Reſpondeo multotiès de ijſdem culpis fructuosè poſſe fieri confeſſionem: Eſt enim verum medium humiliationis augendæ in dies, ex nouâ recordatione delictorum; At ſemel tantùm abſolui poteſt quilibet ab illis, cùm Deus ad culpam ampliùs non imputet, quod priùs remiſit, quo non obſtante, ſacerdos poteſt iterare verba abſolutionis ſuper peccata eadem, abſque cenſurâ prolationis inutilis, in tali caſu: quandoquidem primarius & proprius eiuſmodi verborum effectus, eſt productio gratiæ ex ſe peccati remiſſiuæ, & il-

lud actu remittentis, si occurrat. Quod si minimè, primarium nihilominùs, (& si per accidens non secundarium) verba absolutionis effectũ suum obtinent. Vbi prima absolutio primam produxit gratiam, quæ actu remisit peccata, secunda absolutio etiam secundam gratiam operatur, eiusdem speciei cum prima, id est gratiam, quæex se est remissiua culpæ, & quę cùm remittere illam non potuerit, ex eo solo quòd nullam habuerit obuiam, auget primam gratiam, quæ culpam ipsam remiserat.

Si ad hæc addatur, hominem vix vnquam ab omnibus venialibus peccatis, licèt eiusmodi non aduertat, esse immunem, cùm ordinariè sub defectuum naturalium vmbris illa latitent, nemo dubitabit, cum effectu & veritate, à Sacerdote, Pœnitentiæ verba Sacramentalia proferri. Possem, cum quibusdam, asserere huius vsum Sacramenti ità necessarium, vt non modò quotannis semel, vi præcepti Ecclesiæ; sed etiam toties quoties, & statim ac illud esset possibile post lapsum in culpam lethalem, teneretur quiuis ad eum recurrere. Sed quemadmodùm fauores ampliandi, quantùm

per rectam rationem fas est, sic pœnæ seu obligationes similiter restingendæ.

Hinc intrepidè dico, quamuis citò nimis fateri nequeat peccatum mortale, qui illud admisisse se aduertit, nequaquam tamen teneri sub pœna noui peccati, nisi etiam in periculo mortis euidenti se versari videat; In hoc enim casu, cùm damnationem æternam fugere, salutique impensè consulere, vnicuique necesse sit, absque crimine differri minimè potest Confessio, si possibilis, aut (si desit Sacerdos) contritio tentata & formata toto conatu, cum proposito, datâ primâ occasione, confitendi,

Talis est Doctrina Diui Thomæ, & quidem si qui in mortis periculo versatur, nequeat, nisi vt homicida sui-ipsius, Medicum corporis negligere; quantò potiori iure sceleratior erit, qui se mortifero crimine infectum sentiens, sub occasione imminenti & proximâ vitam amittendi, post quam perditam non est vllus peccati curandi locus; Medicum animę nempè Sacerdotem aduocare pigritabit, vt morbũ ei aperiat cui ipse medeatur.

At velut æger sui ipsius homicida censeri nequit quòd ad primam inuasionem

morbi medicum non aſciuerit, cùm non eſt ratio, periculoſum eum vel lethalem iudicandi; ſic nec noui criminis damnandus pœnitens venit, ſi lapſus in culpam mortalem, illicò non confiteatur. Verum quidem eſt, quòd periculo mortis ex improuiſo ac ſtatim ſubeundæ cùm putatur remotior (vt aſſolet) ferri debet ad hoc, vt, quàm minimum poteſt, differat recurrere ad remedium, quod illi ſit, & quidem ex inſtituto Chriſti, contrà mortem æternam præſidio.

Si pagani [b] ipſi nouerint cùm, vbinam mors non expectet, ignoremus, noſtrum eſſe eam vbique expectare; quid hac in re Chriſtianis facto non eſt opus.

S. [c] Gregorius aſſerit Deum horam noſtræ mortis ideò nobis incognitam eſſe voluiſſe, vt quò occultior eſt, eò præſentior habeatur; atque orationi eò feruentiùs inſtet quiuis, ac obire ſit paratior, quò magis incertus quâ horâ vocandus ſit.

Cùm apud me cogito, miſerum Achan [d] Filium Charmi, qui regulam auream clàm tulerat de Anathemate vrbis Iericho, gratiam inuenire non potuiſſe coram Ioſuè, miſeréque lapidibus obru-

tum, licèt peccatum fuisset confessus; quoniam id, non nisi convictus, extrà facultatem illud celandi fecerat; & coactus duntaxat, qui, ad veniam, ingenuus & vltroneus facere debuisset; totus contremisco pro illis, qui ad Confessionem, horam mortis expectant, timeoque ne loqui velint cùm non aderunt qui auscultent, aut potiùs loqui nequeant, quando illis maximè erit necessarium.

Vereor ne miserum imitentur Antiochum[e] & in mortis articulo, culparum veniam expostulent, quam non valeant obtinere, quòd verum de illis pœnitentiam non egerint. Argumento fusiori opus non est, vt probemus ei qui gratiam sectatur, sæpius ad ea quę illam conferunt, recurrendum esse.

Quemadmodùm, nisi sæpius mundetur, domum luculentam seruare impossibile est; sic animam à peccato liberam, nisi homo pœnitentiæ Sacramento passim vtatur.

Tersum quotidiè ferrum, ferruginis contrahendæ capax non est: similiter, licèt quæ pœnitentiâ crebrò purgantur animæ, aliquando maculis quibusdam inficiqueant, rubiginem tamen pecca-

ti numquam possunt induere: id est peccatum tenax, & intima penetrans; statim enim atque conceptum sentitur, suffocatur; quod impedit, nè eius impuritas obducat æruginem, quæ subiectum cui adnascitur, erodit.

Non est anima sic adamantina, quæ potentis remedij, quale est Pœnitentiæ Sacramentum, applicatione non emolliatur: Non est ad pedes Confessoris sæpè prouoluta, quæ frequenti lapsus eiusdem repetitione verecundata, ab illo non abstineat, caueatque videri incorrecta. Sicut non est tam obfirmata, in quâ hoc Sacramentum effectus non operetur, modò illa requisitâ dispositione constet: Similiter non est, vel mediocriter mollis, quæ non liquescat dolore. velut igne cera, cùm defectus suos noxasque sæpissimè perpendit.

Confessio, antidotum est æquè salutiferum contrà futuras, ac excellens catarcticum aduersùs præteritas culpas. Pauci malè habentes inuenientur, qui, vt infirmitati suæ medeantur, annum expectare velint, si de sanitate mox recuperandâ ex remedijs sibi propositis certiores sint. Qui mente valebunt ne momentum

quidem in aliud tempus protrahent vsum remediorum eiuſmodi, ſi ea virtute tantâ pollere nôrint. Atque iccircò amentiſſimum eſſe oportet eum qui ad Pœnitentiam, quæ recipere volentibus ſanitatem ſibi neceſſariam, certò eis ipſammet confert, ac in illis corroborat receptam, ſæpiùs non recurrit.

Hac de cauſa, eiuſmodi, nec non Euchariſtiæ Sacramentum frequentari expreſſè iuſſiſſet Eccleſia, niſi ad id, quod omiſſione præcepti ſui violatum eſſet, obligare fuiſſet verita, aut certè præcepti iſtius obſeruantiam, ſacrilegio, quod plerique ſubſtantiam horum Diuinæ bonitatis Sacrorum ſignorum, non verò fructum recipiendo, admisiſſent, annectendam fuiſſe.

Peccatum non citò curatum Pœnitentiâ, cùm alterum ſuo pondere ſæpè trahat, quemadmodùm docent Patres, & ſæpè ſæpius probat experientia: frequentem Sacramenti Pœnitentiæ vſum, non vtilem modò; ſed etiam neceſſarium eſſe, ad mundandam peccati lepram & muniendam animam contrà fœditatem, liquet.

Ergò à Confeſſione non eſt abſtinen-

dum, quoniam iniuſtitiæ ſatis in conſcientia eſſe non creditur, vt recurratur ad hoc Sacramentum. Nec à Communione temperandum alicui, quòd iuſtum ſatis ad hoc ſe minimè ſentiat. Neque differenda Confeſſio, quoüiſque lethalibus culpis affectos nos cognoſcamus, licèt venialium multarum reos. Et dubio procul inuia & periculoſa illi calcarent qui à Communione abſtraherent ſe, nullis peccatis mortalibus infectos (quæ ſola obſtant gratiæ productioni) quaſi infirmitates reliquæ eos Auguſtiſſimi illius ac Sanctiſſimi Sacramenti participatione indignos redderent.

Paululùm huic materiæ inhærendum mihi videtur, quod frequentis Communionis eſt, etiam diſcutiendum differendo in eum locum, vbi de eâdem dicturi ſumus.

[a] *Supplem. 3. p. q. 6. art. 5. in corp. vbi fusè hanc tradit & explanat. Vide ibi quæ hîc inſerere nimia prolixitas non permittit.*

[b] Lucius Annæus Seneca ep. 26. lib. 3. ſeptimâ, operis in fol. pag. 222. vbi ſub finem Epiſt. ſic ait.

Iunior es, quid refert? non dinumerantur anni, incertum eſt, quo te loco mors expectet.

Itaque tu illam omni loco expecta

[c] Tom. 2. in fol. inter 4. Homil. 13. in Euang. Lucæ, ſint lumbi veſtri præcincti, eo vbi ſic ait.

Horam verò vltimam Dominus noſter idcirco voluit nobis eſſe incognitam, vt ſemper poſſit eſſe ſuſpecta: vt dum illam præuidere non poſſumus, ad illam ſine intermiſſione præparemur. proinde fratres &c.

[d] Ioſuë. 7. v. 24. & cæteris vſque ad finem.

[e] 2. Machab. cap. 9. v. 13. & 28.

[f] D. Ambroſius in pſal. 1. vbi ait.

Cauenda ergo ſunt vitia, ne in p ura deinde grauiora proſerpant, &c.

Vide in iure q. 3. de pœnit. diſt. 1. cap. Medecina, & cap. Deus item diſt. 3. cap. adhuc inſtant. item diſt. 7. cap. ſi quis.

D. Chryſoſtomus lib. contra gent. in tom. Græcolat. ad Antiochenos, vbi hęc habentur, pag. 750.

Οὕτω καὶ ἡ τῆς ἁμαρτίας φύσις ἐπιδοῦν τίνος λάβηται τῆς ψυχῆς λογισμῶν, καὶ μηδεὶς ὁ σβεννύων ᾖ τὸ κακὸν, προϊοῦσα περιτρέπει χαλεπωτέρα γίνεται καὶ δυσχειρωτος, *id eſt, ſic & peccati natura, vbi animi cogitationem aliquam adorta eſt, nec quiſquam eſt, qui malum reſtinguat; procedens vlteriùs grauior certè, ac magis*

Digitized by Google

indomita efficitur [& poſt pauca]

Οὕτω γοῦν πολλοὶ εἰς πᾶν εἶδος ἁμαρτημάτων ἐλθόντες ἔλαθον, ἐπειδήν πως φλόγα ἀρχομένην οὐκ ἔσβεσαν, *id eſt, ſic igitur complures videas in omne peccatorũ genus prolapſos, quòd flãmam initio exorientem non reſtinxerint.*

CAPVT XIIX.

Quod vtile ſit confiteri, etiam cùm peccatorum venialium duntaxàt ſumus conſcij.

QVi numquam confiteri volunt, niſi maximæ iniuſtitiæ, id eſt peccatorum mortalium ſibi conſcij, ferè ſemper in iniuſtitiâ, cùm ea carere ſe putent, permanent; quia eò faciliùs ſuccumbunt dæmonum tẽtationibus, quò ſe priuant fructibus Sacramentorũ, ab illis nos deffendentium; & in noxis venialibus, quæ charitatem minuunt, diu reſidentes, eam ſæpè penitùs perdunt iuxtà doctrinam D.ª Auguſtini docentis eum qui venialia contemnit, facilè in mortalia cadere. Quanquam abſolutè opus non eſt confiteri niſi peccata lethalia, vt ſuprà explicauimus; nihilominùs cùm culpæ leuiores grauioribus ortum præparent, venia-

lia non omittere vtiliſſimum eſt.

Dicitur fortè, quòd cùm mortifera non exiſtant, hominis perditionem non poſſint cauſare; verùm ſi attendatur, iſta licèt ex naturâ ſuâ non valeant charitatem extinguere, tamen ita minuere ardotem eius, vt defectu feruoris ex illis dato, tantò audaciùs in nos dæmon inſurgat, quantò illi plus roboris addit noſtra imbecillitas; id innoteſcet nimirum, dum multâ cùm anxietate nequaquam illa perueſtiganda ſunt, non etiam negligenda; maximè cùm minimorum morborum incuria, eos aliquando inſanabiles reddat; & ſcintilla contempta, irremediabilia ſæpe excitet incendia.

Non irruit diabolus in religioſiores cõſcientias per enormia flagitia; nouit nimis id ex animo ſibi minimè ſucceſſurum: at in delicta parui momenti eas adigit, vt in grauiora deinceps præcipitet.

Vnde volens Deus, mirabili prouidentiâ dolos illius omnes anteuertere, non ſolùm contulit Sacerdotibus facultatem abſoluẽdi peccata mortalia, quamuis ſit id præcipuus eius finis: ſed generalem poteſtatem remittendi omnis generis peccata, vt malorum omnium, quibus

obnoxij esse possunt, hominibus præstò sit remedium. Eiusmodi veritas ansam præbet Concilio Tridentino docendi expressis verbis, licèt venialia, alijs plerisque à confessione modis, deleantur, de illis tamen vtilissimè fieri Confessionem.

Authoritas tanta sine crimine hæreseos in dubium vocari nequit. Et quidem si quis huius sanctæ Synodi decreta contemneret, quòd comparatione antiquiorum recentiora sint, id sanè ageret perperàm, cùm eadem semper, eiusdemque Ecclesiæ, Spiritu veritatis animatæ, sit authoritas; & quod nunc antiquitatis prærogatiuâ gaudet, minùs veritatis, in ortu suo, minimè habuerit, cùm vetustatem hanc nondum assecutum esset; adde in eiusmodi materiâ Concilium Tridentinum nihil asserere, quod Ecclesiæ [c] Doctores celeberrimi longè antè non docuerint.

Mitto [d] Clementinam, quæ saltem semel singulis mensibus, peccata sua venialia, Religiosos confiteri vult & iubet cùm enim Tridentino, viginti quinque [e] aut triginta annis tantùm Superior sit, pro eodem decreto atque doctrinâ duxi accipiendam.

Sed non omittam magnum Sanctum
f Thomam eiuſmodi veritatem tradidiſſe antè annos ab hinc ferè quadringẽtos. Ex eo quod noxæ leuiores ſunt materia Pœnitentiæ, colligit eaſdem eſſe materiam Confeſſionis. Si Deus de illis nos pœnitere præcipiat, infert, ad eius bonitatem pertinuiſſe, vt eodem remedio, quo maiora purgantur crimina, ab illis ſeruari liberarique concederet.

D. Bonauentura S. Thomæ coæuus, eiſdem inſiſtit veſtigiis; dum ait, etiam ſi ad venialium peccatorum confeſſionẽ nullo præcepto teneamur, ex conſilio tamen faciendam eſſe. Ac licèt id non ſit neceſſe, eſſe tamen congruum.

Veritas eiuſmodi adeò in ſcholis trita eſt, quod tantũ abeſt vt ſubtilis ille, qui D. Thomæ gloriæ duxit aduerſari, in hoc illi vnquam repugnet; quin potiùs cum eodem illam tueatur.

Theologi omnes pariter eam poſteà propugnârunt, fueruntque nonnulli, qui doctrinam hanc non modò tam veram, ſed & tantis nixam putauerunt authoritatibus, vt etiam antè Concilij Tridentini definitionem, contrariam deffendi minimè potuiſſe, abſque notâ hæreſeos

affirmare non dubitauerint. Ac eiuſmodi ſententia adeò communiter in Eccleſia recepta eſt, vt nemo Catholicus ei refragetur.

Etiam antequàm S. Thomas ſcholas illuſtraſſet: qui cas[g] occuparant, omnem hac in re dubitandi locum amputauêre.

His viam ſtrauerant antiquiores Eccleſiæ Patres. Author[h] libri de verâ & falſâ pœnitentiâ eleganter ait, ſi ratione leuitatis ſuæ peccata venialia contemnenda ſint, multitudine ſua terrere debere; & confeſſionem primam illorum medicinam exiſtere.

Addit, ſi fluctuare incipias, confitere inchoatam inconſtantiam, nè merſionem iacturamque integram cogaris deflere. Adeò expreſſè eiuſmodi termini conueniunt propoſito, vt hoc loco, peccatorum venialium confeſſionem, ad vitanda per eam mortalia, ſuaderi declaret Adrianus Papa.

Poſtquàm de mortalibus & venialibus fusè diſſeruit venerabilis[l] Beda perorat his verbis: tutius eſt ac perfectius manifeſtare ſacerdoti vtraque, quærendo remedium ab his, quibus Deus ligandi atque ſoluendi poteſtatem commiſit

S. *m* Cyprianus hac in re adeò religiosus est, vt cogitationes velit confessione declarari. Et ne respondeatur, eum intelligere cogitationes tantùm quæ gratiam auferunt; alibi dicit, de minoribus delictis, culpisque leuioribus, tùm pœnitentiam tùm confessionem faciendam esse.

Nempè, quoad confessionem inter mortalia & venialia peccata discrimen aliud non est, nisi quòd mortalia sunt materia necessaria confessionis; id est, materia sola, quæ istam pœnitentiæ partem in re vel in voto requirit; cùm aliàs venialia sint materia libera duntaxàt, quatenùs qui de eâ confiteri potest, ad id absolutè non tenetur.

Vnde " Theologi subtiliter distingunt, ac solidè; affirmantes, sacerdotes valentes remittere peccata venialia, sicut mortalia, ea non æquè retinere posse; cùm vnico charitatis actu, vel doloris summi de auersione à Deo vel aliâ viâ eius modi, venialium remissio obtineri queat contrà verò si absolutionem à mortali sacerdotes denegent, non supersit (de potestate ordinariâ) alius illud purgandi modus; quandoquidem Contritio, propositum

propoſitum confitendi, (cùm licebit) ſupponit.

Adeò perſpecta atque probata eſt eiuſmodi veritas, etiam prioribus Eccleſiæ ſæculis, vt ſuis exemplis, ad pœnitentiæ Sacramentum recurrere, cùm leuibus tantum oneramur culpis, Patres adhortentur.

Sancti Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & tot alia Eccleſiæ lumina, quibuſcum benè actum non fuiſſet, niſi, quotidiè propemodùm, ad altaria, pretioſum corpus ſui Saluatoris, cibumque atque ſolatium animarum ſuarum recepturi acceſſiſſent; ità-nè frequenter, vt ex Eccleſiæ conſuetudine agebant, ad ſacerdotum pedes ſe abieciſſent Deo reconciliandos, niſi delicta venialia, ſufficiens Confeſſionis materia foret? Nemo quotidie, ſe mortalium reos, illos reperiſſe exiſtimabit. Nemo item ſui muneris in hoc ignaros fuiſſe; Et quidem ab errore ſuo Eccleſia eos excitaſſet. Sed tantùm abeſt, vt ſic ſe habuerit, erga illos patres, quòd contrà, eius vſus illorum conſuetudinem firmet, vt patet manifeſtè ſatis, ex tot piorum ſacerdotum confeſsione, quotidiè miſſam celebrantiũ.

[a] Tom. 9. tract. 24. in Ioan. & in iure decret. 1. part. dist. 25. cap. vnum orarium: Sed in ijs quæ per modum postillarum subscribuntur; vbi sic loquitur,

Nullum peccatum est adeò veniale, quod non fiat criminale, dum placet.

Vide sequentia vsque ad finem capitis.

[b] Sess. 14. c. 5. aliquantò post initium, vbi ait;

Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quanquam rectè & vtiliter, citráque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum vsus demonstrat; taceri tamen citrà culpam, multisque aliis remedijs expiari possunt.

[c] Augustinus lib. de vera & falsa pœnitentia, & citatur in iure de pœnit. cap. adhuc instant, dist. 3. & cap. de quotidianis, dist. ead. *Magister, Iuo*, Concil. Toletan. 4. c. 9. & alij. quos vide infrà hoc eod. cap.

[d] Ne in agro. §. sanè de statu Monachorum, in Generali Concilio Viennensi sub Clemente. 5.

[e] Vide quæ ad cap. 18. pag. 168. edit. 2. lin. 13. diximus in prologo.

[f] 3. part. q. 84. art. 2. ad 3. vbi sic habet

De peccatis autem venialibus eſt quidem pœnitentia propriè, inquantum ſunt noſtrâ voluntate facta: [Vnde tacitè infert quod hîc aſſeritur, contra argumentum oppoſitam; & addit] *non tamen contrà hæc principaliter eſt hoc Sacramentum inſtitutum.*

g Petrus Lombardus ſentent. Magiſt. in 4. diſt. 16. in epilogo. Alexander Halenſ. ſanctorum Bonauenturæ & D. Thomæ præceptor; Albertus Magnus in 4. diſt. 16. ſub finem art. 54. & diſt. 17. art. 28. & alij.

h Tom. 4. apud D. Auguſtin. in appendice, eiuſd. lib. cap. 8. vbi, ſtatim ab initio, dicit;

Pœnitentia baptiſandis non eſt neceſſaria; ſed baptiſatis, de maioribus & minoribus peccatis pœnitendum eſt [Et infrà] *Hæc peccata etſi ſint parua per Dei miſericordiam, fiunt magna in peccantibus, negligentia. Nullum enim peccatum adeò paruum, quod non creſcat neglectum. &c.*

i. Apud D. Bonauent. ſic refertur ex D. Aug. *Si cœpiſti fluctuare, confitearis motum, ne plangas ruinam.* Vide in 4. diſt. 17. ad art. 2. q. 1.

l In Commentar. ad cap. 5. epiſt. canon. D. Iacobi ſuper illa verba. Con-

fitemini alterutrum &c. vbi ait.

Tutius est tamen & perfectius vtriusque generis peccata sacerdotibus pandere, & consilium medicinæ ab eis quærere, quibus concessa est potestas ligandi & soluendi.

[m] Lib. ad Nouatianum hæret. quòd lapsis spes veniæ non est deneganda. à pag. 440. Impress. in fol. anno Domini 1574. vsque ad finem. vbi ait ;

Dic tu facinora tua vt iustificeris. Præmanu sit vobis oratio illa exomologeseos plena [& suprà] *Mundemus domum nostram munditiâ spiritali ; vt secreta quæque & abdita pectoris nostri vero Euangelij lumine radiata dicant : Tibi soli deliqui ; & nequissimum in conspectu tuo feci &c.*

Vide etiam in iure, quæ de tract. de mortalitate eiusd. Sancti habentur. q. 3. de pœnit. dist. 1. cap. *Numquid.*

[n] D. Bonauent. videatur in 4. distr. 17. q. 1. Scotus ibidem art. 2. & 3. Dominicus Soto in 4. dist. 18. q. 4. art. 2. ad 3. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 7. q. vnica. Palud. dist. 19. q. 2. art. 3. & alij. inter quos loco citato saltem hæc habet. D. Bonau.

Quamuis de ratione sui generis, non sit ea confiteri necessarium ; tamen confiteri congruum est, maximè viris perfectis. Quia

vtile est multum: & pœna illis debita minuitur ex vi clauium. Hoc est igitur de venialibus generaliter dictum.

CAPVT XIX.

De vtilitate frequentis Communionis.

QVemadmodum Sacramentum Pœnitentiæ, ad restituendam animæ vitam per peccatum ablatam, institutum est, sic ad conseruandam eam, Sacramentum Eucharistiæ. Etenim sicut esca quælibet corporea mortuis inanis est, ità Eucharistia solis prodest vitâ gratiæ viuentibus. Eam ob rem S. [a] Hieronymus, Panem Robustorum eam appellat; hoc est, panem gratiâ corroboratorum; multique alij Patres, viuorum Sacramentum.

Non secus ac Pictor volens tabellam quæ temporum iniurijs non cedat, effingere, illam colorum impressionibus multis imbuit: Similiter peccati impetus fortiter superandi medium singulare est, gratiam super gratiam recipere, ex vsu frequenti Eucharistiæ, post debitum Pœnitentiæ. Vnde tam sanctam vali-

damque gratiæ contingit impreſſionem fieri, vt nunquam deleatur. Communionis fructus æquè mirabiles ac varij: augmentum enim gratiæ homini procurando, eidem ad altiorem gloriæ gradum illa ius confert; ac proinde ad bonorum omnium maximum, quibus fruendi, Chriſtianis facultas eſt.

Merces iſta, Dei electis præparata, cùm à principio, quo illam meremur, menſuram habeat; manifeſtum eſt eas quæ gratiâ plus hîc abundabunt, animas; in cœlo, vberiori etiam gloriâ donandas eſſe. Atque ideò qui cùm diſpoſitione debitâ frequenter communicant, emolumentum non mediocre referunt, præ illis, qui rarò ad Saluatoris Mundi menſam accedunt,

Vt cibus quotidiè ab homine ſumptus defectum humoris radicalis vitæ eius, ſingulis momentis, ab actionibus illius inordinatis contingentem, reſtaurat; ſic proprium Communionis eſt reparare damna, quæ paſſionum noſtrarum vitia, in animâ, omnibus inſtantibus, operantur.

Sacroſancta Euchariſtia verè ſupplet fructum arboris à Deo in medio Paradiſi

Terreſtris ſituatæ, ad ſeruandam in perpetuum vitam hominum, qui, eo fine, diebus intercalatis, de illo comeſturi erant; cùm vitam gratiæ foueat in illis, qui ſæpè eam recipiunt; atque ad vitam gloriæ numquam perituræ illos præparet.

Iſta eſt veteris manna legis, cuius ordinarius vſus filios Iſraël tuebatur vitæ ſuperſtites, & illos etiã à morbis cùm eo vſi fuêre liberauit; quandoquidem qui cùm diſpoſitione debitâ hunc cœleſtem cibum crebriùs deguſtant & ſapiunt, in verâ vitâ ſpirituali cuſtodiunt ſe, & à peccato, quod eſt verus animarum morbus imò & interitus, præſeruantur.

Ros[b] ille ſanctus, quem olim populo ſuo largitus eſt Deus, ſaporem quemdam naturalem omnibus communem continebat, ſpecialem verò pro iuſtis, qualem eorum quilibet cupiebat: Ita præter guſtum ſpecierum panis & vini, ab omnibus diſtinctè cognitum, iuſti inueniunt in Euchariſtiâ, quales & quotquot deſiderant; quia nimirùm illa cuilibet virtutem ac robur confert aduerſùs varios paſſionum quibus impetitur, aſſultus.

Si in mille venialia peccatta appetitus nos vtriuſque inordinata libido propellit, quæ non euertentia nos penitùs dono bonoque charitatis, ardorem tamen eius, perfectionis vitę ſcaturiginẽ, tepefaciunt; S. Ambroſius docet frequentem Communionis vſum ab illis nos eximere; certumque eſt Euchariſtiam peccatorum venialium culpas remittere, ac non modò eorum pœnas minuëre, ſed etiam mortalium.

Miros hoſce effectus, vt Sacramentum & Sacrificium ſimul producit. Culpam delet quatenùs Sacramentum; multiplicando enim gratiam etiã charitatis Deo reconciliantis feruorem auget, à quo non nihil remouet, at non diuidit, veniale. Minuit etiam, vt talis pœnam peccati quòd gratiæ nec non feruoris charitatis augmentum excitet in homine dolorem de peccatis, quem Deus pro illis ſolutionem acceptat. Verùm vltimum hunc effectum ſpecialiter ſortitur quatenùs ſacrificium; preces enim & ſuffragia, ad impetrandum remiſſionem aliquam pœnarum temporalium peccati, leuium vel grauium, iuxtà proportionem & menſuram deuotionis offerentis, apta ſunt;

Digitized by Google

ſacrumque altaris Sacrificium, ſuffragiorum Eccleſiæ efficaciſſimum eſt atque potentiſſimum, ratione dignitatis rei quam Deovictimat, ad iram eius placandā & miſericordiam conſequendam.

Sanctum hoc remedium non ſolùm eripit nos à malis contractis, ſed etiam deffendit à contrahendis & recontrahendis. Illud eſt quod intendit Filius Dei, cùm apud S. Ioannem ait: *Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit, vt ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.* Cùm verba iſta de morte corporeâ intelligi nequeant, à quâ non ſeruat Euchariſtia, de ſpirituali animæ neceſſariò intelligenda ſunt, nempè de peccato, à quo ipſa liberat.

Hunc effectum producit duobus modis; primò in Filium Dei, cuius ſubſtantiam nobis communicat, nos transformando; quod D. [e] Auguſtinus eleganter docet per hanc Apoſtrophen Saluatoris ad Chriſtianum[nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis]in me]ſecundò, ſic intendendo ardorem noſtræ deuotionis, vt vehementiores tentationes ſincera nos charitate præmunitos inuenientes incaſſum in noſipſos irruant. Hoc vult D. [f] Chryſoſto-

mus eiuſmodi verbis;[ab illa menſa recedimus facti dæmonibus terribiles tanquam leones ignem ſpirantes.]

Fides, Spes, & Charitas ex frequenti Communione maximè creſcunt; non eſt myſterium in his inferioribus, quod exercitij meritique anſam tantam præbeat fidei noſtræ, ratione difficultatis credendi, quod ſenſibus noſtris atque diſcurſui penitùs aduerſatur. Quicquid eſt hominis, eum fallit in hoc Myſterio, aure exceptâ, genuïno fonte fidei, quæ ſanctis Diuini Verbi oraculis impleta, certiorem reddit illum de his, quæ nec ſenſibus cernere, nec intellectu capere poteſt. Hoc in diſcrimine, vox de cœlo annuntiat voluntatem Dei, qui nequit velle quod non operetur, cùm ſit omnipotens; atque ità de anguſtiâ in quâ verſatur hominem iſtum eruit.

Euangelium, tres, inter alias, conuerſiones ſubſtantiales notandas refert. Primam, aquæ in vinum, in Canæ[g] nuptiis. Alteram aëris in[h] panes ac piſces, ad ſatiandas turbas. Tertiam quæ fit panis & vini in carnem[i] & ſanguinem Filij Dei, atque in Myſterium Euchariſtiæ.

Prima fuit rei viſibilis in rem viſibi-

lem; aquæ apparentis & veræ antè conuerſionem, in vinum, poſt mutationem, verum approbatum, quod miraculum eiuſmodi eò credibilius reddidit, quò oculis ſenſibile, & guſtu erat perceptibile.

Secunda fuit rei inuiſibilis in rem viſibilem; aëris viſum fugientis, in panes ac piſces, qui cùm oculis, manibus, & ore tractarentur, miraculum hoc teſtabuntur euidens, licèt primo difficiliùs agnoſceretur; quatenùs ex quâ panes & piſces eſſent producti materiâ, non poterat diſcerni.

Tertia eſt rei viſibilis in inuiſibilem: ſubſtantiæ panis & vini, quam videmus, in ſubſtantiam carnis & ſanguinis Filij Dei, quæ manet abſcondita ſub ſpeciebus panis & vini: quo fit, vt fides laboret magis in hoc myſterio, cùm non tantùm nil videat quo credendum confirmet; at contrà, quod cernit credendum, deſtruëre videatur, quia nihil obijcitur oculis, præter accidentia panis & vini, quę priorem tegebant ſubſtantiam, quam fides docet ibi amplius non adeſſe.

Mirabilis Deus in prodigijs ſuis. Alia ſunt miracula, quæ operatur ad fundan-

dam fidem, & alia quæ operatur ad explorandam, & merito augendam.

Priora, ſenſibus excellentia videri & eſſe debent, vt mentes noſtras ad credendam poteſtatem atque authoritatem illa operantis inclinent: Poſteriora, ſenſibus occulta, & rationi noſtræ contraria: vt eò ámpliorem dent locum merito fidei, quò minus homini, ſiue per ſenſus, ſiue per rationem, perceptibile eſt quod amplectitur.

Sic cum Apoſtoli adhuc rudes & tyrones eſſent in fide IESV-CHRISTI, quando in Cana aquæ in vinum conuerſio facta eſt; quod fuit initium ſignorum Chriſti-Ieſu còram Diſcipulis; congruum erat, vt euidenter eis appareret, quò tali miraculo, ad eum Meſſiam agnoſcendum, & ad credendum verbis eius inducerentur.

Dein roboratis illis in fide, ex eiuſmodi miraculo & aljs multis, ſecunda conuerſio aëris in panes & piſces, cognitu difficilior redditur, vt, quod ſenſus excederet, credere ſenſim aſſueſcerent.

Tandē ingeminata Diuinitatis Domini ſui cum recepiſſent teſtimonia, multiplicatis datiſque eorum obtutibus, miracu-

lis variis ; pridiè mortis ſuæ, miram panis & vini in corpus & ſanguinem ſuum conuerſionem operari voluit ; intellectu difficiliorem experimento ſenſuum, & rationis conceptu, omnibus anteà perpetratis ; vt perfectionis meriti gradum vltimum, qui conſiſtit in eo, quod non ſolum credatur quod minimè cernitur ; ſed etiam, quod cunctis apparentibus aduerſatur, eorum fidei tribueret. Dum ſolæ ſpecies panis & vini perſpiciuntur in eiuſmodi ſanctiſſimo Sacramento, reperitur verè ibidem caro & ſanguis Ieſu-Chriſti, quod tantum fidei exercendæ, & meritis augendæ locum præbet, vt ad ſacram menſam Saluatoris mundi ſæpiùs accedere impoſſibile ſit, quin augmentum non paruum indè fides ipſa recipiat.

Spes etiam noſtra hoc medio firmatur maximè ; cùm certum ſit, ſi credamus, vt conſtat, ſolam S. Petri [l] vmbram ægrotos ſanaſſe, & mortuos refuſcitaſſe ; tactaque oſſa [m] Eliſæi Prophetæ eundem habuiſſe effectum ; nihil eſſe quod de corpore Ieſu-Chriſti ſperare non debeamus, ſi ſacram eius ſæpè nobis procuremus vnionem.

Digitized by Google

Si Christianorum fiduciam erigit Apostolus, dicens vnum Deum esse, vnumque mediatorem Dei & hominum, Iesum Christum: si S.° Ioannes peccatores hortatur, vt animum non deponant, quòd aduocatum habeamus apud Patrem Iesum Christum iustum qui iugiter pro nobis interpellat: qui hunc mediatorem & Aduocatum in se semper habebit, poterit-ne spe destitui? Si descendit in terram, vt Mediator noster existeret, nonnè iure credemus eum talem futurum, eò efficaciùs, quò nobis interior erit?

Licèt in nobis sit, nequaquam de cœlo non exaudietur; seseque in animabus & corporibus nostris habitantem offerens Patri, non poterit referre repulsam suæ postulationis pro vtrisque, & certum est Deum nihil nobis necessarium denegare posse, si in ipsismet per personam, quam æternitas & tempus filium eius reddiderunt, se intueatur.

D. p Augustinus, tantâ subtilitate, quantâ soliditate, ostendit ab hominibus nihil sperandum esse; quia sæpissimè carent, aut fidelitate in promissis, aut affectu, aut viribus ad conferenda nobis

beneficia : ſed ſummum illud ingenium occaſionem nobis offert ſecum conſequenter aſſerendi, quòd cùm beneuolentia, virtus, ac fidelitas Dei æquales ſint, ſimul & infinitæ ; in eo ſolo ſpes eſt collocanda.

Idem ſentit. D. q. Bernardus, cùm tria conſiderat, velut fundamentum omnium à ſe ſperandorum : charitatem, quâ Deus homines adoptat in filios, veritatem promiſſionum eius, & vim ſeu poteſtatem eas adimplendi.

Si r Dauid vnitus Deo ſpiritualiter tantùm, ait, in eum ſperantem ſe, non poſſe confundi ; qui præter vnionem ſpiritus, ſæpè ſubſtantialem per Euchariſtiam acquirit, poterit-nè aliquid formidare ?

ſ Iobo affirmante in eum ſpem ſe habiturum, etiamſi ab illo interficeretur; poterimuſ-nè illâ carere in eum, qui non ad aliud venit in mundum, quàm vt vitam nobis conferat, & qui ſemper in nobis manere deſiderat, vt eo fruentes, ipſum vitæ fontem poſſideamus ?

Agricola, cùm agrum optimum electiſſimo tritico conſeuit, magnam de meſſe ſpem concipit, quando anni tempora, qualia ſperauit, conſpicit.

Et Christianus quilibet, debitâ cum dispositione, pretioso saluatoris sui corpore sæpè repletus, debet eâdem ratione, ex hoc tantò vberiorem fructum expectare, quantò semen illud sanctum benedictionem suam secum vehit, ac virtute propriâ, passionum fluctus varios & impetus, quibus solis, desideratâ messe frustrari possemus, confringit ac dissipat.

Certissimum est collatam nobis ab Eucharistiâ cum Iesu-Christo vnionem, spem nostram augere plurimùm; ac præterea hoc amoris Sacramentum à nobis frequenter non posse suscipi, quin simul nouo conflagremus incendio, quod ardentissimâ charitate animas inflammet.

In hoc sacro mysterio, respectu Dei & hominis, nonnihil conformitatis, (licèt multo cum discrimine) habet IESVS-CHRISTVS, ad id quod Spiritus-sanctus inter Patrem & Filium, in mysterio Trinitatis.

Charitas mutua Patris & Filij, ab illis elicit Spiritum-sanctum, Amorem & donum reciprocum inter vtrumque. Et Amor, quo Deus fertur ad cõmunicandum se hominibus in Eucharistiâ, eos

quodammodo cogit, vt cœleſte munus adipiſcantur atque poſſideant ex communionum frequentiâ, quatenus illud, & ſeſe ſimul, in Deum refundant.

Et reuerâ ſi parit amor amorem; certum eſt nos non poſſe frequenter recipere Dei amorem ergà homines (ſic Euchariſtiam appello) quin adeò ſanctum germen amoris, alterum in nobis ergà Deum producat, quo nos ei magis quàm nobis reddamur.

Quando ſtatum hunc quis attigit, audacter cum [t] Apoſtolo poteſt dicere; charitas Ieſu-Chriſti vrget nos, cùm myſterium eiuſmodi non tantùm Amoris Ieſu-Chriſti ſit teſtimonium; ſed ipſemet Ieſus-Chriſtus & amor illius, qui reperiri nequit in nobis, quin ad Deum amandum, vt requirunt eius beneficia, nos incitet:

Poteſt item dicere cum [u] eodem Apoſtolo, nihil me ſeparabit à Charitate Ieſu-Chriſti; quandoquidem ſicut hominem à ſeipſo diuellere impoſsibile eſt; ſic etiam ſeparare eum ab illo, cuius aſsiduè ſubſtantiam & gratiam poſsidet. Si attendamus, Deum ſcientem homines vitam tueri naturalem cibo, quem cor-

pore recipiunt, voluiſſe ſub alimenti corporei ſpeciebus abſcondere ſe, vt ſub vmbrâ velaminis earum, facilius illis gratiæ vitam inſpiret; fieri non poteſt, quin ab exceſſu tantæ bonitatis, amoris extaſim patiamur. Ego veni in mundum, ait Dominus, vt homines vitam habeãt & abundantius habeant. Prima, quam nobis affert Dei filius, vita ſpiritualis, per Baptiſmum & per Pœnitentiam communicatur: plenitudo verò vitæ, per cætera omnia Sacramenta; præcipuè per Euchariſticum, quod eſt vita ipſa; cùm perſona Ieſu-Chriſti ibi vitam Dei conſtituat.

Se homini dare cibum, vt vitam ſine charitate recipere nequeat, quatenùs Filius Dei vtrumque eſt; charitas eſt nimia, quæ vim orationis & rationis excedit.

Amor ille ſæpè in nobis alium producit adeò ſenſibilem, vt attritionem in cõtritionem conuertat. Vnde quamuis Sacramentum hoc gratiam ſupponat in recipiente, aliquandò illam in eo ſuſcitat, ex accidenti. Exempli gratiâ, ſi quis in confeſsione oblitus eſſet peccati alicuius mortalis, & tunc duntaxàt eius recordaretur, cùm ſacræ menſæ præſens, ab eâ

citrà ſcandalum ſecedere nequaquam poſſet, licèt tunc alio dolore quàm attritionis, quæ peccatum minimè delet, moueri non poſſet; hoc nonobſtante communicare deberet, cum intentione poſteà illud confitendi; Et in tali caſu contingere poteſt, vt, virtute Sacramenti, eius attritio in contritionem vertatur, eiuſdemque expungatur peccatum antequàm illud fuerit confeſſus iuxtà ſtatutum animi, quamuis nihilominùs poſteà fateri teneatur.

[a] *Colligi videtur ex eius Commentar.* lib. 2. in Iſaiam Prophetam cap. 3. vbi non longè à principio ſic loquitur.

Fortitudo igitur panis auferetur ab eis, ille qui dicit; Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. &c.

Item lib. 6. in Ezechiel. c. 18 vbi ait;

Qui iuſtus eſt, communem omnium panem, ſuum facit proprium: qui defecerat in Iudæa, Prophetâ dicente, Auferam ab eis fortitudinem ſiue baculum panis &c.

Vide ſi alibi expreſſius quid repereris.

[b] *Deuteron.* 8. *v.* 3. *& alibi.*

[c] Lib. 4. de Sacram. c. 6. vbi ait.

Si quotieſcumque effunditur ſanguis, in remiſſionem peccatorum funditur, debeo illum

ſemper atcipere, vt ſemper mihi peccata dimittantur. Qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.

[d] Ioan. 6. v. 50.

[e] Tom. 1. Confeſſ. lib. 7. cap. 10. ſub finem. Vide quæ ad cap. 19. pag. 179. edit. 2. lin. 10. diximus in prologo.

[f] Homil. bi. ad populum Antiochenum, vbi ait *Tanquam Leones igitur igneim ſpirantes ab illa menſa recedamus facti diabolo terribiles, & caput noſtrum mente reuoluentes, & charitatem quam erga nos oſtendit.*

Græcè habetur homil. 45. in Ioan. cap. 6. quæ homil. inſcribitur 45. ſed notatur in græcis cod. 46. pag. 236. litt. D.

Ὡς λέοντες τοίνυν πῦρ πνέοντες, οὕτως ἀπὸ τῆς τραπέζης αὐτοῦ ἀχωρῶμεν ἐκείνης φοβεροὶ τῷ διαβόλῳ γινόμενοι, καὶ τὴν κεφαλὴν τὴν ἡμετέραν ἐννοοῦντες, καὶ τὴν ἀγάπην ἣν περὶ ἡμᾶς ἐπεδείξατο.

[g] Ioan. 2. v. 9. [h] Matth. 14. v. 19. 20. & 21. & alibi.

[i] Matth. 26. v. 26.

1. Cor. 11. & alibi.

[l] Actor. 5. v. 15. [m] 4. Reg. 13. v. 21.

[n] 1. Ad Timoth. 2. v. 5.

[o] Ep. 1. Ioan. cap. 2. v. 1. & 2.

[p] Tom. 8. in pſal. 30. conc. 2. circa finem, vbi ait inter præclara quæ fuſiùs

prosequitur. *Prorsus recedant humana nomina, humana crimina, humana figmenta.* [*in te domine speraui, dixi, tu es Deus meus*] *Non homo quisquam, sed tu es Deus meus. Vnus deficit, vnus proficit: Deus meus non deficit, neque proficit.* Nec *habet quo proficiat perfectus, nec habet vnde deficiat æternus.* [q] Serm. 9. in psal. Qui habitat, paulò post medium, vbi sic ait.

Vt quid cunctamur abijcere omninò spes miseras, vanas, inutiles, seductorias: & huic vni tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei, tota deuotione animi, toto feruore spiritus inhærere? [Et linea interiecta] *Verbo omnia potest quid facili*[r] *dicto* [& post duas lineas] *vita in voluntate eius est, &c. planè & voluntatis testimonia credibilia facta sunt nimis. Maiorem, inquit, hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis denique quando in se speranti desit illa Maiestas, quæ tam studiosè monet in se sperari.*

Vide ibidem, de spe, eximia, in præced. f. subseq.

[q] Ps. 30. v. 2. [r] Iob. 13. v. 15.

[t] 2. Cor. 5. v. 14. [u] Ad Rom. 8. v. 35. vsque ad 39. inclusiuè.

[x] Ioan. 10. v. 10.

CAPVT XX.

De alijs vtilitatibus Sacratiſsimæ Euchariſtiæ.

TRes præter virtutes theologales, frequenti communione pax interior generatur in cordibus noſtris, quâ mediante, requie ſimili quadamtenùs cœleſti Beatorum, perfruimur. Et ſanè poſſumuſnè lætitiâ non perfundi, ſi nouerimus Dominum & Regem noſtrum ad nos tanquàm ad deliciarum ſuarum locum ſæpius accedere; atque id, non vt ibi ſumptibus noſtris degat, nec vt bonis nos ſpoliet; ſed vt diuitijs cumulet & felicitate? Si [a] Dauid nos doceat non timere mala, quando Dominus nobiſcum eſt, nonnè poſt Communionem exclamabimus; ſi Deus in nobis, quis contra nos?

Si D. [b] Stephanus videtur in martyrio adeò lætus & alacer, vt eius perſecutores vultum illius aſſimilent Angelico; atque lætitia iſta ipſi non aliundè, quàm ex viſo Saluatore, quem in cœlis Agonothetam ſuum ſuſpiciebat effundebatur; ſatin imbecilles, vt afflictionem, obeant (quodcumque contigerit) repe-

rientur animæ, ſi IESVM-CHRISTVM non tantùm à longè eas proſpicere, ſed in ipſis eſſe, non modò per gratiam, verùm & per propriam ſubſtantiam in corporibus ſuis realiter habitantem nôrint?

Porrò; quibus vſus ſanctiſſimi huius myſterij familiaris eſt, adeò certam atque euidentem, ad omne virtutis genus, aptitudinem conſequuntur, vt penè ſuperfluum ſit huius rei indicem texere. Humilitas, quacumque aliâ, adeptione difficilior, vt pote hominis genio, eum attollenti cùm deprimere deberet, penitùs aduerſa, certiſſimè illud probabit.

Qui pretioſum corpus Saluatoris ſui frequentant, & qui ſacrum habitationis eius tabernaculum in ſe ipſis extruunt, ita ex hoc ſummiſſè agunt, vt apertè conſtet humilitatem non eſſe ſolùm conditionem ad dignè communicandum requiſitam; ſed etiam effectum productum in nobis, tùm intuitu Maieſtatis nos viſitantis, tùm conſideratione humilitatis profundiſſimæ, quâ effulget in hoc myſterio. Maieſtas patet, inquantum Deus eſt; humilitas, quatenùs in eiuſmodi, quaſi potioribus bonis, & à perſonâ ſuâ inſeparabilibus, apparet deſtitutus.

In Incarnatione, Filius Dei hominem se faciens & diuinitatem suam toto orbe maiorem in infantis humanitate concludens ad infirmum descendere videtur. [semetipsum exinaniuit formam serui accipiens] inquit D. Paulus; At in Eucharistiâ, vbi IESVS-CHRISTVS totus, verbum, corpus eius & anima, non tantùm sub hostiâ modicâ, verùm etiam sub minimâ eius particulâ, reperiuntur, abbreuiat se magis ac demittit. Vndè sanè effari id possumus, semetipsum exinaniuit formam panis accipiens.

In Incarnatione, infimæ intellectualium naturæ copulatur, nempè homini; at in Eucharistiâ, vltimæ existentium speciei iunctus reperitur, cùm ibi accidétib⁹ substantijs omninò inferioribus, vniatur.

In incarnatione, hominem se mortalem constituit, attamen viuentem; sed licèt in Eucharistiâ Iesus-Christus sit immortalis in se, nihilominùs adest ibidem in statu quodam mortui; tùm quia Corpus & Sanguis eius non ponitur vi verborum Consecrationis, nisi sub diuersis speciebus à se inuicem separatis; tùm quia quamuis sub illis iuncta inueniantur per concomitantiam, ratione

vnionis

vnionis inſeparabilis quam habent inter ſe, nullo tamen ibidem munere vitæ funguntur. Niſi humilitas iſta noſtram prouocet, nil poterit eam ſuſcitare.

Niſi fide & charitate careamus omninò, in eiuſmodi ſtatu mundi Saluatorem contemplari non poſſumus, quin eius pedibus prouoluamur; equidem credere impoſſibile eſt, quem recipimus, eſſe verum filium Dei, Regem gloriæ, hominum Angelorumque Dominum, & non pauere ad eius præſentiam, illamque minimè reuereri, ſi Majeſtatem eius vel tantillo amore proſequamur.

Quando Virgini ſanctiſſimæ denuntiat Angelus, ipſam Verbi Dei Matrem electam eſſe, ad tantum myſterium, humilitatem, quâ ancillam ſe Domini proteſtatur, affert diſpoſitionem. S. Elizabeth à ſacratiſſimâ illâ virgine, ſanctum cæli depoſitum in ſinu ſuo geſtante, viſitatam ſe intuens, exclamauit, vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me? Dominum cœli & terræ, ſine extaſi ac humilitate, nos ſuſcipere non poſſe liquet, eſſeque impoſſibile non erumpere in hæc verba, vnde hoc nobis, vt veniat Dominus noſter ad nos?

Licèt myſterium hoc in profundum humilitatis nos euocet & compellat, nihilominùs aſſimilat aliquatenùs Deo, tũ quia medium ſuppeditat eum ſingulari ratione poſſidendi, qui non niſi per ſui-ipſius poſſeſſionem Deus eſt : tum quia capaces efficit ad reddendum Deo, qui ſeipſum nobis communicat, æquale munus accepto, cùm nos refundentes in eum, non ſolùm gratiâ, ſed etiam eius pretioſo corpore refertos, propriam perſonam ſuam, ſolam ipſomet dignam, ei retribuamus. Ità ſpontaneo ſacrificio, eãdem quam pro nobis immolare voluit, victimam ei reſtituimus, atque Eccleſia quotidiè etiã multò efficaciùs repẽdit vicem vero ſacrificio, cui eò aptiùs iũgimus (vt oportet) intentiones & vota, quò interiùs illam-ipſam habemus hoſtiam, quam vt ei offerant ad altare, præ manibus tenent ſacerdotes.

Sacro-ſanctum illud myſterium non tantùm nobis cumulatè confert beneficia, quorum fructus & vtilitas hîc percipitur; ſed caro noſtra carni filij Dei per ſe immortali, ratione immortalitatis Verbi Diuini, vnita, recipit iuxtà S. Ioannem, virtutem nouam, vt eruat ſe à corruptio-

Digitized by Google

ne terrenâ, & cœlo reuiuiſcat. Hinc auguſtum illud Sacramentum, germen immortalitatis appellatur, atque eò potiori iure, quò Dominus [e] noſter expreſſè ait, Qui manducat me, viuet propter me, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.

At ſi vnica eiuſmodi actio, ius ad immortalitatem, primò per incarnationem filij Dei nobis acquiſitum, congeminet, quis frequentem eiuſdem carnis ſacræ participationem, ad conſequendum tandem aliquandò præmium illud glorioſum, vias paraturam facile s dubitabit? Quis illam ab hac propè vitâ, alterius felicitate, peractam, intimamque cum Redemptore noſtro, non ſolùm ſpiritus & gratiæ, ſed etiam ſubſtantiæ eius propriæ & ipſius rei vnionem, frui concedere nobis, ambiget?

Potuit ſemper mundi Saluator, ſolo voluntatis nutu, mortuos ſuſcitare, ſæpè tamen ſui corporis contactu miraculum hoc voluit operari, vt ad hominum reſurrectionem, eidem corpori virtutem ineſſe ſingularem oſtenderet, cumque cõſtet, vt teſtatur [f] Euangelium, ſolas filij Dei veſtes ægrotos curaſſe, corpus eius vitam reſtituere dubitari minimè poteſt;

& ſi prodigium illud operabatur etiã in terra degens paſſibile & mortale; potiori iure nunc impaſſibile atque immortale, & vt tale in Euchariſtiâ porrectum, idem exequetur.

Si Eliſæus ſtupendâ membrorum ſuorum contractione aliud edidit miraculum, puerulo vitam reſtituens; quid non peragat mundi Saluator abbreuiatus in Euchariſtiâ, vt hominis captui etiam corporeo ſe ſe accommodet?

Prælibatis veritatibus his omnibus, inuenietur nè qui frequenter ad menſam, in qua corpus & anima reficiuntur vnico cibo ea nutriente ſimul & corroborante, accedere non deſideret? cibo producente in illis augmentum gratiæ, incrementum fidei, ſpei, & charitatis; atque etiam illis pacem interuam largiente? cibo Diuino, ad omne virtutis genus in hac vitâ & ad gloriam immortalem in altera illa diſponente?

Iesv-Christo ſatis eſſe poterat pro redemptione noſtrâ ſeipſum in ſacrificium ſemel obtuliſſe: in cruce immolaſſe ſe, myſterium erat pro ſalute hominum plus æquo ſufficiens, vt tamen facilioren eam redderet, alteram nihiiomi-

nùs ſacrificij ex propriâ perſonâ ſpeciem inſuper inſtituit, nempè altaris : atque vbi ſemel ſacrificium illud incruentum feciſſe, ſicut in cruce cruentum, abundè illi ſufficere poterat; illo incruento modo, quotidiè millies, voluit offerri.

Vnde diſcimus, quòd licèt vnica communio ſufficeret ad gratiam in nobis ſeruandam : nequaquam IESVM-CHRISTVM perfectè imitari, niſi ad eiuſmodi Sacramentũ diuinum recurreremus plurie⁊, videremur. IESVS CHRISTVS victimat ſe multotiès, vt totiès fructum, effectum & realitatem oblationis ſuæ pariter recipere valeamus.

Quod egit in hoc myſterio, illi neceſſarium non erat; ergo nobis tantum poterat eſſe : atque idcircò ne intento fruſtretur, noſque tanti fructu beneficij, ad eiuſmodi Sacramentum ſæpe confugiendum eſt.

Cùm illud, beneficium homini adeò ſingulare, & ità peculiare priuilegium eſſe perpendo, vt Angeli gratiâ iſtâ potiri nequeant, inęſtimabilem Dei bonitatem nimiamque eius ergà nos charitatem non mirari mihi impoſſibile eſt. Neque mihi perſuadere valeo hoc à quoquam

cognoſci poſſe, quin medio illo ſacro, ab eo nobis conceſſo, arctiſſime illi ſemper vniri exoptet.

Hac Angeli prerogatiuâ gaudent præ hominibus, vt à primo ſuæ creationis inſtanti, creatore ſuo, euidenti quâ illum aſſequuntur notitiâ, & perfectâ charitate qua proſequuntur eundem, perfruantur; homines verò, niſi præſenti vita functi, incomprehenſibilis huius boni non erunt participes. Igitur ſcire ne poterimus bonitatem Dei, cui omnia præſentia ſunt, vt Angelorum priuilegia adæquaret, atque hominum expectationem compenſaret, his voluiſſe eum poſſidendi medicum tribuere per ſui corporis communionem, cuius illi numquam capaces futuri ſunt, ac illâ, quantum fas eſt ſæpiùs, vti nolle?

Compertum erit, licèt hominis naturæ præemineat Angelica, prærogatiuam, de quâ agimus, atque vnionem hypoſtaticam Verbi Diuini, quâ ille decoratur, ei humilitatem ſuam Angelicæ ſublimitati præferendi dare rationem; & adeò ſanctis medijs nolemus, ſuprà Angelos frequenter aſcendere?

Quia credo cor tam ſaxeum non inue-

niri, quod, eorum, quæ his duobus capitibus ponderata dictaque sunt, vis non emolliat, illa concludo, in sententiam pij [h] Granatensis incumbens, quâ certum putat, animæ suæ dignitatem parui pendere, carnis peruersitatem non intelligere, Sacramentorum etiam pœnitentiæ & Eucharistiæ efficaciam ignorare oportere, eos qui illa non frequentant.

At quoniam artificia dæmonum, hominibus æquè in splendoribus ac in tenebris insidiantium, ab vsu illo diuino, prætextu humilitatis & reuerentiæ, nos aliquandò deterrere, conari possent; sequenti capitulo enitar antiquas Ecclesiæ consuetudines expandere; vt patrum exemplis, verum statum in quo mensæ Saluatoris accumbere possumus, discernamus.

[a] Psal. 22. v. 4. & alibi.
[b] Actor. 6. v. 15.
[c] Ad Philipp. 2. v. 7.
[d] Vide quæ ad cap. 20. pag. 194. edit. 2. lin. 22. diximus in prologo.
[e] Ioan. 6. v. 55. & 58.
[f] Matth. 9. v. 20. & 22. & alibi.
[g] 4. reg. 4. v. 34. & 35.

[b] Memorialis tract. 3. cap. 8. in respons. ad ea quæ negligentiæ suæ quidam vanè prætexunt.

CAPVT XXI.

Quis apud Christianos Communionis vsus fuit in Ecclesiâ nascente, atque in suorum primorum serie sæculorum.

CANONES [a] Apostolis attributi, ac tot Regulæ viuendi primis Christianis præscriptæ nequaquàm frequentem Communionem expressè præciperent, nisi omnibus vtilis, & præterea multis necessaria foret.

Illorum constitutio decima communionem Ecclesiæ interdicit eis, qui communione pretiosi corporis Filij Dei abstinebant, cùm in Sacris Templis adunati, prædicatione Verbi eius, & carne pretiosâ satiari possent, quod multi poterant quotidiè.

Si quis sacrorum eiusmodi canonum authoritatem in dubium reuocare non valens, de mente duntaxàt propositi ambigat, asseratque quod dico, non significare; canet, credo, palinodiam, cùm

viderit Epiſtolam Anacleti Papæ nomen præferentem, relatam tomo primo[b] Conciliorum, hoc innixā fundaméto, docere, Apoſtolos ſanctāque Eccleſiamobligaſſe primos Chriſtianos, vt quotiès ſacrificijs ſanctis adeſſient, totiès communicarent.

S. [c] Clemens tertius poſt S. Petrum Pontifex, & Anacleti prædeceſſor, antè hunc, apertè deſignauerat eiuſmodi conſuetudinem expreſſis verbis dicens; poſt oblationem ſacrificij, diuerſos Chriſtianorum ordines viciſſim pro cuiuſlibet dignitate, pretioſum Filij Dei corpus recipere ſolitos, atque etiam mulieres ordine ſuo.

Magnus D. [d] Dionyſius, primi Eccleſiæ ſæculi teſtis omni exceptione maior, etiã talis huius veritatis exiſtit. Sacerdos, inquit, cùm populo manus Omnipotentis pretioſa dona oſtenderit, primus communicet; dein ad hoc inuitet alios, ſumptaque & datâ communione ſanctiſſimâ, ſacrâ gratiarum actione concludat.

S. [e] Iuſtinus Philoſophus & martyr de vſu eiuſmodi, in ſecundo Eccleſiæ ſæculo, euidenter loquitur, vbi docet abſoluto Miſſæ Sacrificio Communionem à Sacerdote diſtributam fuiſſe præſenti-

bus omnibus, & ad abſentes per cliaconos miſſam.

Talis fuit vſus ſeu praxis primorum Chriſtianorum vſque ad tertium Eccleſiæ ſæculum, in quo, cùm fidei feruor tepeſceret, Fabianus [f] Papa, qui in S. Petri Cathedrâ ſedebat circâ medium illius ſeculi, decreuit vt clerici ter ſaltem in anno, nempè Paſchate, Pentecoſte, & Natiuitate Domini, niſi pluries poſſent communicarent.

Hoc decretum à diuerſis [g] Conciliis renouatum eſt, viguitque vſque ad Concilium Nicænum; Et licèt ad tres tantùm per annum communiones obligaret, conſuetudo tamen feruore primorum Eccleſiæ ſæculorum introducta firmitatis ſatis retinuit, vt per totum penè Occidentem, potiſſimùm per Hiſpaniam, frequens Communionis vſus permaneret. Quidam quotidiè, alij ſingulis diebus Dominicis duntaxàt, alij cum Dominicis, etiam quibuſdam per hebdomadam diebus communicabant, prout quarti ſeculi Patres apertè teſtantur.

D. [h] Auguſtinus ad hoc, de variis variarum nationum conſuetudinibus loquens, his vtitur verbis; quidam, ait

corpori & sanguini Domini quotidiè cõmunicant, alij certis diebus tantùm interruptis; alij solis Sabbatis ac dominicis, alij tantummodò Dominicis. Consequenter exhortatur, vt scandalo non sit eiusmodi diuersitas; & asserit in his, quæ nec fidei, nec piis moribus contradicunt, loci quem incolimus, consuetudinem seruandam esse.

In eâdem Epistolâ ipse sibi obijcit, id, cuius solutio quam affert, totam dilucidè quæstionem dirimit. Fortè, addit insignis ille Sanctus, dicet aliquis non esse quotidiè communicandum; & si dicti ratio postuletur, respondebit, eligendos esse dies aliquos, quibus maiori cum puritate & castitate viuatur, vt accessus ad Sacramentum adeò sanctum digniùs fiat; scriptum enim est, qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Alius oppositum defendens dicet, si tam sæuum vulnus est, malumque adeò horrendum, vt à tam sancto remedio aliquandiu abstinere oporteat: id authoritate proprij Episcopi faciendum, qui in tali casu, tanti criminis reum ab altari remouere debet, ad pœnitentiam de illo peragendam; & eâdem authorita-

te Eccleſiæ iſte reconciliandus eſt. Reuerà enim indignè corpus & ſanguinem filij Dei recipere eſt, ei communicare cũ pœnitentiæ incumbendum, nec ex arbitrio aut ſenſu cuiuſque pendere debet, accedere ad ſacram ſynaxim, vel ab eâ recedere, pro libito. Verùm ſi Chriſtiani peccata non ſint eiuſmodi, vt excommunicatione dignus cenſeatur, à medicina pretioſi corporis Domini ſui abſtinere non debet.

S. Auguſtinus concludit eorum controuerſiam ſolui poſſe, monendo illos, præcipuum huius rei momentum in eo eſſe, vt in pace Chriſti permaneant; ac quilibet, quod iuxtà conſcientiam piè faciendum credit, hoc faciat. Neuter enim corpori & ſanguini Domini irrogat iniuriam, cùm vterque præ ſocio ſuo ſalutare Sacramentum reuereri contendat.

Denique profert exemplum piorum Zachæi, & Centurionis, qui ambo rem filio Dei gratam fecerunt; alter, illum gaudens excipiendo in domum ſuam; alter, ſe tanto honore indignum prædicans; Sic inſinuans fideles variè ſuam poſſe teſtari religionem, hos ſacram quo-

tidiè percipiendo communionem, illos sic eadem vti formidando.

Quod si alibi addat, quotidiè communicandi consuetudinem se nec laudare nec vituperare, id non ideò, quòd quotidiè Filij-Dei corpori pretioso participantem, modò dignè hoc præstet, non participanti minimè præferat: sed quia præparatione horrendi huius mysterij participationi debitâ, ab animarum, quarum secreta interiora scrutari impossibile est, dispositione legitimâ simpliciter dependente; timore, quo nè multi non inueniantur semper in statu debito, agitatur, fit, vt illorum respectu, an bene, an malè quotidie communicent, nolit asserere.

At præterquàm quòd, quæ ex insigni illo sancto à me relata sunt, quomodò frequentis Communionis consuetudinem approbet, apertè manifestant; ea quam affert restrictio in exhortatione ibidem ab eo susceptâ, vt communionis vsum singulis Dominicis persuadeat, rectè probat, nihil, nè idem de diebus singulis proferat, eum auèrtere, quàm quæ suprà annotauimus. Pro viribus, inquit, exhortor (vt modò anima peccati affe-

ctu vacet) ſingulis Dominicis communicetur. Si enim, addit, velit iſta peccatum iterare, atteſtor, loco purificationis per communionem acquirendæ, illam macularum numerum & grauitatem augere.

Adeò dilucidè mentem ſuam alibi [l] paſſim declarat, vt quæ illa fuerit, conari oſtendere, non ſit opus.

Quotidie communicare, ait D. [m] Baſilius, atque ſacro Ieſu-Chriſti corpore ac ſanguine ſaginari, vtile fructuoſumque eſt, cùm ipſe apertè dixerit: quicumque manducauerit meam carnem, & biberit ſanguinem meum, habet vitã æternam; Certumque ſit frequenter vitâ refici, nihil eſſe aliud quàm ſæpè vitam nouam recipere, ac multoties viuere. Itaque, addit ille Magnus, quater per hebdomadam, die ſcilicet Dominico, ferijs quarta & ſexta, & ſabbato communicamus, atque aliis etiam diebus, ſi martyris alicuius memoriam in eis celebrari contingat.

D. [n] Hieronymus ad Lucinium ſcribens expreſſè ait, percunctanti verò tibi an Euchariſtia quotidiè, pro Eccleſiarum Romanarum atque Hiſpanicarum more,

recipienda ſit, paucis te monendum iudico, ſectandas Eccleſię traditiones, cùm fidei non aduerſantur, prout eas à maioribus noſtris accepimus, nec iccircò aliquorum abolendam eſſe conſuetudinem, quia apud alios alia eſt; atque vtinàm, inquit, quotidiè, nullatenùs redarguente conſcientiâ, Euchariſtiam poſſemus recipere!

Inter cæteros, mirabilis eſt D.° Ambroſius, cùm dicit. Si panis iſte quotidianus appelletur, cur ſemel in anno, vt fit apud Græcos in Oriente, illum accipimus? Suſcipe quotidiè, vt quotidiè tibi proſit: ſic viue, vt dignus ſis qui quotidiè illum recipias. Qui, ad illum ſingulis diebus ſumendum, ſe aptum non reddit, indignus eſt, qui ſingulis annis eo perfruatur.

D.p Chryſoſtomus frequentem communionem adeò vtilem ac neceſſariam cenſuit, vt adeſſe Miſſæ ſacrificio, ni communicet, populo ſuo prohibeat. Cùmque ſibi obijcit, quempiam excuſatum haberi velle, à participatione menſæ Saluatoris, quòd illâ indignum ſe-ſe vereatur; damnat eum dicens, ergo etiam eſſe indignum participatione ſuffragio-

rum, quæ fiunt in ſacrificio.

Denique, quandiu primorum Chriſtianorum feruor permanſit, Communio adeò fuit frequens, vt ſi quotidiana non eſſet, pauci extiterint, qui ſingulis dominicis non communicarent. Sed vt receſſus à tempore paſſionis Domini, feruorem priſtinùm tepefecit; hoc decernere duxit ſatis Eccleſia, vt qui poſt ſacrum diebus dominicis non communicarent, vice Euchariſtiæ, Eulogiam ſeu panem benedictum acciperent.

Dein, cùm eadem Eccleſia cerneret Græcos, qui ab eius moribus auſterioribus ac laudabilioribus primi ſemper defecêre, quibuſdam in locis, ſemel in anno duntaxàt, communicare; de quo apertè queritur D. [q] Ambroſius. Innocentius [r] Papa, tertius, illorum duritiei quodammodò morem gerens, in Concilio Lateranenſi 4. generali 12. approbato hoc decretum fecit, quo, ad communionem, ſaltem ſemel in anno, quilibet fidelis obligatur, vt Eccleſia vniuerſalis iiſdem vtens legibus, iiſdem etiam moribus vteretur. Hoc decretum poſteà confirmatum eſt in Concilio [s] Tridentino; illud nihilominùs non obſtat quin Eccle-

ſia frequentes communiones approbet, atque inuitet ad eaſdem, vt patet ex ipſomet Concilio, quod, vt in ſignis miſſis, non ſolùm pio affectu, verùm etiam realiter communio fiat, exhortatur.

Viſis probationibus omni exceptione maioribus in hoc capitulo contentis, nec non traditione vniuerſalis Eccleſiæ; quemquam, adeò manifeſtas veritates, in SS. Patrum traditione atque vſu tantâ cum perfectione ac ſoliditate fundatas, oppugnare velle non arbitror.

Nempè certiſſimum eſt antiquiores Chriſtianos, virtutem ſuam præcipuam in huius participatione Sacramenti conſiſtere, ſemper exiſtimaſſe; martyrij flammas neutiquam formidabant, cùm fontẽ iſtum aquarum gratiæ viuentium apud ſe haberent; famem non timebant tali cibo muniti, neque ſupplicia, neque cruces, Auguſtiſſimi Sacramenti huius robore loricati, cuius frequentatione non tantùm appetebant tormenta, verùm etiam fortiter tolerabant. Poſtremò cùm perſecutio magis ſæuiret, hoſtiam ſanctam arma capiebant, ſecumque ferebant vt cùm opus foret, tanto non carerent auxilio.

Equidem tempora fuêre & loca, in quibus rariſſimè communicabatur, apud Eccleſiam primitiuam; at ilud ità, cùm ſæpè celebrandi Sacerdotibus, fidelibus verò ad Sacram ſynaxim conueniendi facultas perſectuionibus eriperetur; verùm ſtatim atque Sacerdotibus, celebrandi, nec non fidelibus conueniendi fuit poteſtas libera ſacrificia communioneſque ſemper frequentes fuêre, quemadmodum allata ſuprà teſtimonia dilucidè probant. Eccleſiâ hoc iugiter profeſſâ, quòd, qui Deo cupit vniri perfectè, ad ſanctam Filij eius chariſſimi menſam ſæpiùs accedere debeat, quam ideò ipſe inſtituit, vt ad homines crebriùs adueniret, illiſque ſpiritualiter & per propriam ſubſtantiam cohæreret.

[f] Tom. 1. Concil. Apoſtolic. can. can. 10. vbi ſic habetur.

Omnes fideles, qui ingrediuntur Eccleſiam, & ſcripturas audiunt, non autem perſeuerant in oratione, nec ſanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Eccleſiæ commouentes, communione conuenit priuari.

[b] Eiuſdem Anacleti. ep. 1. vbi ait;

Peracta conſecratione omnes communicent,

qui noluerint, Ecclesiasticis carere liminibus Sic enim & Apostoli statuerunt. & S. Rom. tenet Ecclesia. Vide etiam in iure decret. 3. part. de consecr. dist. 2. cap. Peracta.

[f] Tom. 1. Conc impress. Reg. Paris. 1644. pag. 105. S. Clem. ep. 2. vbi ait;

Certè tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinum non reseruentur; sed cum timore & tremore, clericorum diligentia consumantur.

Vide etiam eiusd. constit Apostol. 32. & 61.

[d] Lib de Eccles. hierarch. cap. 3. secundùm Ioachimum Perionium, vbi paulò antè contemplationem ait, quod sic habet Paraphrasis Georgij pachymeræ, Impress. Paris. 1644. in fol. pag. 267.

Τοσεῖκνυσι ὃ ἤγουν αὐτοῖ τό τε ἀποκαλυπτομμένων τ παναγίων δώρων μ τὰς εὐχάς, μηόντων ὃ κεκαλυμμμένων ἕως καιροῦ μεταλήψεως. Μετὰ ταῦτα κὠπός τε μεταλαμβάν, κ τὸν ἀγλοις προσβέπεται. Μεταδέων ὃ κ μεταδοὺς εἰς εὐχαειςίαν καταλήγει.

[e] Sub finem apologiæ, 2. pro Christian. ad Antonium Pium pag. 77. Impress. Hieronymi Commelini, anni Domini 1593. vbi sic habet.

Καὶ οὐς προσέφημεν, παυσαμένων ἡμῶν τῆς εὐχῆς, ἄρτος προσφέρεται οἶνος καὶ ὕδωρ. καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως, καὶ εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ ἀναπέμπει, ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων τὸ Ἀμήν. καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς μὴ παροῦσι διὰ τῶν Διακόνων πέμπεται.

Idem habet ſupra. pag. 76.

[f] Vide in iure, decret. 3. part. de conſecratione diſt. 2. cap. etſi, vbi ſic loquitur.

Etſi non frequentiùs, ſaltem in anno ter Laïci homines communicent (niſi fortè quis maioribus criminibus impediatur) in Paſcha vi lelicet & Pentecoſte, & Natali Domini.

[g] Agathenſi c. 18. vbi ſic habet.

Sæculares qui in Natali Domini, Paſcha & Pentecoſte non communicauerint, Catholici nen credantur, nec inter Catholicos habeantur.

Item Antiocheno cap. 2. Bracharenſ. 2. decreto 83. Toletan. 1. cap. 13. quæ citanturiure decret. 3. p. de conſ. diſt. 2. cap. *Si quis*, cap. *ſæculares*, & cap. *hi quis intrant.*

[h] Tom. 2. ep. 118. ad Ianuarium, de ritibus Eccleſiæ cap. 2. 3. & 5. vbi videre licet egregia, quæ, quia parum diſtant ab

his quæ hîc narrantur, istis inserere non duximus necessarium.

[i] Tom. 3. lib. de Eccles. dogmatibus cap. 53. vbi ait;

Quotidie Eucharistiæ cõmunionem percipere nec laudo nec vitupero, omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo & hortor: si tamen mens sine affectu peccãdi sit.

Habetur etiam in iure decret. 3. p. de consecratione dist. 2. cap. Quotidie.

Nota tamen hîc lib. prædictum non esse D. Augustini, prout apposita censura satis conuincit.

[l] Vt dictâ ep. 118. ad Ianuarium & aliis in locis plurimis.

[m] Hunc citat Baronius ann. Christi 57. num. in ep. ad Cæsariam patriciam quæ est 289. tom. 2. impress. Paris. 1618. pag. 1054. Vbi hæc omnia reperiuntur statim ab initio.

Καὶ τὸ κοινωνεῖν δὲ καθ' ἑκάστην τὴν ἡμέραν, καὶ μεταλαμβάνειν τ τ ἁγίου σώματος, καὶ αἵματος τ τ Χριστοῦ καλὸν καὶ ἐπωφελές. αὐτὸς σαφῶς λέγοντος, ὁ βρώγων μου τὴν σάρκα καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἔχει ζωὴν αἰώνιον. τὸ γὰρ ἀμφιβάλλειν ὅτι τὸ μετέχειν συνεχῶς τῆς ζωῆς, οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ ζῆν πολλαχῶς. ἡμεῖς μὲν τοι καὶ τέτταρσι καθ' ἑκάστην ἑβδομάδι κοινωνοῦμεν. ἐν τῇ κυριακῇ, ἐν τῇ τε

βάδι, καὶ ἐν τῇ παρασκευῇ, καὶ τῷ σαββάτῳ, καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις ἄλλαις ἐὰν ἡ μνήμη μαρτυρός τινος.

[n] Tom. 1. ep. quæ incipit. Nec opinanti Sub finem. Vbi sic disserit, & soluit quęstionem.

Lucinij de Eucharistia, an accipienda quotidie, quod Rom. Ecclesiæ & Hispaniæ obseruare perhibentur, scripsit quidem & Hypolitus vir disertissimus, & carptim diuersi scriptores è varijs Authoribus edidere. Sed ego illud te breuiter admonendum puto traditiones Ecclesiast. (præsertim quæ fidei non officiant) ita obseruandas, vt à maioribus tradita sint. Nec aliorum consuetudinem, aliorum contrario more subuerti. Atque vtinam &c. possimus &c. Eucharistiam quoque absque &c. pungente conscientia semper accipere &c. v. aquæque Prouincia abundet in sensu suo, & præcepta maiorum leges Apostolic arbitretur.

[o] lib. 5. de Sacram. c. 4. circa medium: cuius hæc sunt verba.

Si quotid anus est panis cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annũ accipere.

p Operum latinorum Impreſſ. Pariſ. tom. 5. homil 61. ad populum Antioc. circa. med. quod ſic hom. 3. in cap. 1. ep. ad Eph. in digreſſ. Moral. vna circiter colũnâ antè finem, ennunciat, tom. 2 opet. græc. lat.

Ω τ συνηθείας, ὦ τ προπετείας· εἰκῆ θυσία καθημερινὴ, εἰκῆ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ, οὐδεὶς ὁ μετέχων. ταῦτα οὐχ ἵνα ἁπλῶς μετέχητε, λέγω, ἀλλ' ἵνα ἀξίους ἑαυτοὺς κατασκευάζητε· καὶ εἰ τῆς θυσίας ἄξιος, οὐδὲ τ μεταλήψεως; ἀκοῦσαι οὐδὲ τῆς εὐχῆς. *Id eſt, ô conſuetudinem! ô præſumptionem! fruſtrà eſt quotidianum ſacrificium. Fruſtrà aſtamus altari: nemo eſt qui participet: Hoc dico non vt ſolùm participetis, ſed vt vos dignos reddatis Non es dignus ſacrificio, neque participatione? Ergo nec prece.*

q Vbi ſuprà vrgens illud quotidianum.

r In Concil. lateran 4. Generali. 12. œcumenico & approbato, cui ipſe Pontifex interfuit, cap 21. ſeu quod dicitur: *Omnis vtriuſque ſexus.* Et habetur in iure, decretal. lib 5. de pœnit. & remiſſ. c. omnis.

s Seſſ. 13. de Euchar Sacram. cap. 8. & can. 9. ſub his terminis.

Siquis negauerit omnes & ſingulos Chriſti fideles vtriuſque ſexus, cùm ad annos diſcretionis peruenerint, teneri ſingulis annis ſal-

tem in Paſchate, ad communionem, iuxtà præceptum S. Matris Eccleſiæ, anathema ſit.

* Seſſ. 22. de Sacrificio. Miſſæ. c. 6. ſic;

Optaret quidem ſacro-ſancta Synodus, vt in ſingulis Miſſis fideles aſtantes, non ſolùm ſpirituali affectu, ſed Sacramenti etiam Euchar. perceptione communicarent. &c.

CAPVT XXII.

Non eſſe abſtinendum à Communione, quod deuotio ſeu feruor actualis haud percipiatur, nec ob quorundam venialium formidinem.

INSOLITA iniuſtitia eſt iuſtitiâ priuare ſe, cauſâ meliùs illam merendi. Illi in ea reperirentur, qui ad menſam Filij Dei tuerentur accedere non poſſe, niſi culpis omnibus exemptos; atque etiam pio feruore ac deuotione actuali interiùs ſenſibiliter affectos, antequàm ad communicandum ſe ſe offerant.

Præ iuſtitiæ nimio zelo, non ſolùm deſtituitur quis medijs abundantioris iuſtitiæ coràm Deo, ſed etiam à iuſtitiâ omninò deficere periclitatur, ſubſtrahendo ſe participatione

participatione huius Diuinæ carnis, quæ ipſamet iuſtitia eſt, & cuius communicatione augetur gratia, quæ magis ac magis homines iuſtificat.

Si præparatione tantâ eſſet opus, pars Chriſtianorum maxima, Communione priuaretur, etiam tùm cùm Eccleſiæ præceptum vrget, quandoquidem feruorem hunc actualemque deuotionem, quæ ſæpe ſincera non eſt; ſed alia ſimilis, & quę magis in ſenſu quàm in mente radices habet, nemo valeat ad libitum excitare.

Æquè ægrè deffendi poteſt, abſolutè culpis etiam minuſculis immunem eſſe oportere; ſi enim res ità ſe haberet, neceſſitas iſta in generali cuiuſlibet Sacramenti naturâ fundaretur, aut certè oriretur ex ſpeciali, quoad hoc, inſtitutione IESV-CHRISTI.

Neutrum dici poteſt. Primum, quia ex communi Theologorum omnium ſententiâ, præter voluntatem eiurandi quæcumque à Deo eiuſque charitate diuidere poſſunt (quod venialia peccata per ſe nequeunt) aliam Sacramenta non requirunt diſpoſitionem. Secundum, quia neque verba à Chriſto in huius inſtitutione Sacramenti prolata, neque Apoſtolo-

rum vlla alia conditionem iſtam neceſſariò exigunt.

Si quis dixerit, apud D. [a] Paulum, hominem probare ſe priùs, & ſic de illo pane edere, &c. Synodus [b] Tridentina docet, probationem hanc conſiſtere in excuſſione ſeu purgatione peccatorum lethalium, quibus ſolis incrementum gratiæ per hoc Sacramentum producendæ, impediri poteſt.

Vbi daretur diſcrimen inter vtriuſque legis Sacramenta, quòd ſcilicet quæ prioris erant, ex diſpoſitione ſanctâ duntaxàt miniſtrorum vel recipientium operarentur; quæ verò poſterioris, ex ſe modò recipiens non ponat obicem, effectum ſortiantur.

Opponet forſàn aliquis, conſtare experientiâ, eum qui rariùs ac feruentiùs & deuotiùs, eo qui quotidiè, ex conſuetudine quâdam & abſque actuali applicatione animi, ad altare accedit, ſanctiorem eſſe: hoc patere ex eo quòd gratia actiua ex ſe bonis operibus effulgeat, quæ aliquando nec tam crebra, nec ità eximia in Sacerdotibus quotidiè celebrantibus inueniuntur, ac in pleriſque alijs rariùsſacrâ Euchariſtiâ refectis, ſed

à venialibus noxis, purioribus, & feruore ac zelo magis refertis: vnde vellet colligere cõmuniones eiuſmodi, alijs Deo gratiores eſſe, eiuſque Inſtituto conformiores. Verũ cùm apparuerint danda reſpõſa, longè aliter haud dubiè cõcludetur.

Dico primò quempiam alio ſanctiorem eſſe poſſe, licèt exteriùs ſanctitas eius minor videatur; gratia enim, ex ſe, paſſionibus inordinatis non ſemper nos exuit, neque excludit neque extirpat penitùs procliuitatem noſtram in malum: neque etiã ab omni peccati genere neceſſariò liberat, quamuis iuuet admodùm ad debellandos hoſtes, vnde gratiâ ſanctificãte in ſe vberior, inordinatum aliquid à paſſionibus poteſt ninilominus experiri, oppugnari à ſuis habitibus perue ſis, ac ſæpè cadere in venialia, iuxtà ſcripturę effatum [c ſepties in die cadit Iuſtus.]

Hoc firmat exemplum D. d Pauli, qui licèt gratiâ refertus, non carebat tẽtationibus vehementiſſimis. vt ipſemet teſtatur.

Dico ſecundò, cùm effectus producitur & roboratur à diuerſis cauſis quemadmodùm vni ex illis tribui nequit, ità, quid conferant ſingulæ, dimetiri impoſſibile eſt.

Vnde colligo, quòd cùm virtutis actus apparentes in communicante cum feruore (quamquàm ratò) principium habere possint, non tantùm gratiam per Communionem receptam, sed & illam, cui perfecta cõtritio & eximia charitas origo est; quid, virtutum diuersarum eiusmodi cuique causarũ dictarũ, & quid cõmunioni isti⁹ tribui debeat scire impossibile est, & ex consequẽti; etiam hominibus, definire, quæ & quanta sit grætiæ alicuius ratò communicantis, sed cum feruore, proportio; cum gratiâ Sacerdotis quotidiè celebrantis ex tenuiori deuotione actuali; atque ità etiam si Sacerdos laïco frequentiùs communicans, vi Communionis accipiat gratiæ maius incrementum; fieri tamen potest, ivt præ Sacerdote Laïcus abundet gratia, quia quæ ex huius Communione est, in eo creuerit per ieiunia, elemosynas, preces, aliaque opera bona varia, quæ ex se gratiæ merentur augmentum in eo, qui iam illa indutus, ex charitatis motiuo & radice, actus eiusmodi pios elicit.

Noui Caietanum [e] sensisse, ad digne communicandum non sufficere, à mortalibus culpis mundatum esse per gratiam:

sed etiam à venialibus talem esse oportere, nec non actuali aliquo pietatis feruore affici. Verùm à maiori Theologorum parte explauditur hæc sententia, & reuerà falsa est, prout insinuat Tridentina Synodus.

Item noui Patres testari sæpissimè se deuotionem actualem ac feruorem non modicum in communicantibus postulare. Prętereà noui illos aliquando exposcere perfectam innocentiã. Mihi denique perspectum est, eiusmodi dispositiones, eos iure desiderare; quòd attendant sublimitatem atque dignitatem adorandi huius mysterij: quod melius & aptius est, suadere; cupere quoque animas in eo semper inueniri statu, in quo tùm augmenti gratiæ principalis effectus huius Mysterij: tùm etiam cæterorum fructuum, quos ferendi capax illud est, participes fieri possent.

At Dei Filius, attentâ fragilitate conditionis humanæ, hoc requirit tantùm, vt Christiani, à peccato gratiam eius in illis extinguente, immunes sint; vt donum adeò pretiosum, quale est carnis & sanguinis eius, dignè recipiamus. Licèt in nobis desideret victimam cuius homi-

nes capaces ſunt, perfectionem; notitiâ defectus eius in illis contingentis, qua pollet, fit, vt à peccati morte duntaxàt liberas eſſe præcipiat animas; quatenùs abundantioris vitæ, quam illis affert, qui ſolus vita Chriſtianorum eſt, participes exiſtant.

Tridentinum [g] ſic apertè docet; Eiuſque ſacri Concilij ratio eſt, quòd cùm veniale peccatum cum gratiâ poſſit conſtare (cuius rei veritas ex eo patet quòd ſi eam deſtrueret, foret mortale) eius augmentum impedire non poſſe liquet.

Nimirùm veritatem hanc ab Eccleſiâ ſic probatam videmus, vt ſine eiuſmodi feruore actuali Sacerdotes ſæpè celebrent; aliquando etiam cùm à venialibus minimè impuros ſe eſſe nôrint.

Certè, ſi verum ſit (vt Patres [h] & Concilia docent) S. Euchariſtiam à venialibus, in quæ quotidiè labimur, emundare; ab ijs immaculatum eſſe communicantem neceſſariò ſupponere, dici non poteſt; numquam enim illa peccata ab eo abſtergeret, ſi illis eum numquam infectum reperiret.

Hæc doctrina eſt D. Thomæ expreſſè affirmantis Communionem duplici effe-

ctu gaudere, vno Sacramentis omnibus communi, nempè gratiam ſanctificantem primam vel ſecundam produceret altero particulari, qui conſiſtit in effuſione ſuauitatis cuiuſdam ſpiritualis, quæ in Communione guſtatur. Illorum prior (inquit) à veniali culpâ impediri nequit; quia ex illa ſe gratiæ iuſtificanti nõ repugnat; obeſſe tamen ipſamet poteſt poſteriori: tum maximè cùm quis libenter cum torpore in eâ reſidet; quandoquidem minimè credibile eſt, eum qui amoris non ſatis habet ad repellendas culpas charitatem minuentes, poſſe delicias, quæ ex illius præſentiâ, qui charitas ipſa eſt, oriuntur, perſentire.

Accedit, ad ignem, qui calorem cupit. Ad fontem, qui ſitit, vt hauſtâ aquâ, ſitim extinguat. Similiter, qui leuibus culpis non carent, nec ardent feruore quo deſiderarent, ad Euchariſtiam debent accedere, quò ſic nouâ gratiâ roborentur, vt defectuum ſuorum reliquias amittant, & quæ illis deſunt perfectiones, adipiſcantur.

Equidem poteſt quis, in aliquo caſu, ab illâ ſacratiſſimâ Euchariſtiâ ſubſtrahere ſe, præ reuerentiâ, quæ nõ erit culpa-

bilis: certum verò eſt ſatiùs eſſe ex amore ad eam accedere, ſiquidem duo illi effectus directè oppoſiti, ex principijs dimetiendi ſunt.

Ad frequenter communicandum Chriſtianus amore fertur, ab hoc deterretur timore; itaque cùm quod ex amore procedit, gratius ſit eo quod ex timore duntaxàt, qui communionem frequentat in gratia, meliùs illo, qui in eadem exiſtens non niſi rarò communicat, operatur.

Ad menſam Domini non accedimus, quia digni: nemo talis eſt ad rigorem iuſtitiæ: ſed potiùs, vt illâ quadātenùs fiamus digni, eò proficiſcimur. Sacram communionem non ſuſcipimus, quòd eam mereamur, at quòd eâ refici opus habeamus. Modò à mortali peccato, quod cum gratiâ ſtare nequit, ſimus immunes, & veniale oderimus, quantumcunque aridi, hanc eſcam ſacratiſſimā refectionēque cæleſtem ſuſcipere, quæ nos corroborando nouâ gratiâ, reliquos in nobis humores prauos haud dubiè diſſipabit, formidare non debemus.

Scio quidem eum, qui flammis charitatis ardenti corde, ad hanc menſam ſacram venerit, meritum piæ diſpoſitio-

ni sſuæ, nec-non effectum Communionis ſimul, conſecuturum eſſe. Sed licèt ſenſibili deuotionis affectu deſtitutus quis acceſſerit, nequaquam non recipiet effectum propriæ virtutis Sacramenti, quo gratia augetur.

Si quis dixerit, cùm amore ardentem animam ad ſenſum vſque non percipit, ſe minimè ſentire communionis effectū; quod credendi, ſibi eam inutilem eſſe, locum præbet: nouerit ſuam peſſimam eſſe Philoſophiam, gratiâque per Sacramenta productâ intellectuali exiſtente, non autem ſenſibili, eam non ſenſu probari debere, ſed ratione, qua credere oportet à nobis illam ſuſcipi, modò conſcientia dictet, eorum, quæ ad ſufficientem præparationem nobis moraliter neceſſaria ſunt, nihil nos omiſiſſe.

Si inſtet, cùm aliquando æquè imbecillum ad actiones bonas, & æquè languentem ad exercendas virtutes, à communione, ac antè, ſeſe inueniat, eius effectum ſe recepiſſe, non poſſe credere; etiam nouerit diſcurſum ſuum non eſſe legitimum; & vice dubij de effectu Sacramenti, negligentiam damnet propriā, cuius vitio, gratiâ receptâ non benè vſus

est. Sciat se gratiæ, non gratiam, sibi defuisse, vt D Paulus loquitur. Agnoscat vi Sacramenti fuisse productam; sed in eo suos effectus minimè habuisse, quia receptam debitè non exercuit.

Procul dubiò sanctum hoc Sacramentum, ad hoc vt familiaris atque fructuosus esset nobis eius vsus, institutum est. Et si quoties illud sumimus, æqualem eius efficaciæ succum ab eo non exugamus, culpa nostra est duntaxàt.

Si alimenta sæpè accipienda sint, quòd non solùm vtilia, sed etiam necessaria ad tuendam vitam corpoream existant; similiter hoc sancto cibo à Deo pro seruandâ augendâque magis ac magis gratiâ, animarum vitâ, sæpè vtendum est.

Si obijciat quis, sine esci vitam duci non posse; sine Eucharistiâ, non item; Respondeo licèt sine eâ viuere contingeret, non tamen sine eâ, benè. Nam sine gratiâ benè viuere impossibile est; & qui eâ præditus est, eandem periclitatur amittere, si carnem sui Saluatoris in Eucharistiâ, per quam intenditur ipsa gratia atque virtus ad resistendum tentationibus à dæmone, vt illâ priuemur, immissis, sumere negligat.

Digitized by Google

Atque, in ſenſu legitimo, abſque eiuſmodi cibo viuere nemo poteſt, cùm enim eius vſum impedire nil poſſit, niſi priuatio gratiæ, quæ animæ vita vnica eſt; ſequitur abſque Euchariſtiâ nullum viuere poſſe, cùm ſine gratiâ nequeat: & gratiâ imbutus, Euchariſtiæ participationem nimis differe non valeat.

Quemadmodùm virginitas matrimonio longè pretioſior eſt, quia ex ſua natura bonum eſt ab hominibus per ſe appetibile; matrimonium verò, mali remedium duntaxàt, & medium ad hominum propagationem à Deo inſtitutum cenſetur: ſimiliter qui Saluatoris ſui pretioſo corpore ſæpè veſcitur, ab eo abſtinenti præſtare credendus eſt, quia eſcæ huius ſacratiſſimæ receptio, bonum eſt appetibile per ſe, cùm non ſolùm carni filij Dei, ſed etiam ipſi Deo copulet; abſtinentia verò abillâ, bonum æſtimari nequit, niſi per accidens, ad malum (quale eſſet irreuerentiæ) fugiendum. Deo per gratiam vniri, quanta felicitas! at quæ beatitudo, eidem cohærere per propriam eius ſubſtantiam, atque his duobus medijs, vnum cum eo eſſe

Fateor rationem hanc, quam Deus ex

gratia mihi ſuggerere dignatus eſt, cor meum tranſuerberare, dum attendo pauxillum reflexionis hominum, in abyſſum bonitatum, quibus myſteria ſalutis eorum innituntur: fieri nè poteſt, vt ſapiétiam ipſam audiamus expreſſis verbis dicentem: *m* Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient; & ſanctum hoc epulum ſacrumque potum ſæpè non concupiſcamus?

Epularum vulgarium vſus frequens ſatietatem parit, ſed S. Euchariſtiæ, Chriſtianorum eſcæ ſacratiſſimæ, penitùs oppoſitum, duas ob cauſas efficaciſſimas. Prior in eo conſiſtit, quod cuilibet profano cibo quidam ineſt defectus, quem ex vſu diuturniori percipi conſequens eſt, vnde faſtidium generatur. Cùm contrà carne filij Dei pretioſa, cùm ſit abſolutè perfecta, quò plus reficimur, eo magis eius excellentiam intelligamus, & ſacro eius nutrimento frui ardenter deſideremus.

Poſterior, eſt, quòd eſcæ communes, quamuis hominum nutritioni neceſſarię, ſtomachum grauent recipientem, quia, vt ab eo digerantur, vires in eum nullas ingerunt. Contrà verò, ſacrum filij Dei

corpus, ſtatim atque ſe alimentum præbet, augmentum gratiæ ſuggerat, quæ vigorem animis adhibendo, vt ſacrum inde ſuccum exprimant, eiuſdem ſemper illis auget affectum.

Quoquo modo ſpectetur Euchariſtia, ſuis gaudet prærogatiuis; vt alimentum ſuæ perfectioni vicinum aliud, hîc non habet; ſi autem vis ac virtus in aduerſarios, hominibus ab ea allatæ conſiderentur, ſimiliter hîc ei nihil æquandũ venit.

Auxiliares copiæ ab ipſomet Principe ductæ, ſemper ijs potiores ſunt, quas per alterum ſubmittit. Vnde licet cætera ſacramenta noſtræ ſalutem hominum inſtituta, in virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti operentur, ratio poſtulat, vt id quod eum perſonaliter continet, illis omnibus efficacius ſit, atque cò excellentius, quò ex præſentia ſubſtantiali eius, à quo agendi vim omnia mutuantur, effectum ſuum producit. Sic Euchariſtia inter cætera Sacramenta primas partes obtinet, cœcumque atque dementem eſſe oportet, vt inde proueniens vtilitas ignoretur, vel, æqualem dæmonum obſirmatæ, malitiam habere, vt ad ſalutem animæ ſuæ eſca illa ſacratiſſima

vti fruique quis nolit. [a] 1. Cor. 11. v. 28.
[b] Sess. 13. c. 7. ità loquens.
Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmiss Sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat.
[c] Prouerb. 24. v. 16. [d] 2 Cor. 2 v. 7.
[e] In summa Verbo, Communio Sacramentalis, in 4 requisito ad dignè communicandum ex parte sumentis, sub finem.
Vide etiam in 3. p. D Thom.
[f] Dicta sess. 13. cap. 7.
[g] Vbi sup à.
[h] D. Ambrosius tom. 4. lib 5. de Sacram. c. 4. a medio. Innocentius 3. lib. 4. de sacro Mysterio altaris c 44. antè medium & alij.
Concil Trident. sess. de S Euchar. Sacramento cap. 2. vbi ait;
Sumi autem voluit Sacramentum hoc Saluator noster tanquam &c. & tanquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus preseruemur.
[i] 3. p. q. 79. art. 8. vbi etiam ex art. 1. & 2. quædam supponit, & ait;.

Peccata venialia non ex toto impediunt huius Sacramenti effectum sed in parte. Dictum est enim quod effectus huius Sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis; sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum, per peccata venealia mente distractus. Non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ vel charitatis.

[l] Vide quæ ad cap. 22. pag. 218. edit. 2. lin. 15. in prologo. [m] Eccles. iast 24. v. 29.

CAPVT XXIII.

Obseruatio grauissima in vsum vitæ purgatiuæ.

QVIA ignoti nulla cupido, vt cæca voluntas abhorreat à malo atque ab eo recedat per vitam purgatiuam, illam, vt peccati malitiam agnoscat, illustrari necesse est. Verùm hoc discriminis reperitur inter lumen huic negotio necessarium, & illud quod in secundo vitæ genere quæritur, quòd priori accommodatum, sit confusum, nec nisi per peccati densam caliginem, à qua quis nondum euolutus est, sui speciem effun-

dat, contrà verò posteriori, dissipata illa caligine, clarum distinctumque conspiciatur; prius necessitatis sit, posterius perfectionis : illo, cognoscatur in genere duntaxàt, quòd cùm diuinæ voluntati peccatum aduersetur, (quod neminem Christianum latere potest) fugiendum sit atque exhorrendum. Altero, in cunctis fidei mysterijs, Diuinæ bonitatis magnitudo penetretur, vt prouocemur ad eum amandum, non solùm satis, vt à peccato reuocemur, quod iam perfectum est, sed vt vitæ Domini nostri Iesu-Christi puritatem imitemur, & in via perfectionis proficiamus.

Cùm vitæ purgatiuæ finis, sit hominem à peccato mundare, peccatum verò nil aliud quàm transgressio diuinæ voluntatis, quod primò requiritur, vt eiusmodi vitæ formam induamus, illud est, videlicet recte discernere, in quo voluntas Dei consistit, ne illam transgrediamur.

Faciendorum vel omittendorum omnium tria sunt genera, nimirùm præcepta, prohibita, & indifferentia. Deus manifestè vult, vt ab eo præcepta impleamus, tùm quæ ab Ecclesiâ, siue aliâ qualibet authoritate superiori, modò le-

Digitized by Google

gitimâ, & citrà limites ſuæ poteſtatis operetur. Similiter vult, vt abſtineamus à prohibitis, per ſeipſum, per Eccleſiam, vel per alias poteſtates ſuperiores.

Indifferentia verò agere, vel non, homini liberum relinquit; eaque bona vel mala, conformia vel contraria voluntati eius ſanctiſſimæ reddendi, licentiam illi confert; conformia, ſi ei placendi gratia illa perficiat, contraria, ſi ſit adeò miſer, vt fini Creatoris ſui finem oppoſitum ſibi præſtituat.

Præcepta ſunt in duplici differentia, quædam ſunt quæ credenda, alia quæ opere implenda.

Quæ credenda, ſcripturis ſanctis, Conciliorumque definitionibus includuntur, & in Apoſtolorum ſymbolo habentur abbreuiata, quorum præcipua capita, diſtinctè noſcenda ſunt, & cuncta ſimul, nullo excepto, credere neceſſe eſt, actu fidei, quæ cuiuſuis Chriſtiani iudicium iudicio Eccleſiæ ſubmittendo, abſolutè credit quicquid illa poſitiuè docet in explanatione ſymboli, neque cuiquam ex ijs, quibus fidem adhibere vetat, adhæret.

Quæ facienda, ex decalogo & Eccleſiæ

præcepto colliguntur.

Decalogus tria positiua continet, Deum vnicum adorare, sanctificare sabbatum, ac vtrumque parentem honorare.

Ecclesia iubet alia quatuor, festorum sanctificationem, confessionem & communionem, saltem semel per annum, in Paschate, ac soluere decimas.

Prohibita depromuntur ex iisdem decalogo & præceptis Ecclesiæ. E decalogo septem, ex Ecclesia, duo. Septem decalogi sunt hæc: Non assumere nomen Dei in vanum, non occidere; non mœchari non furari, non dicere falsum testimonium, non concupiscere, bona proximi, nec vxorem eius: Ecclesiæ duo sunt; non nubere temporibus prohibitis & abstinere à cibis carnalibus, temporibus determinatis.

Quicquid à potestatibus superioribus iniungitur, obligat in conscientia, seruandumque est, cum illæ iuxtà sibi à Deo collatam authoritatem moderãtur; quod ità semper se habet, cùm quod decernunt, suo statui tuendo necessarium est.

Prælati, & Religiosi superiores, vel alij, possunt obligare in conscientia, ad ea quæ necessaria sunt, vel ad conserua-

tionem hierarchiæ Eccleſiaſticæ, vel Ordinum ſpecialium ſibi ſubditorum.

Quemadmodùm poteſtates illæ omnes, facienda præſcribunt poſitiuè, cum obligatione; ſimiliter prohibent : Hæc verò inter diuinas & humanas leges atque conſtitutiones eſt differentia, quòd priores immutabiles exiſtant, poſteriores verò variari debeant pro circumſtantiis temporis loci atque perſonarum.

Eccleſia etiam ipſa, conſtans & indeflexa in definitionibus quæ ad fidem pertinent, ſæpè mutat quæ ad politiam; Et Prælati alique ſuperiores, quibus eſſentialia Regulæ ſuæ alterare non licèt, aliquandò quæ talia non ſunt, variant ob eaſdem circumſtantias.

Indifferentia, triplicia ſunt. Prima, grata ſenſibus, vt relaxare animũ deambulatione, ludo, choreis, comediâ. Alia illis ingrata, & quæ ex conſilio tantùm vſurpantur, non ex præcepto; vt flagellis, aliiſque auſteritatibus carnem affligere, die, horâ, quibus fas eſt illud agere, vel omittere. Poſtrema, quæ ſenſibus nec grata nec ingrata, vt progredi, regredi, ſedere, quieſcere, & ſimilia.

In hoc triplici rerum genere, licèt, quæ

primi ordinis, periculosę sīt, ac quę secũdi, salutares & commodæ; nihilominùs, quòd cuique magis libuerit ex illis eligere, ordinariè liberum est, modò nil indè operetur, quo peccati periculum incurrat.

Cùm tamen ratio proprium ac singulare sit hominis priuilegium, ipsa motiuum genuinum existit, quo in prædictis moueri debet Christinus, ad determinandum se circa electionem rerum actionumque eiusmodi. Et quamuis maioris perfectionis intuitus, à sensuum illecebrosis suadeat abstinere; huic austeritati veniam dare debet, cùm id sanitas eius, conditio, tempus, locus, aliaque adiacentia postulant; ac certum habere, Christiani perfectionem non tam versari in discernendo peracutè, quid, inter adiaphora, deo gratius futurum sit; quàm in eius decretis cognitis fideliter exequendis, quoad præcepta atque prohibita; sicque dirigendis intentionibus, in his, quæ hominis arbitrio agere vel non agere permisit, vt nisi ei placendi gratiâ nil operetur. Ità gerendo, quicquid faciemus, procul-dubio Deo placebit, cùm hoc tamen discrimine, quòd in præceptis

& prohibitis intentio noſtra ſequatur opus, & voluntas voluntatem Dei, quæ per leges eius apertè manifeſtatur; cùm in indifferentibus, è conuerſo, opus noſtrum intentionem ſequatur, & voluntas Diuina noſtræ ſe accommodet; quia in tali caſu, Deus ſibi legem indixit volendi quod illi placendi cauſâ volumus itaùt exercendo de indifferentibus quod rationi magis conſentaneum videtur; æquè ac mandatis eius obediendo, ſi fideles illi ſimus, voluntatem illius poſſimus perficere.

In his tribus varijs rerum, præceptarum, prohibitarum, indifferentium, naturis, homo peccare poteſt vel cogitationibus, avt verbis, aut operibus. Peccata illa lethalia ſunt, aut venialia, & multifariàm poſſunt admitti, quæ diuerſitas facile diſcerni poterit ex regulis generalibus, quas tradituri ſumus, vbi agemus de peccato.

Nunc ſatis ducimus animas perfectionem conſectantes inuitare, vt ad præcepta, prohibita, indifferentia, quemadmodùm ſuprà dictum eſt, ſic ſe habeant non admittant vllum peccatum mortale; ſtatim atque ſe illo infectas viderint,

emundent, aduerſùs relapſum in illud, vires obtinere maiores ac maiores ſatagant, & pro viribus caueant etiam à venialibus culpis, ijs maximè, quæ ex deliberatione perpetrantur.

En vitæ purgatiuæ fines particulares, in quos, citrà ſenſuum experientiam, raptos ſe homines inuenient, ſi datis conſilijs excitauerint in ſe charitatem Dei, ſi ſæpè præſentem eum meminerint, ſi deniquæ frequentauerint Pœnitentiæ atque Euchariſtiæ Sacramenta, quæ vt finem propoſitum conſequatur mirum illis ſuppeditabunt auxilium.

CAPVT XXIV.

Obſeruatio in exercitium vitæ Illuminatiuæ vbi de mentali & vocali oratione tractatur.

VITA illuminatiua nihil aliud eſt, vt iam expreſſimus, quàm cura ſic à ſenſuum inuolucris expediendi ſe, vt mens noſtra ſalutis myſteria clariùs valeat contemplari; atque ſplendore eiuſmodi, à peccati caliginoſis nubibus libero, voluntatem ità accendere, vt aſſiduis

validiſque virtutum exercitationibus earum habitus acquirat; qui contractos vitioſos conuellentes, paſſionum noſtrarum libidinumque victores nos efficiant, & conferant, implendi voluntates diuinas, facilitatem nobis ampliorem.

Certum eſt orationis mentalis exercitium partem vitæ illuminatiuæ præcipuam conſtituere; & iccircò in quo conſiſtat, & quid ad eius perfectionem comparandam neceſſum ſit, ſcire, operæ pretium eſt.

Docent Philoſophi ſpecieiaiicuius notitiam perfectam haberi non poſſe, niſi cognito priùs eius genere: ratio itaque poſtulat, vt definitionem orationis in communi proponam, antequàm ad illius partes deſcendamus.

Oratio, eſt actio quâ noſtræ voluntatis affectum Deo proteſtamur, eiuſque effectum ad vtilitatem noſtram & Dei gloriam nobis ab eo concedi ſupplices poſtulamus.

Oratio communiter diuiditur in duas ſpecies, mentalem & vocalem. Prior, in animo concipitur cogitatione. Poſterior in ore verbi prolatione formatur.

Prima ſecundæ, quod anima corpori

eſt ; nimirùm illam animat, vim vitamque ſimul ei confert, hoc præſtat animæ, quod radix arbori, cùm ſicut ſuccum, quo nutritur arbos, è terra cui inhæret ſenſim ſine ſenſu radix exugit & attrahit, ità oratio è cælo, cui applicatur cogitationibus ſanctis, humorem exprimit viuificum, qui animam noſtram gratiæ roribus refrigerat, & eo, quo Angeli, cibo nutritur, qui in contemplatione atque amore Dei perpetuò verſantur.

Hoc medio, ſeruamus cum Deo ſuaue commercium, in quo delectationes quas amor eius & notitia mentibus illi vnitis infundere ſolent, lucri facimus; hoc denique alueo gemino Diuinarum noſtrarumconſolationum, gratiarumque ſuarum torrentes influit.

Secũda primæ, quod igni ventus, eſt; vt enim Spiritus iſte elementum illud excitat & accendit; ſic orationes vocales ignem aliquandoò ità feruidum in nobis ſuſcitant, vt eius flamma cœlos vſque conſcendat, vbi ſuſpirijs amore plenis, quærimus obiectum illud vnicum, in cuius fruitione animæ noſtræ poſſunt requieſcere.

Oratio in genere diſtinguit hominem à cœteris

cœteris animãtibus, quæ cùm ratione careant, etiam oratione, quæ rationis ſingulare priuilegium eſt, priuantur. At mentalis ſuprà ſeipſum hominem tollit, Angelis eum aſſimilans; quatenùs, in tam ſanctâ operatione, quodammodò illos imitatur.

Quælibet oratio peccati remiſſionem impetrat, & pro ipſo ſatisfacit; quia illa opus laborioſum eſt. Sed præterea peccati radices extirpat mentalis, cùm nos, ad noſmet reuocans, paſſionum ſubjectioni de totis viribus incumbere, necnon peruerſorum habituum dominos efficiat.

Omnis oratio meretur augmentum gratiæ, quandò ab animâ iam habente gratiam effunditur: Verùm mentalis, cùm eò puriùs noſſe & amare tribuat gratiæ principium, quò illud, intuitu à ſenſuum caligine liberiori, conſideramus, illos augmenti gradus multiplicat pro ratione augmenti notitiæ, & perfectionis charitatis noſtræ.

Oratio quæuis auget ſpem & fiduciam in Deum; quod exemplo ab hominibus ſumpto poteſt concipi; quò enim magis alicui iungimur, eò familiariores & confidentiores ei ſumus; mentalis autem

quauis aliâ eminentiùs hunc effectum ſortitur, quatenùs Deum clare conſpicere concedens, eius bonitatem vehementiùs nobis imprimit, ſpei noſtræ veram originem.

Quæcumque oratio charitatem inflammat, cùm impoſſibile ſit, ſæpè cum Deo conuerſando, flammarum eius ardores non percipere : Mentalis verò eandem charitatem operatur in nobis, eò validiùs, quò conuerſatio in quam cùm Deo, illâ mediante, ingredimur, interior eſt atque perfectior.

Quælibet oratio humilitatem ac timorẽ perficit; cùm iuſtum ſit, ſæpè poſtulantem, tanquam mendicum abijcere ſe, eumque, cuius ope ſingulis indiget momentis, diſcere reuereri; ſed mentalis eiuſmodi gratias nobis largitur multò perfectiùs, cùm abſolutam noſtri notitiam nobis procurando, per reflexionem in interiora animæ, oculis noſtris defectus proprios à radicibus exponat, atque ſic humilitatis timoriſque cauſam ſuggerat ampliorem.

Oratio quælibet guſtum parit ſpiritualem, mundique contemptum; quatenùs qui ſæpè agit cum Deo, à quo varia re-

cipit ſubſidia, id ſine delectatione & abſque contemptu bonorum huius mundi, à quo ſine dùbio omnia procedunt mala, minimè poteſt; at mentalis guſtum illum contemptumque rectè congeminat, cùm qui ſæpè cœleſtia attendit, eò maiore indè conſolatione infundatur, quò illud agit puriùs ab objectis, quæ materiæ immerſa, imperfecta ſunt.

Quæuis oratio Chriſtianos reddit ſpectabiles in hoc ſæculo; cùm certum ſit, quòd ſicut pluris æſtimantur Regij Comites, quàm plebeij: ità ad Dei pedes ſæpiùs prouoluti, digniores habendi ſint, quàm qui malitiâ ſuâ aut negligentiâ ſe tanto honore priuant: verùm mentalis, homines non ſolùm magno pretio eſſe facit Angelis, qui Diuinum cum Deo congreſſum intueri non poſſunt, quin eam ſingulari modo reuereantur; ſed etiam ipſi Deo chariſſimos, qui eos à ſeipſis exoluere ſe nequit conſpicere, quin eius vnione ſpeciali dignos eoſdem percenſeat.

Tandem vocali tantò excellentior eſt oratio mentalis, quantò corpore nobilior eſt animus.

Oratio vocalis, poteſt quidem defectuũ

noſtrorum emendationem virtutumque exercitium à Deo poſtulare : mentalis autem illorum gignit notitiam, iſtarum vſum docet ; ſicque nos ad Chriſtianam perfectionem amplectendam incendit.

De illâ oratione eſt, de quâ dici poteſt; Niſi videritis, non comprehendetis; guſtate & videte, ſi huic ſancto exercitio, quod à ſenſuum ſedatis tumultibus, & ab elongatione à mundi cogitationibus incipit, & in pace animi atque alacritatibus ineffabilibus, in Dei ſui poſſeſſione animæ occurſantibus perficitur, æquale quid in delicijs reperiatur.

Ob eius excellentiam D.[a] Auguſtinus ad eam ferè cum aliarum excluſione cõmendandam erumpit. Cum oratis, inquit, non voce ſed mente clamate .: Deus enim etiam tacentes exaudit.

D.[b] Bernardus idem cupit, quando Moſis ſuſpiria, tanquam voces altiſſimas cælos penetrantes, vt Dei iuſtitiam armis ſpolient, eiuſque miſericordiæ locum præbeant, etiam cùm velut occluſum os eius manet, repræſentat.

Nempè hominibus adeò bonus eſt Deus vt oris eorum ſupplicationes ſæpè nõ expectet; ſed cordis affectibus reſpondeat.

Non id tamen, quòd illi SS. Patres orationes vocales reprobent: iilis vſi ſunt nimis, vt eaſdem condemnent; ſed oris eloquium eſſe inutile, ni cordis affectu cõcitetur & emittatur, volunt oſtendere.

D. [c] Auguſtinus ſeipſum clarè exprimit, his verbis; orandum potiùs mente quàm ore. Ad quid (ait ille magnus) ſonus oris, ſi cordis nullus ſit? clamores ad Deum non vocibus, ſed lachrymis mittuntur: ſcilicèt quod Deum alloquitur, cor contritum eſt, quod ſuos oculis ſingultus exprimit. Parùm refert, inquit alibi, ſi loquaris, modò cordis affectus ſit non modicus.

D. [d] Chryſoſtomus idem ſentit, cùm ait; non voce tonante Deus inuocandus eſt, ſed purâ conſcientiâ placandus; Deus enim cor, non vocem exaudit. Demùm adeò conſtat Deum delectari magis cordis quàm oris eloquio, vt Dauid eum non oris ſed cordis ſui Deum appellet.

[c] Tom. 10. ſerm. 22. ad fratres in Eremo, vbi hæc ſcribuntur circa primam tertiam ſermonis partem.

Clamate non ſolũ voce, ſed maximè mente. [Et quibuſdã interiectis] *Nam & tacentes ore, mente autẽ orantes exaudiuit Dominus.*

Sed nota hæc, in appendice, alterius Authoris esse censeri, licèt optima sint & vera.

[b] In Psal. Qui habitat. serm. 16. paulò post initium, vbi ait.

Ad cordis potius vocem quam corporis, aures eius; cui meritò dicitur; Deus cordis mei. Hinc est quod Moyses foris tacens, intùs auditur, dicente Domino, quid clamas ad me?

[c] Vbi suprà. Et alibi. vt tom. 8. in Ps. 50. sub finem; in Ps. 119. circa 4. partem vltimam explanationis, vbi ait;

Ad singula verba lachrimæ profluent, tunc psalmus cantatur, & facit cor quod in psalmo cantatur.

Quam multi enim sonant voce, & corde muti sunt! Et quam multi tacent labijs, & clamant affectu, quia ad cor hominis aures Dei? &c.

Multi clauso ore exaudiuntur, & multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Affectibus orare debemus & dicere &c.

[d] Tom. 2. operum Latin. hom. 13. ex Incerto Authore in Matth. cap. 5. sub finem vbi sic habet;

Nam Deus non voce clamosa pulsandus est, sed conscientiâ rectâ placandus: quia non est vocis auditor, sed cordis.

CAPVT XXV.

De duabus aliis Orationis ſpeciebus, mixtâ & Iaculatoriâ.

PRÆTER illa duo, mentalis videlicèt & vocalis orationis genera, quæ iamjam explicauimus, & inter ſe comparauimus; tertium eſt, ab aſceticis vocatum mixtum; quia ex illis duobus mixtis conſurgit, quatenùs in eo mens & lingua ſimul operantur. In hac ſpecie, ſimul ac os verba protulit, mens in ea reflexa, ipſa conſiderat, rimatur, & ità conſiſtit in eiuſmodi, vt indè ſuccum atque mel, quod animas nutrit, exprimat. Oratio iſta vita Religioſorum ſancti Brunonis eſt, qui adeò lentè pſallunt, vt eorum interualla, illis, quæ ore pronunciârint, meditandi locum præbeant.

Inſuper quartam ſpeciem Antiquitati valdè celebrem tradunt Patres. Eam vocant Iaculatoriam, quòd ſit Iactus quidam & emiſſio humani cordis in Deum; hæc aliquando mente ſolùm concipitur; aliquando mente & ore producitur.

Interim duabus præcipuis cõditionibus differt à mẽtali & mixtâ, de quibus ſuprà.

Prior, est breuitas; cùm hæc oratio nihil aliud sit, quàm cordis quoddam suspirium, quo affectum suum ergà Deum in instanti testatur.

Posterior, ardor est multò maior eo qui in aliis orationibus inuenitur: cæteræ fieri possunt aut sine gratiâ sanctificante, aut cùm solo habitu charitatis; cùm hæc, non nisi ex actualis charitatis feruore, qui hominem, vt Deo iungatur arctiùs, mirificè mouet, proficiscatur. Animarum gratiis eiusmodi præuentarum, extases, similes sunt ebullitionibus aquæ, quæ ex vase suo nunquam exiliens, nisi cum ignis ardore violento efferbuit, eodem vase, cùm ad hoc peruenerit, non potest contineri.

Eam ob rem Patres illam reliquis præferunt, Deus enim non tam prolixitatem orationis, quàm flammam vnde emanat, intuetur. Hinc Diuus Augustinus de illâ loquens ait; Effectus, quem habitura est, eò dignior sequetur, quò amor præcedens fuit ardentior.

Cassianus [b] dixit, sagittarum illius cuspidem esse ex auro sic obriso atque acuto, vt non minùs molliter cor Dei vulneret, quàm certò contingat. Homo, sa-

gittarius est qui contendit ferire; Deus, scopus ictum recipiens, eò certiùs, quò ipsemet illi se offert, cumque hominem superet fortitudine, ad vnum iaculum susceptum, centum infigit creaturæ: sicque fit amoris & pugnæ simul, commercium, cui finis nullus est, nisi gloria Dei, qui victor existit; atque salus hominis, qui vinci nequit, nisi cum bonorum suorum augmento.

Orationes omnes, quas ex decreto Ecclesiæ fundimus, sunt effectus nostri ergà eam obsequii, nec-non vnionis, quam cum illâ & inter se fideles cupiunt, & habere debent: adorationes publicas exhibent, ac student communibus commodis: Iaculatoria verò, cuiusque particularis hominis effectus deuotionis est, cor suum Deo offerentis, seu voce elatâ, seu suspirijs elicitis, seu pijs in animo formatis affectibus.

Oratio eiusmodi, motus animi præcisè testatur; pro necessitatibus, quibus premitur & passionibus. Si illum Dei charitas vrgeat, illicò vel mente vel voce, feruor ab eo exprimit aspirationem Dauidicæ similem, cùm ait, c Diligam te Domine, fortitudo mea, diligã te Deus meus.

Si timore corripiatur ex improuiſo, cùm eodem Propheta[d] dicit, confige timore tuo carnes meas.

Si Creatoris ſui bonitatem ſtupeat, ex ore & corde, eiuſmodi prodeunt vocabula; [e] Quàm bonus Iſraël Deus! Si miſericordias eius contempletur, [f] exclamat; Miſericordias Domini in æternum cantabo. Si varia ab eo ſuſcepta beneficia recordetur, ſic fatur; [g] quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? cùm ſperat, ſi os tacuerit, cor loquitur eiuſmodi, [h] In te Domine ſperaui, non confundar in æternum. Si vehentiſſimâ quâdam tentatione conflictetur, hæc audiuntur verba; [i] Domine vim patior, reſponde pro me. Denique ſi tribulationibus atteratur, crebrò, in hæc, erumpunt eius ſuſpiria & lacrymæ. [l] Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me; poſt tempeſtatem, tranquillum facis; & poſt lachrymas exultationem infundis.

D. [m] Auguſtinus in hos affectus varios omnes excedit; oſtendens animam, illis mediis, ferè in inſtanti, laudare Dei potentiam, ſapientiam mirari, adorare bonitatem, iuſtitiam approbare; in momen-

Digitized by Google

to, omnem egeſtatem ſuam exponere, infirmitates & miſerias detegere, errores & peccata ſua dignoſcere & fateri; ac de his verâ contritione conceptâ, Deo fidelem obedientiam in æternùm offerre & proteſtari.

Ex ſanctis maiores, vſi ſunt ſedulò hoc genere orationis: apertè docet " inſignis ille ingenio, cùm ait, dum ipſe viueret, eos qui in Ægypti ſolitudinibus degebant, animi ſui motus, atque ardentis charitatis ſagittas, in Deum ſæpè dirigere ſolitos. Huius etiam eximij viri opera illis orationibus quaſi ſtellis reſpergũtur, maximè familiaria eius cum Deo colloquia in ſoliloquijs; ° vita es, inquit, viuifica me; tu es creator meus, repara me; ægroto, aduoco medicum; ſum cæcus, ad lucem feſtino; mortuus ſuſpiro poſt vitam: Tu lumen, tu vita, Ieſu Nazarene: O lumen tranſiens, expecta cœcum: ô vita viua mortuum ſuſcita. In libro meditationum ꝑ Deum alloquens ait, Amo te, Domine, pluſquàm cœlum & terram: magnus eſt amor quo te diligo, ſed iugiter opto, vt maior fiat. Qui huiuſmodi flores omnes à Diuino illo ingenio productos vellet colligere, ex illis nimiæ

amplitudinis ſertum compingeret.

[a] Tom. 2. Epiſt. 121. ad Probam cap. 10. pag. 212. litt. E. cum in hanc ſententiam ſic ait.

Abſit ab oratione multa locutio, ſed non deſit multa precatio, ſi feruens perſeuerat intentio, &c. [Et quibuſdam interiectis] *Plerumque hoc negotium plus gemitibus quam ſermonibus agitur, plus fletu quam affatu.*

Vide totum cap. 10.

[c] Pſalm. 17. v. 2. [d] Pſal. 118. v. 120.

[e] Pſal. 72. v. 1. [f] Pſal. 88. v. 2.

[g] Pſal. 115. v. 12. [h] Pſal. 30. v. 2.

[i] Iſaiæ 38. v. 14.

[l] Pſal. 31. v. 7. & Tob. 3. v. 22.

[m] Tom. 1. ſoliloq. lib. 1. cap. 1. per totum, vbi inter plurima ſic exclamat paulò poſt medium.

Exaudi, exaudi, exaudi me Deus meus, Domine meus, Rex meus, Pater meus, cauſa mea, ſpes mea, res mea, honor meus, domus mea, patria mea, ſalus mea, lux mea, vita mea. [Et infrà] *Nihil habeo quàm voluntatem, &c.*

[n] Tom. 2. ep. 121. ad Probam. Impreſſ. Coloniæ Agrippinæ. ibid pag. 212. col. 2. Litt. E. vbi

Dicuntur, inquit, fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm necessaria est, per productiores moras euanescat atque hebetetur intentio.

Vide etiam D. Thom. 2.2. q.83. art. 14. in corp:

° Tom. 1. lib. 1. Soliloq. toto. cap. 1. Vide etiam tom. 9. in appendice, lib. soliloq. cap. 2. paulò antè medium, pag. 328. col. 2. vbi sic habet.

Ægrotus sum, ad Medicum clamo: cœcus sum, ad lucem propero: mortuus sum, ad vitam suspiro. Tu es Medicus, tu lux, tu vita Iesu Nazarene. Miserere mei Fili Dauid, miserere mei fons misericordiæ, audi qui ad te clamat infirmum. Lux quæ transis, expecta cœcum; præbe ei manum vt ad te veniat, & in lumine tuo videat lumen. Vita viuens reuoca mortuum, &c.

p Tom. 9. dicti lib cap. 35. vbi circa primam tertiam capitis partem ait;

Diligo te super cœlum & terram, & cætera omnia quæ in eis sunt [& post pauca] *amo te Deus meus, amore magno, magisque te te amare cupio, &c.*

CAPVT XXVI.

Fusior explicatio Orationis mentalis, cum præceptis quæ ad eius praxim pertinent.

ORATIO mentalis, est animæ nostræ operatio, in quâ ex intellectione alicuius veritatis fidei voluntas nostra mouetur ad desiderandam petendamque à Deo perfectionem Christianam vel ad profectum insignem in eâ faciendum.

Cùm ei vacare cupimus, primò nobis cum Deo agendum debemus attendere: vt sic ab obiectis sensuum abstrahamur, cogitationes mundanas expellamus ab animo, & ad reuerentiam Maiestatis ac bonitatis Diuinæ meritis debitam prouocemur, dein in conspectu Dei semetipsum exinanire oportet, & ex singulari eius gratiâ, necessariam tantæ actioni attentionem decusque postulare. Hac præparatione præsuppositâ, mysterium meditationi destinatum, menti vehementer est imprimendum, sine vllâ tamen perplexitate animi, qui dispositioni Diuinæ Spiritus sancti suauiter committendus est. Veritate subiecti mente ri-

tè ac rectè imbutâ, notandum cui potiſſimùm rei nos aſtringat, ſpectandoque obligationem eiuſmodi eſſe perpetuam, & non ad tempus duntaxât, in ſemet reuertendum, atque examinandum non ſegniter, ſi conformiter iſti veritati ſemper actum ſit. Si affirmatiuè; ex gratiæ Diuinæ munere acceptum profitendo, ſummo cordis affectu, gratiarum actiones Deo referendæ ſunt: ſi verò conuincimur defectionis ab illâ, demittere atque confundere nos oportet, & varios ſinceræ contritionis actus elicere. Poſteà ſedulò quærenda media, quibus ex futuris præterita reſtaurentur; cuius reſtaurationis firmum propoſitum formandum eſt; & quia ſinè gratiâ homo ex ſe nil poteſt, item in homine, ſine homine, gratia nihil operatur, ardentiùs eam expoſtulabit à Deo, ſtatuetque pro viribus ei fideliſſimè cooperari.

Tùm producet actus omnes virtutum quas meditationis materia complectitur, ac ijs maximè, quæ ſuis defectibus nec non imbecillitatibus aduerſantur, inhærebit. Quo peracto aduertet diffidentiam quam de ſe, fiduciam verò maximam quam de bonitate Dei debet con-

cipere; & hac ratione ingredietur in pacem interiorem, ſuæ fructum orationis, in quâ pro viribus perſeuerabit; donec ad aliud (ſi plura ſibi præſcripſerit) punctum tranſeat meditationis; quo caſu eandem, quâ in primo puncto vſus fuerit, ſeruabit methodum, niſi quod abſque nouâ diſpoſitione, in ſui contemplationem ſubiecti aſcendet.

En, paucis, quod ad orationem mentalem ſpectat, prout communiter ab hominibus vſurpatur.

Aliæ ſuperſunt ſpecies, quarum gratiam vſumque, ſingulari bonitate ac potentiâ ſuâ Deus tribuit cùm voluerit, ad nutum: de quibus dicemus infrà, vt ſublimiores ſpiritus, quemadmodum cæteri, in hoc opere reperiant, quod illis faciat ſatis.

Interim hoc animaduerſione dignum non omittam, orationem ſcilicèt, de quâ nunc agimus, variè à varijs eſſe exercendam, prout tulerit conſtitutio naturalis, atque inſpiratio vel motus gratiæ eorum, qui illi ſe dedunt.

Plura quis in inſtanti, mente aſſequetur, quàm alter per horam dimidiam; & ardentia deſideria plura, per duos pſal-

Digitized by Google

mi versiculos eliciet quàm alter, dum longior psalterij psalmus recitaretur.

Quædam sunt ingenia sic discursui dedita, & ex se adeò subtilia, vt nisi proclivitatem hanc infrænarent, impetumque illius retardarent, intrà puræ speculationis Theologicæ limites demorarentur, cùm, ad sacri exercitij in quod tendunt, formam seu praxim, debeant peruenire.

Dissident satis ambæ illæ operationes, vt earum vitetur confusio : sed conueniunt etiam satis, vt vna, vice alterius, prodeat, ni ad errorem eiusmodi fugiendum simus perspicaces. Speculatio respicit obiectum, merè cognoscendi gratiâ; meditatio verò, mysteria sibi proposita, vt fructus colligat, & melior fiat. Prior rationes rerum scrutatur tantummodò, posterior vtilitatem educit, sibique accommodat.

Prima, quasi radius est, qui nullatenùs reflexus nullum calorem producit; altera, suâ super se reflexione operatur, vt quod in mente, cognitionis simplex radius erat, in corde ardor & amor euadat.

Inueniuntur quidam spiritus adeò inquieti & naturâ sua distracti, vt vix sub-

iecto ſingulari ad meditationẽ electo valeant inhærere ; ſaltemid nequeunt , niſi librum , quo ab occurſantibus diuerticulis abſterreantur , & varijs eius inſpectionibus ad ſuos ducantur fines , & in illis contineantur , præ manibus habeant.

Reperiuntur etiam , quibus, in diſcuſſione myſterij noſtræ Fidei mentem exercere per ſemi horam impoſſibile eſt, quin vltrà modum efferueant ; quò fit, vt conſentiant omnes ſpirituales , his orare per quadrantem , adæquare horas integras , quas alij temperaturæ moderatioris, ſine ſanitatis ſuæ detrimento , in eiuſmodi exercitatione piâ poſſunt impendere.

Orationes iaculatoriæ & mixtæ , de quibus ſuprà, eius generis ſpiritibus aptiores ſunt , oratione mentali extenſa. Iaculatoriæ , cùm ab amoris ardore producantur , naſcuntur ſine labore ; cumque momentaneæ ſint , nullatenùs mentem fatigant. Mixtæ licèt diuturniores, ardentibus, inquietis , & diſtractionibus obnoxijs ſpiritibus conueniunt ; verba enim quæ ore proferunt , moderantur & ſiſtunt mentem , vt par eſt , ad excipiendam indè conſolationem , & antequam

Digitized by Google

calore, agitatione, diſtractioneque ſuis arripiantur, orationis vocalis continuitas nouæ attentioni eos alligat, quæ ipſis, recentis mutationis gratiâ, non fit difficilis.

Eiuſmodi, in eâdem categoriâ collocandi ſunt, quâ huius mundi negotiis obruti, qui ſecundum contemplatiuorum ſapientiorum conſilium, in orando, idem ſeruare debent, quod in rebus expediendis, quæ breues eſſe debent ac ſucculentæ.

Reuerà, qui variis diei horis, diuerſis tranſeuntibus ex toto corde affectibus, Deo ſe conſecrârit, id iugiter cenſetur præſtare, modò nil agat, quod cordi ac ori repugnet; & quomodocumque mente opprimatur quis, elationes iſtæ piæ fient illi ſolatium tàm fructuoſum quàm ſuaue.

Non minùs deliciabitur oratione mixtâ, ſi raptim per ſemi-quadrantem ei voluerit ſpecialiter incumbere; ſi eam exerceat recitando orationem Dominicam; quam impoſſibile eſt apud ſe ſæpiùs reuoluere, quin vtilitas indè capiatur ineffabilis.

Conſiderare nequit anima, cur Domi-

nus noſter, huius orationis author, velit ab eâ Deum, Patrem ſuum, appellari; quam ob cauſam iubeat nos illum in cælo exiſtentem, quamuis vbique ſit, ſuſpicere, & non ſummo flagrare deſiderio viuendi vt decet filios eius genuinos, vt olim cum eo, cælo perfruamur.

Ob oculos ponere non poteſt, quibus eam addicat petitio quotidiana ſanctificationis Nominis Dei, aduentus regni eius, completionis voluntatum eius, quin zelo animetur nouo, ad efficiendum pro viribus, vt diuini Nominis ſanctitas toto terrarum orbe adoretur, Regnum gloriæ eius quoquouerſùs extendatur; quin etiam proprias velit abijcere voluntates, vt aliis quàm Creatoris ſui minimè gaudeat, in quo ſtat Chriſtiani perfectio.

Meditari non poterit quotidianam ſuam gratiæ cæleſtis, cæterorumque, quibus in terris indiget, petitionem, & non ſic ſe gerere, vt poſtulata illa notabilia beneficia percipiat.

Æquè erit illi difficile reſidere in odiis ac ſimultatibus, ſi remiſſionem peccatorum ſuorum à Deo, non niſi ſub conditione dimittendi debitoribus ſuis, quæ peccauerint, ſe poſtulare aduertat.

Denique adeò tenuis eſt, inter effræ-natam licentiam, quâ tentationum pericula quotidie incurrimus, & orationem quam ne in eas inducamur, effundimus, proportio, vt illam animo remenſi, operibus, ora, mendacij damnanda daturi non ſimus, neque nos ipſos expoſituri periculo demerendi mala à quibus liberari; vltimo huius orationis incomparabilis articulo identidem obſecramus.

Tam certa eſt huius exercitationis vtilitas, vt auſim dicere, à nemine cùm attentione debitâ frequentari poſſe, quin fructus vberes indè percipiat, etiàm præter ſpem, ſi adeò ſit miſer, vt nullum ſibi promittat.

Non tantùm animæ extenſis orationibus minùs idoneæ, multùm ex dictis, nullo negotio, proficient, cùm adeò vſu faciles ſint, vt etiam pueruli illarum inueniantur capaces: ſed & ſpiritus molliores, ſi orationi mentali prudenter operam dederint: ità vt ſi ardentes fuerint, & plus voluntate agant quàm mente, conſolationis plurimùm, laboris tantillùm duntaxàt, quoquo tempore ei vacent, in ipſa reperturi ſint.

His notatis decet animaduertere, quòd

ſicut qui à tenellis annis linguam aliquam per regulas didicerunt, diſertè nihilominùs eam loquuntur, etiam cum illas obliuioni dedêre, ità pleræque exiſtunt animæ, quæ orationem mentalem magno cum merito exercent, non ſeruatis accuratè regulis ſuprà præſcriptis.

Hic ex abrupto ingredietur in contemplationem ſubiecti ſibi propoſiti, nullâ datâ morâ præparationi præſcriptæ, quòd pietatem adeò naturalem ex orandi conſuetudine ſibi reddiderit, vt quam primò in ſe excitare debet, veneratio, futura ſit ab omnibus actionibus & cogitationibus eius inſeparabilis.

Alius quiſpiam ignitis eam adorietur eruptionibus, & amoris ſuſpirijs, licèt ex methodo traditâ, mentis actio voluntatis actionem debeat præcedere.

Hac in re, diuina inſpiratio ſequenda, orationemque potius artem eſſe, quàm ſcientiam, oportet meminiſſe, atque iccircò melius experimento quàm præceptis addiſci, canonum de eâ tradendorum certiſſimos, paruipendendos eſſe, niſi longo vſu firmentur, ac velut orationis obiectum finiſque, præter Deum, non eſt ſæpè ipſummet methodos tàm obſer-

natione faciles ſub Directiore tanto, quàm expreſſione difficiles docere, delectari.

CAPVT XXVII.

Quæ conditiones requirantur ad orationem

VT ex oratione fructum colligamus, eamque ad impetranda, quæ à Deo poſcimus, reddamus idoneam, vt attentè fiat, opus eſſe certum eſt.

Inter ſanctos egregius quidam, motus iſtâ veritate, iure exclamat, Mirum non eſt ſi Deus minimè nos exaudiat, cum ipſi nos non audiamus. Qui ſine attentione orat, ſimilis eſt animalibus quædam verba proferre doctis, quæ ſine conſilio & intelligentiâ vllâ repetunt. Quæſtio eſt, quæ attentio ad orationem requiratur.

Triplex ſpectat ad orationem vocalem. Prima, ad ſonum articulatum verborum eius prolatorum. Secunda ad verborum ſenſum & intelligentiam. Tertia verò, ad finem orationis.

Tantum abeſt, vt prima neceſſaria ſit, quòd contrà, poſſet obeſſe, ſi quis ni-

mium ei adhæreret: quatenus anima, cuius virtus non eſt infinita, paribus vigore ac contentione variis variarum facultatum functionibus ſimul & ſemel intendere nequit. Itaut ſi ſono verborum plus æquo ſe applicaret motus cordis foret remiſſior atque languidior.

Secunda verò, licèt non paruipendenda, cùm occurrit, non eſt abſolutè neceſſaria; tùm quia ad modum primæ, animæ functiones diuidit, eamque reddit minùs intentam cordis motibus excitandis; tum quia ſi cor loquatur, oratio Deo, qui etiàm cùm qui loquitur non capit quæ profert, cuncta intelligit, grata eſſe non deſinit. In hoc caſu conuenit cum adamante, cuius pretium tantum eſt, dum in manibus ignari verſatur, quantum, dum in manibus expertiſſimi gemmarij.

Oratio non eſt efficacior in ore Doctoris comprehendentis quæ dicit, & capacis ad eiuſmodi alijs explicanda, quàm in ore imperiti, modò hic iuxtà Eccleſiæ ſanctiones Deum intendat adorare.

Si quotidiè Ruſtici libellorum ſupplicum quos principibus offerunt, probationem effectumque conſequantur, etiam ſi in illis contenta legere non nôrint; manifeſtum

nifeſtum eſt orationum pondus ac pretium ab intẽtione deſumi, Deumque pluris voluntatem facere, quàm linguam atque ingenium.

Tertia ſola, eſt abſolutè neceſſaria, ſiue ad orationem vocalem, ſiue ad mentalem; obligat ad dirigendam, ex intentione ſanctâ, orationem noſtram in honorem Dei; ad eandem peragendam, vt eius Majeſtati ac potentiæ, debitæ adorationes atque obſequia ſoluantur, necnon vtilitatem & imbecillitatem noſtram, illius ope, in omnibus agnoſcamus indigere.

Ab hoc fonte manat orationis noſtræ virtus ac meritum; ſine quo, à Deo acceptari nequit; cum quo, nunquam ab eo repudiatur, niſi id ſaluti noſtræ vtiliora motiua ſuadeant.

Terrere videtur eiuſmodi conditio, quatenùs ex multis orantibus perpauci eam attentionem habent actu, & in eum finem preces ſuas per actum illas comitantem dirigunt. Sed timidiores à terrore iſto reuocabuntur, cùm didicerint virtualem attentionem orationi ſufficere, cenſerique eos illam habere, cùm per actum generalem non reuocatum, &

alternis vicibus repetitum, colere Deum non tantùm precibus ſuis, verùm-etiam cunctis vitæ operationibus, intenderunt.

Etiam intentio generalis Eccleſiæ, quoad hoc, ſufficit ad tranquillitatem animarum; modò illi intentioni aliam contrariam non habeant: quod, niſi ex inauditâ fermè nequitiâ, contingere non poteſt. Hæc doctrina eſt D. Thomæ [d] docentis, in omnibus noſtris actionibus meritorijs, non eſſe neceſſe, vt intentio ſemper actu feratur in finem operis ſui. Prima virtus quæ influxit in illud, ſemper in eo perſeuerare creditur; modò per intentionem contrariam non ſit retractata: aliàs nunquam mentes noſtræ quieſcerent, & actionum ſuarum merita ſe amiſiſſe ſemper formidarent; difficile enim eſt attentionem hominis quantumcumque Religioſi, adeò conſtantem eſſe, vt non dimoueatur aliquando, maximè cum eius actio diuturna eſt, & vehementem poſcit animi contentionem.

Attentio eiuſmodi, tres actus virtute complectitur; vnum, fidei, quo Deum credimus omnipotentem & optimum ad concedendum quod petimus. Alterum, ſpei, quo, licèt non ſit omninò certum

eum ſupplicationibus noſtris annuere, id tamen ſperamus, & de eius bonitate confidentes, ſubmiſſè poſtulamus. Tertium, humilitatis, quo indignitatem propriam agnoſcimus, & Authoris atque Redemptoris generis humani merito ſolo innitimur.

Tres præterea deſiderantur conditiones, vt exaudiamur. Prima, vt à peccato ſimus liberi per gratiam, vel ſaltem corde contriti, & correctionis cupidi, cùm orationi incumbimus; quandoquidem conſtat, ſi aliquando Deus peccato pertinaciter adhærentes exaudiat, id extraordinariâ bonitate fieri, quâ non niſi rarò vtitur.

Secunda, vt perſeueranter petamus; cùm Deus nolit ſemel tantùm ab eo neceſſaria nobis expeti, ſed repoſci multotiès, vt firmitas noſtra comprobetur. Nil Deo gratius oratione; quia neque homines neque Angeli ad eum orare poſſunt, quin vnico actu, ſummas eius perfectiones, conditionis verò ſuæ Angelicæ atque humanę humilitatem & dependentiam naturalem quam ab illo habent, profiteantur. Si delectetur nos intueri coràm ſe proſtratos, potentiam ſuam boni-

tatemque obsecrantes ; deliciatur etiam magis precibus nostris acquiescere ; cùm eâ ratione talem qualis est, se nobis præbeat , vertatque immemores beneficiorum animos, in gratos & memores. Hinc [b] Apostolus nos sine intermissione orare iubet : attamen causam per effectum intelligit, charitatem per orationem, nec non affectum cordis, per vocem quâ exprimitur ; aliàs ad impossibile obligaret. Tuum ipsum desiderium oratio tua est, ait, ad hoc, Diuus [c] Augustinus lib. de hæres. Si desiderium extet contiuuum, etiam oratio talis est ; si velis sine intermissione orare, tua interrumpi desideria ne permittas ; si vota tua sint assidua, assiduè lingua tua loquitur , si amare cesses, ipsa silet. Item hæc Christi verba perpendens, [quia [d] abundabit iniquitas, refrigescet charitas] ait hoc cordis silentium esse frigiditatem charitatis, & eiusdem cordis amorem , eiusdem etiàm virtutis ardorem esse.

Tertia conditio vetat petere nisi quæ necessaria sunt, aut saltem saluti vtilia ; cùm constet aduersantia saluti suæ postulantem, non solùm mereri repulsam, sed etiam vindictam : nec-non deposcentem

inania, diuinam minimè flectere Bonitatem ad preces ſuas p r Ieſum-Chriſtum cuius mors neceſſitatibus noſtris medicina data, orationibus noſtris virtutem confert.

Sic Patres omnes explicant promiſſiones, quibus paſſim in ſcripturis Deus videtur obligationem inire exaudiendi cũctas orationes noſtras, & hoc eſt, quod expreſſè ait apud D. Ioannem [e] his verbis [fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo: quoniam mandata &c. & ea quæ ſunt placita coram eo facimus;] Et [hæc eſt voluntas eius (addit [f] Apoſtolus) Sanctificatio veſtra.

[f] 1. 2. q. 1. art. 6. ad 3. vbi ſic habet.

Non oportet vt ſemper aliquis cogitet de vltimo fine, quandocumque aliquid appetit vel operatur: ſed virtus primæ intentionis quæ eſt reſpectu vltimi finis manet in quolibet appetitu cuiuſcumque rei, etiam ſi de vltimo fine actu non cogitetur: ſicut non oportet quòd, qui vadit per viam, in quolibet paſſu, cogitet de fine.

[b] 1. ad Theſſalon. 5. v. 17.

[c] Tom. 6. impreſſ. ſuprad. pag. 11. col. 1. littera C. vbi agit. de Pſallianis hæret.

ſeu Euchitis. Sed id confusè duntaxàt, & ſecundum benignam mentis D. Auguſtini alibi ſatis manifeſtatæ intelligentiam. Vt verò cætera quæ expreſſiùs hîc afferuntur, probes, lege enarrationem in pſal. 37. pag. 115. litt. D. tom. 8. vbi ſic ait. *Ipſum enim deſiderium tuum, oratio tua eſt: & ſi continuum deſiderium, continua oratio*; [& paulò infrà] *Si non vis intermittere orare, noli intermittere deſiderare. Continuum deſiderium tuum continua vox eſt. Tacebis, ſi amare deſtiteris &c. frigus charitatis ſilentium cordis eſt, flagrantia charitatis clamor cordis eſt. &c.*

[d] Matth. 24. v. 12. [e] Ioan. 3. v. 21. & 22. [f] 1. Ad Theſſal. 4. v. 3.

CAPVT XXVIII.

De Orationis efficaciâ, & vnde potiſſimùm deriuatur virtus eius atque vis.

VERE affirmari poteſt, vim virtutemque orationis non alijs limitibus terminari quàm ijs; quibus ipſamet Dei potentia, cùm nihil precibus noſtris negare, ipſe pollicitus fuerit. [a] Petite, in-

quit apud S. Mathæum, & accipietis: omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulſanti aperietur. Et apud S. [b] Ioannem. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Promiſſiones iſtæ adeò abſolutæ ſũt; vt ſi crebrò negentur nobis gratiæ neceſſariæ, id potiùs petitionis defectui, quàm Dei voluntati, eas concedendi, tribui debeat.

Terra cedit orationis virtuti, & ad preces Moyſis, vt Core, Datan, & Abiron abſorbeat, dehiſcit. Aquæ eidem obſtare nequeunt, & ad orationem eiuſdem Moſis diuiduntur, atque Iſraëli, à facie Pharaonis fugienti, viam aperiunt. Dauid non alio vſus eſt remedio, vt peſtem, quæ vnâ die ſexaginta hominum millia enecauerat, expelleret.

Illa eadem, ignem, naturâ ſuâ ſublimia petentem, de cælo in terram cogit deſcendere, vt, ad Eliæ preces, quinquaginta milites impij Achab deuoret. Ipſamet ore Ioſuë ſolem ſiſtit in medio curſu, & hoc prodigio, vt notat ſcriptura, aliud edit miraculum, cùm hominis voci deum obedientem reddat.

Denique cùm ex hominum corporibus ſpiritibus nequã abigat, virtutis ſuæ gra-

dum ſublimem oſtendit, quippe malignorum illorum vim, cui nuſquam comparabilem inueniri Deus aſſerit, expugnat. Ex Philoſophorum maximis certioribus ea eſt, à priuatione ad habitum regreſſum non dari; Nihilominùs, quòd naturæ impoſſibile, id orationi facile eſt. Sic claudus ad portam Templi, D. Petri oratione rectè ambulat, & mortui reſurgunt precibus diuerſorum Prophetarum, Apoſtolorum & aliorum ſanctorum plerorumque, qui in ſtudio Euangelico cucurrerunt.

In veteri teſtamento Deus vocatur, vltionum Deus, nihilominùs eius iram vincit oratio, illiſque de quibus pœnas ipſe ſumere decreuerat, eum cogit reconciliari: Dimitte me [e] (inquit ad Moſen orantem vt quieſceret ira eius, & eſſet placabilis ſuper nequitiâ populi ſui) dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos:] Animo verò iſto charitate ſuccenſo, in oratione perſeuerante, Deus reuocat ſententiam, quemque delere ſtatuerat populum, ſuæ gratiæ reſtituit.

Certatim Patres vim orationis extollunt, eiuſque delectantur prodigia declarare. Non deſcendit Moyſes in prælium,

ait D.[f] Hieronymus, ſed orat, & tunc Iſraël hoſtes conterit.

Orationis effectus fusè enumerat D.[g] Auguſtinus, eoſque redigit ad duo ſumma genera, quæ omnia comprehendunt, cùm aſſerat eam quicquid nobis vtile cenſetur, obtinere, & quicquid noxium, expellere.

Dicet forſàn aliquis, in hoc ſpeculationem & experientiam non conſentire, cùm altera Deum homini denegare nil poſſe doceat, altera ſæpè in-caſſum multa poſtulari, licèt rationi conſentanea videantur, experta demonſtret.

Quæ videntur hîc aduerſa, difficile conciliarentur, niſi S. Iacobus Ep. canon. c. 4. doceret nos petita non accipere, eò quod malè petamus. Et quidem D.[h] Thomas doctè aduertit, nos, vt Diuina Prouidentia mutetur, orare non debere, ſed vt medijs ab eâ ordinatis effectum illius conſequamur, id eſt, medijs orationibus noſtris fuſis in ſpiritu Dei, qui hominem creatoris ſui legibus abſolutè ſubdit.

Deus ſæpè non exaudit nos, ait[i] S. Iſidorus, iuxtà placita noſtra: quia ſalutis noſtræ finibus congruenter exaudire cu-

pit: mens eadem est D. Augustino, cùm alijs verbis testatur tribus de causis preces nostras non exaudiri.

Primâ, quia, quæ petenda, non postulamus; quod contingit tùm, cùm, quæ saluti obsunt, desideramus. Alterâ, quia sicut oportet, non petimus; quod fit, cùm orando, à peccatis non abstinemus. vltimâ, quia opera non colloquuntur cum labijs, sed ijs potiùs aduersantur; quod accidit, cùm à Deo remissionem exposcimus, quam debitoribus nostris renuimus concedere.

Ità sanè, tanta Dei bonitas est, vt si suis semper nostræ petitiones essent absolutæ numeris, eas non posset repellere; Deo benefactore existente per essentiam, & oratione impetratoriâ ex se, nostris culpis duntaxàt, hæc suo fine frustratur.

Certum est proprium finem orationis esse impetrare à Deo quæ nobis sunt necessaria.

Quia verò postulata contingit varijs modis obtineri; vel quadamtenùs merendo, aut gratis accipiendo à collatore; hinc non tantùm oratio merè impetratoria est, sed etiam meritoria, cùm orans gratiâ prædituS, ex consequenti meriti prin-

cipium, quod in charitate consistit & libertate quâ hîc priuari nequeunt homines, possidet.

Prætereà, oratio etiam satisfactiora est, licèt solùm ex accidenti; quatenùs pœna quælibet necessariò aliam compensare potest. Vnde cùm sine labore actioni humanæ coniuncto, oratio non perficiatur, Deus eam, in diminutionem pœnarum temporalium pro peccatis nostris illi debitarum acceptat & illis annumerat.

Eadem oratio hos tres effectus sortiri potest, sed id non necessarium.

Quædam est meritoria, vt potè in gratiâ facta, quæ non erit impetratoria; quòd requisitis ad obtinendum conditionibus careat.

Ex ignorantiâ, iusti petere possunt bona apparentia, quamuis à salute illos ea remoueant; quo casu ista oratio non erit impetratoria effectus postulati ad mentem eorum, & tamen erit meritoria; quòd ex sancto principio processura sit. Huiusmodi extitit, quam olim fudit *m* Apostolus, qui tentatione pressus, eius discessum à Deo efflagitabat, ne stimulus iste vehementer eum colaphisans, suæ saluti obsisteret: repulsam tamen ab eo patitur,

discitque afflictionem eiusmodi nó obesse saluti propriæ, imò potiùs prodesse; nã virtus (inquit) in infirmitate perficitur.

Contingit etiam preces impetratorias esse, nec meritorias; quales pro salute nostrâ sancti in cœlo offerunt, quia carent libertate necessaria ad meritum.

Sic meritum & impetratio à se inuicem diuiduntur, sed de satisfactione, non ità se res habet.

Numquam in hoc mundo oratio meritoria est aut impetratoria, quin sit etiã satisfactoria; quocumque enim in statu fiat, pœnam semper habet annexam, cuius ratione, satisfaciendi vim accipit; sed difficultas est non parua, vtrùm satisfactoria esse queat & non meritoria.

Ea de re dissident inter se celebriores scholæ Doctores Dn Thomas & Scotus.

Interim cum primo, dicimus satisfactionem sequi meritum, ità vt si oratio, quatenùs in gratiâ facta, eius augmentum iure aliquo mereatur, eodem iure Deus feratur ad pœnam, quam ex eiusmodi oratione patimur, acceptandam, pro solutione debitarum.

Si aliàs oratio, quæ vt extra gratiam peracta, eius augmentum mereri nullo iu-

ſtitiæ titulo poteſt, ex nimiâ Dei bonitate mereatur, vt qui eam perficit, liberetur à peccato, eâdem bonitate nimiâ ipſe moueri poteſt ad pœnas noſtras recipiendas, in diminutionem earum, quas meremur.

Talis eſt oratio impoſita Pœnitenti, quam peragit relapſus in peccatum poſt confeſſionem, ſatisfacit pro temporalibus pœnis, ratione exceſſus bonitatis Diuinæ, eam in hunc finem (vt probabile eſt) acceptantis, & eodem modo recuperationis gratiæ ſanctificantis, ab homine per peccatum amiſſæ, poteſt eſſe meritoria

Vltrà progrediuntur Theologi, & nouam proponunt difficultatem, quæ de virtute orationis dicenda concludet. Quærunt, an peccatoris oratio poſſit obtinere quod petit. Sanctus Thomas mirè ſolidus reſpondet, quod ſi peccator nociua poſtulet, adeò bonus eſt Deus, vt ex nimiâ miſericordiâ ſæpè eiuſmodi poſtulata ei deneget, aliàs concedat ex iuſtitiâ, tanquam præcedentium culparium punitionem ac ſupplicium: verùm ſi ſaluti vtilia ac neceſſaria deprecetur, (quod, cùm gratiâ actuali præuentus Deum obſecrat, vt eximatur à peccato,

ſortiuntur effectum ampliorem vel minorem, pro remiſſiori vel intenſiori calore cordis, à quo exeunt. Si charitas orantis ardeat, benè olet eius oratio apud eum, ad quem dirigitur.

Cæterùm quemadmodum fontis latices, naturâ ſuâ, & pondere, ſuæ originis altitudinem aſcendunt & æquant; ſic certiſſimum eſt, cùm Spiritus-ſanctus ſit orationum noſtrarum Author primitiuus, illis, eum, vſque ad Deum perueniendi, vim tribuere.

Et non ſecùs ac ſol omnia circumſpiciens & ab omnibus orbis creaturis conſpectus, vapores, quibus deinceps terram infundat, attrahit: ſic, cùm Deus ſit orantium objectum vnicum, bonitatis ſuæ vi, ab illis ſupplicationum vapores educit, vt earum effectus, proùt quotidiè ſolet, dum ingruit extrema neceſſitas, ipſiſmet reddat; in eorum emolumentum maius, probans, quicquid Majeſtatem eius reſpicit, indè vim atque influxum excipere.

Numerus animarum, meâ quidem ſententiâ, reperietur perexignus, quibus orationis virtus perſpecta ſit, quæ illius habitum quemdam non nitantur com-

do sit orandus Deus & ait cap. 3.

Antequam ista consolatio veniat, quantâcumque temporalium bonorum felicitate circumfluas, vt persistas in orationibus die ac nocte, desolatam te esse memineris.

Vide etiam cap. 7. 8. 11. 12. & 13. eiusdem epist

[h] 2. 2. q. 83. art. 2. in corp. vbi sic ait.

Non propter hoc oramus, vt diuinam dispositionem immutemus, sed vt id impetremus quod Deus disposuit, per orationes sanctas esse implendum, vt scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens antè sæcula disposuit donare.

Et citat D. Greg. lib. 1. dialog. c. 8. a medio.

[i] Hispalens. tom. 2. sentent. lib. 3. c. 7. num. 35. vbi ait.

Interdum quod perseueranter orantes non cibo exaudimur, vtilitatis nostræ est, non aduersitatis, sæpè enim multos Deus non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad salutem.

[l] Tom. 8. in psal. 90. impress. suprad. pag. 364. à littera C. ad litt. h. vbi inter alia, hæc profert.

Ægrotum non exaudiuit medicus ad voluntatem, qui exaudiuit ad salutem, &c.

Et videtur hoc ad disperationem, super

biam, præſumptionemque vitandus à Deo fieri innuere.

Vide etiam tom. 3. lib. ſentent. Proſperi qui inſcribitur ſententiæ ex Auguſtino decerptæ & apud D. Thom. 22. q. 83. art. 15, ad 2.

m 2. Cor. 12. v. 8. & 9.

n Vide D. Thom. in 4. diſt. 15. q. 4. art. 7. ad 1. Scotum in 4. diſt. 15. q. 2. Videndo. 3. 4. & 5. prior verò in ſupplem. 3. p. q. 14. art. 2. ſic habet.

In ſatisfactione oportet quod amicitia reſtituta, etiam iuſtitiæ æqualitas reſtituatur, cuius contrarium amicitiam tollit, vt Philoſophus in 9. & hic dicit. *Æqualitas autem in ſatisfactione ad Deum, non eſt ſecundum æquiualentiam, ſed magis ſecundum acceptationem ipſius: & ideo oportet, etiamſi offenſa ſit dimiſſa per præcedentem contritionem, quod opera ſatisfactiora ſint Deo accepta, quod dat eis Charitas: & ideo ſine charitate opera facta non ſunt ſatisfactoria.*

o 2. 2. q. 83. art. 16. in corp. vbi ait;

Si peccator orando, aliquid petit in quantum peccator, id eſt, ſecundum deſiderium peccati, in hoc à Deo non auditur ex miſericordia; ſed quandoque auditur ad vindictam: dum Deus permittit pecatorem adhuc am-

plius ruere in peccata. Deus enim quædam negat propitius quæ concedit iratus, vt Augustinus dicit. Orationem verò peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem Deus audit, non quasi ex iustitia, quia peccator hoc non meretur, sed ex pura misericordia, &c.

p Ezechiel. 18. v. 21. & 28.

q Ecclesiastici. 38. v. 9.

r Ad Rom. 8. v. 26. ſ Psal. 140. v. 2.

CAPVT XXIX.

De Distractionibus in oratione contingentibus.

CVM verum sit in medio virtutem consistere, nec-non extrema quæque esse viciosa, concludo in oratione cauendum, ne eius perfectionem constituamus in extremitate quâdam, quæ, in negatione occupationis animi & motus voluntatis in Deum consistit, quàm nihilominùs quidam præsumpti illuminati, verè cæcutientes sibi finem præstituunt, quorum errorem expressè alio in opere confutabimus.

Est quoddam in oratione otium falsum, in quo anima absolutè agere desinens,

nullum cognitionis, neque amoris actum elicit.

Aliud, bonum est, in quo anima quiescens in Dei conspectu, illum agnoscit & diligit per operationes adeò suaues & sibi inuicem cohærentes, vt actus vnicus, & nullum facessens negotium, videantur; quòd in statu eiusmodi magis anima fruntur, quàm inuestiget, potius patiatur, quàm agat.

Termino isto fruitionis, non intelligitur ea quæ Beatorum est in cælis; sed quies quædam duntaxàt à Deo animabus interdum effusa, cùm istæ illi, motu vehementiori charitatis, vniuntur.

Si Deus non permittat animam in oratione se habere posse, vt statuerat, mortificationem hanc, attento suo nihilo patienter ferre debet, ac in conspectu Creatoris sui propter eum permanere; sic non tam orans, quàm in oratione patiens. Sed cauendum maximè, nè in hoc patientiæ exercitium, ipsi nos-ipsos inijciamus, abstrahentes animum ab ijs, quæ circà Deum cogitare, & de quibus cum eo tractare debet.

Neque etiam putandum est, secundum viam ordinariam, semper haberi posse

operationem ità assiduam, atque attentionem adeò vigentem, vt omnis interruptionis ac perturbationis sit vtraque expers; satis est non obstare Deo vocanti, neque in distractiones improbas, quibus orationis fructus periret, consentire.

Quod vt meliùs intelligatur, distractionum natura rectè distinguenda venit; quædam sunt spontaneæ, quædam non spontaneæ seu inuoluntariæ; priores pendent ex hominis arbitrio; nec, ad eas vitandas teneri illum, potest ignorari, cùm fini proposito penitùs aduersentur.

Posteriores verò diuiduntur trifariàm; primæ ab attentione actuali orationi debitâ diuertunt: sed meriti orationis fundamentum nequaquam euertunt. Tales sunt rerum visarum vel auditarum, non malarum per se, inanes ac leues imagines, quæ in mentem cadunt.

Cum his agitatur anima, humilitate, ac proprij defectus agnitione opus habet; atque vt Dei præsentiæ restituatur, & intellectus eius sic ad Deum rapiatur, quòd omnes illius cogitationes in eundem conueniant, ab eò postulare.

Aliæ non modò soluũt animũ ab actuali applicatione debitâ materiæ medita-

tionis; ſed niſi cautè agatur, & ſtatim atque prodeunt, extinguantur, radici metiti orationis afferunt interitum, itemque virtutum ſeminibus à Deo infuſarum. Tales ſunt cogitationes odij, iræ, vindictæ, libidinis & aliæ id genus, quæ à ſcintillulis aliquando exoriuntur, & tandem in ingens creſcunt incendium.

Vt ab eiuſmodi expediamur, ſummoperè ad Deum recurrendum eſt, & varijs motionibus iaculatorijs, quarum formam atque exemplum ſuggerere poteſt Rex S. Dauid, diuinam eius miſericordiam oportet implorare. Inſuper de negatione conſenſus in eiuſmodi, & de earundem repulsâ proteſtandum; ſed à nobis ſufferri eas duntaxàt vt crucem, intolerabilem, ni gratiâ diuinâ, quæ à Deo ardenter expetenda eſt, firmaremur.

Tertij generis diſtractiones in iis conſiſtunt cogitationibus, quæ à ſubiecto particulari ad meditandum electo nos abducentes, à præcipuo & vniuerſali, nempè Deo, non auocant. Verbi gratiâ, pro materiâ orationis ſelecto Natiuitatis Domini myſterio, poſt conſiderata aliquandiu ortus eius prodigia, animus à præſepe, vbi naſcentem videt Domi-

num noſtrum, ad montem Caluariæ, vbi morientem, transfertur : hoc in caſu, à primo propoſito diuertimur ; ſed à principali obiecto, quod Deus eſt, non diuellimur, quo ſit, vt cùm eiuſmodi diſtractio à Deo non-niſi propter Deum nos ſeparet, praua nequeat æſtimari.

Quid tunc expediat magis, certò conſulere difficilè eſt ; aliquando hæc mutatio ità cedit feliciter, vt effectu procedente proſpero, periculoſum ſit cauſam illius condemnare.

S. Ambroſius à propoſito concionis ſubiecto fauſtè ſemel aberrauit ; cùm Deus ità eius linguam nihilominùs gubernârit vt iſta digreſſio, ad eximij Eccleſiæ luminis, & inſignis ſancti Auguſtini conuerſionem perueniret, atque etiam tunc contigerit, vt, vbi ipſe Ambroſius nunquam ſe tam malè arbitrabatur peroraſſe, nunquàm meliùs concionatus ſit. Hoc pacto, Deus ipſe aliquando animas ab orationis propoſito abſtrahit, & applicat alteri, in quo præter ſpem omnem atque expectationem, ſupernis eas ſplendoribus illuſtrat.

Optimum in his dandum conſilium eſt, vt quamprimùm in eiuſmodi diſtra-

Digitized by Google

ctiones incidere nos aduertimus, illicò priori ſubiecto perſeueranter inhærere ſtudeamus, ne leuitatis animi vitium notamque contingat incurrere. Verùm, ſi, quæ ad aliud vocat inſpiratio, ſic permaneat, vt vix, ac nè vix quidem ei poſſit aliquis reluctari, poſt actum abiectionis ſui-ipſius, attento defectu naturali, ſancti-Spiritus regimini committere ſe debet, qui fortè nos ducit per deuia, vt meliùs in viâ reperiamur, & ad fines ſuos ſecurè, quanquam per impræuiſum iter, perducit.

CAPVT XXX.

De ariditatibus quas animæ aliquando in oratione patiuntur.

ARIDITAS orationi eſt, quod tribulationes & afflictiones vitæ Chriſtiani. Sicut qui flores tantummodò calcant, non ſunt cæli benedictionibus cumulatiores; ſimiliter qui perpetuis in oratione ſuauitatibus gaudent, minimè perfectiores ſunt, neque Deo gratiores. Cùm via, quæ ad cælum ducit, ſit aſperior eâ quæ ad infernum; ſpinis conſita, tutior ac meritis locupletior, dum hîc degunt

degunt homines, est habenda; sæpè etiam aridiratibus plena, non est periculosior, nec, quæ Deo minùs gratas reddit animas. Iesus-Christus hîc crucem iugiter tulit, & in orationibus tales sustinuit ariditates, vt licèt inquantùm Deus nihil ignoraret, quatenùs homo, nihilominùs exclamauerit, quasi à Patre suo derelictus.

Orationis perfectio à sapore eius non pendet, sed à feruore, & ab affectu placendi Deo, atque illi cohærendi. Sacrificium est, cuius meritum, in acceptatione eius cui offertur, non in offerentis complacentiâ, consistit; ex parte huius nullo requisito, nisi vt ardor sanctus suam oblationem comitetur. Itaut possit contingere, vt quæ animabus præ consolatione quam impertiuntur illis, gratæ sunt orationes, Deo placeant minùs, quàm quę illismet ob ariditatem displicent.

Diebus quibusdam animæ sic perturbationibus mentis & sensuum oppressionibus occupantur, vt vix de Deo valeant cogitare: ingerunt se illis de suâ salute dubia, insolito de carentia gratiæ timore quatiuntur, penè nullæ sibi videntur superesse ad virtutis amplexum, nec ad

quantùm aliàs nobis ad id parùm apti videmur & alacres.

In his patientem esse oportet, necnon Deo, sicut consolationem, cùm recipitur, sic istam animi perturbationem offerre; & qui ità se gerent, in pœnis suis inuenient delicias.

Porrò, licèt oratio sit vera vita animæ, & homini quasi vnicum medium cognoscendi seipsum, ac cùm à seipso egressus est, in seipsum regrediendi; tale quid occurrere potest, in quo, quamuis oratio sit inæstimabilis pretij, ab eâ abstinere, Deo gratius erit sacrificium, quàm eidem indulgere.

Audacter hoc dictum videbitur, & plerique suscipient tanquam paradoxum; attamen verum est, ac fundatum in vsu apud sanctos notæ celebrioris, qui orationis suauitates sæpè numerò reliquerunt, vt se charitatis officijs, proximique subsidijs applicarent; sed, quod amplius est, etiam in exemplo Iesu-Christi. Equidem legimus eum aliquando; ab omni hominum consortio, vt orationi vacaret, se subtraxisse, & in eâ pernoctasse: sed hoc parui momenti est, ad varias excursiones, animas quærendi gra-

nis materiam in pœnarum ſuarum inſtrumentis inueniat.

S.[d] Thereſia ſexus ſui decus in noſtro ſæculo, pulchrè Filij Dei authoritate doctrinam hanc confirmat, cùm ex eius ore ſe didiciſſe refert, agere, pati, ac diligere, eſſe vera hîc meritorum hominum fundamenta; non autem frui, ſicut qui in hoc orationis dulci ſuauique exercitio magis occupantur, pœnis abundantiorem, magis diligi, quique Cruces ſuas delicijs præfert proprijs, veluti qui orationis ſuauitates relinquunt, vt actionis difficultatibus intendant, eum eſſe, qui magis diligit: Tandem in exequendâ Dei voluntate ſtare perfectionem, atque ampliùs in procurandis, propter eum, proximi commodis, quàm quærendis conſolationibus & delectationibus propter noſmetipſos.

Cogitationes eiuſmodi, fateor; frequenter poſſunt in mediis aduerſitatibus, quas effugere impoſſibile eſt, eos qui toto vitæ decurſu maxima pertractant negotia, conſolari. Ac, meâ quidem ſententiâ, non eſt conſcientia ſatis ſcrupuloſa, vt non liberetur à formidine, quâ percelli poteſt, cùm, vtilitate publi-

câ nè priuatæ per iteratam ſæpiùs ſolitudinem conſulat, impeditur, neque animus, cui ſuæ cruces non arrideant, ſi diuinarum eiuſmodi ac infallibilium veritatum pondus, maturiùs expendat.

Inſtantanea mentis & cordis eleuatio, in pœnis ad obſequia proximis ac Reipublicæ præſtanda ferendis, efficacior eſſe poteſt, atque Deo gratior, diebus integris in otioſa ſolitudinè tranſactis. Suſpirium cordis vnicum, ex animo, ſpinis (dum proximi commodis promouendis inter homines incumbimus,) obuijs, terebrato, productum, merito præcellere poteſt quietem animarum ſolitudini magis deditarum. Atque ideò, vita Dauidis Magni, tota reſperſa eſt aſpirationibus, quæ, dum ille magis occupatur in terris, in cælum vſque efferuntur.

Niſi manifeſtâ ac diſtinctâ Dei vocatione, à mundi tumultibus quis ſegregatus fuerit, maximè illi cauendum, nè dum Deum in ſolitudine quærere ſe putat, ſub tam ſpecioſo prætextu, ſeipſum conſectetur, & cùm Domini noſtri voluntatibus obſequi deberet, proprij Amoris obſecundet inſtinctui, qui nunquam apertè à cordibus expellitur, quin ſub alienâ

ſpecie, & incognitus, in ea reuerti pernitatur.

Amoris ardore, non meditationum diuturnitate, animæ Deo gratæ redduntur; illæque eum magis diligunt, quæ ſe minùs amant & quærunt.

Quæ magis à ſe exeunt creaturæ, illæ Creatori ſuo magis vniuntur, & quæ charitatem, publicamque vtilitatem priuatis commodis anteponunt, à ſe ipſis ampliùs egreſſæ cenſentur. Eam ob rem illa inſignis [e] Sancta, de quâ paulò ſuprà locutus ſum, actionem, quæ ſolâ charitate atque obedientiâ mouetur, præfert aſſiduæ contemplationi, in quâ mens tantùm quietis ac ſuauitatis inuenit, quantum in huius ſæculi negotiis occupata, illis ſæpè priuatur.

Atque ſic concludo, ariditatem, quam frequenter in oratione animæ patiuntur, non ſolùm ijs afflictioni eſſe minimè debere; ſed etiam, cùm obedientiâ vel charitate, ad intermittendum hoc orationis exercitium continuum, neceſſariò compelluntur; tantum conſolationis è tanti boni priuatione debere ſuſcipere, quantum ex maioribus delicijs quas perſentiunt, dum in eo ſenſibus internis ſua-

uiores gratiæ à Deo diffunduntur.

[a] 1. Cor. 11. v. 1.

[b] Ad Rom. 15. v. 19. 20. 21.

[c] Ad Epheſ. 6. v. 20. & 2. ad Timoth. c. 16. 2. Cor. 12. v. 10. & 12.

[d] In hiſtoria vitæ ſuæ, quam ipſa compoſuit, ac deſcripſit præcepto ſui Confeſſoris obediens; In additione ad finitum caput eiuſd. 40. ex relatione Magiſtri F. Ludouici de Leon fol. 414. impreſſ. Pariſ. 1622.

[e] S. Thereſia in lib. quem viæ ad perfectionem nomine donauit, cap. 17. & 18. vbi maximè conſolatur animas, quæ actiuæ vitæ relictæ ad Contemplatiuam nequaquam promouentur.

CAPVT XXXI.

De diuerſis Orationis Mentalis ſpeciebus.

POST traditam de Oratione Mentali, iuxtà communiorem vſum, doctrinam claram; vt eorum, quæ ad exercitium adeò pium ſpectant, nihil intactum relinquamus, eius ſpecies referemus varias, earumque naturas enucleabimus.

Oratio Mentalis huc vſque variè, pro

varijs eorũ ſententijs, qui de illâ egerunt, diuiſa fuit. Interim verò certum eſt duas ſpecies ſolas, cœteras omnes complecti.

Vt illæmeliùs intelligantur, diuerſa quatuor media, quibus Dei notitiam conſequi poſſunt homines, proponenda mihi videntur.

Primum, Philoſophis atque Chriſtianis eſt commune, & à ſenſibus, ac viſione creaturarum pendet; ex quarum exiſtentiâ, prima cauſa, quæ Deus eſt. neceſſariò infertur. Hoc medio omnium rerum vnum reuerà primum principium dari cernitur; ſed quale ſit, ignoratur, atque eo pacto certi de eius exiſtentiâ remanemus ignari de eſſentiâ, at, quoad hoc, poſthac capitulum inſtituere animus eſt.

Alterum, Chriſtianis peculiare eſt, qui fide multa aſſequuntur & credunt, quæ in ſenſus, & quæ etiam primâ fronte rationi repugnant, nec non quæ eorum iudicio penitùs impoſſibilia videntur, vnde fides ab[a] Apoſtolo vocatur argumẽtũ non apparentiũ. Hoc ſecũdo medio, non ſolùm Deus eſſe cognoſcitur: ſed etiã qualis ſit: quamuis illius eſſentię perfectiones quales ſint, euidenter concipere minimè

valeamus.

Tertium, quibuſdam ex Chriſtianis animabus ſpeciale eſt, quas ad peculiarem gradum ſublimitatis Deus efferre cupit, felicitatem beatorum cœleſtem eis quadantenùs præguſtandam tribuendo, licèt non eâdem ratione ac viâ, quâ illi iſtâ perfruuntur.

Quod bifariàm contingit, primò per infuſionem ſpecierum intellectilium, quæ à ſenſibus non exprimuntur, ſed à Deo expreſſè in hominis mente formantur, vt hic agens independenter à ſenſilibus ſpeciebus, quas ab oculis, auribus, aliiſque ſenſibus mutuatur, perfectius agnoſcat creatorem ſuum, quàm ſoleat per idæas relatione ad creata facta productas, quas imperfectas eſſe neceſſe eſt, ob diſtantiam inter creatum & increatum, defectum ac limites vnius, & perfectionem atque infinitatem alterius.

Eiuſmodi à Deo infuſæ ſpecies, vocantur à Contemplatiuis deiformes & deificæ, quòd magis conueniant cum notitiâ ſanctorum, qui Deo per Deum ipſum in cœlis vniuntur, quàm cum hominum cognitione, qui ad Deum in terris communiter non ferunitur, niſi per ſpecies à

rebus ſenſibilibus eductas.

Alter modus, quo producitur iſte effectus, conſiſtit non in creatione nouæ formæ, ſpeciei vel imaginis, ſed tantum in infuſione luminis extraordinarij à Deo collati animæ, vt ſolito melius eum agnoſcat, adeò efficacis, vt eius eſſentia eadem, antè concepta imperfectè ob defectum claritatis, tunc meliùs perſpiciatur, licèt per eaſmet ſpecies, per quas mens humana priùs circà ipſam cognoſcendam verſabatur.

Veritas eiusmodi apprehendi poteſt eius exemplo, qui ex vnicâ face, luminis ſatis non habens, vt in obſcuro latentem imaginem perſpiciat, multò perfectius eam conſpicit, cùm tribus aut quatuor facibus circumluſtratur.

Quartum, Deum cognoſcendi, medium, eò rarius ac ſingularius eſt, quò non ſolùm beatorum felicitatem, etiam hîc prælibandam concedit ſed & illâ frui, eâdem viâ, quâ illi in cœlo ipſâ perfruuntur; hoc eſt, Deum intueri per lumen gloriæ; cùm hoc duntaxàt diſcrimine, quòd in cœlo felicitas, moduſque eâ fruẽdi, perpetua ſint; in his verò inferioribus vtraque tranſeuntia & momentanea.

In cœlo, erit eſſentialis, & ex conſequenti euidens; propterea quod eorum intellectus luminis gloriæ beneficio ſuprà ſe eleuatus, ſine vllo diſcurſu, clarâ ac directâ viſione, omnia in eſſentiâ diuinâ conſpiciet; quod eorum operabitur beatitudinem.

Genus cognoſcendi per formas ſeu ſpecies, à contemplatiuis deificas ſeu deiformes nuncupatas, inter eiuſmodi duas cognitiones medium locum habet. Et vt modo cognoſcendi Beatorum, qui in eſſentiâ & per eſſentiam intuentur quod intelligunt, multò inferius eſt; ſic ſuperius, efficacius eſt & perſpicacius modo cognoſcendi ſub cœlo, per ſenſus, per diſcurſum, nec non per fidem.

Prima eiuſmodi quatuor cognitionum, de quibus agimus, affirmans Dei vnius exiſtentiam, eius attributorum perfectionumque ignorantiam profundam non expungit.

Secunda, concipiendum eum proponens per reſpectum ad perfectiones hominum, quæ à ſe inuicem diſtinctæ diuerſæque ſunt, conſpiciendum eundem tradit ſub ſpeciebus, quæ eius perfectam parere nequeunt notitiam; cùm illæ, par-

tes repræsentent, quæ in Deo minimè reperiuntur; perfectionumque multitudinem, quæ omnes, vnâ cùm essentiâ diuinâ perfectio vnica sunt.

Aliæ ambæ commonstrant increatum esse Dei, vijs ac luminibus geminatis adeò insolitis, vt illis offusi, non nisi secundùm totalitatem ac infinitatem suam miram, non verò distinctè secundùm attributa & varias perfectiones suas illum videamus.

Sublimis est hæc materia, & nihilominùs captu facilis, si attendatur sic se habere, velut qui corporeis oculis soli oppositum ex diametro corpus aspiciens, in medio vbi fortiùs vigent radij Solis illius, istius corporis partes, nequaquam potest discernere; quòd nimio splendore oculorum acies perstringatur, licèt corpus illud, ob opacitatem suam maiorem, confusè percipiat.

Quia Deus summus artifex est, homo verò solum tyrunculus; cùm per species intellectiles ab homine, in mente sua, cum simplici Dei concursu, formatas, eius attributa specialia concipiamus & videamus per comparationem ac proportionem duntaxàt ad qualitates, quæ inue-

niuntur in hominibus; per ſpecies à Deo productas in mente hominis ſine huius cooperatione, anima Deum ſuum videt in totali ſuâ infinitate, minimè verò in repræſentatione perfectionum ſuarum particularium, per reſpectum ad humanas à ſe inuicem diſtinctas. Vel ſi Deus hac viâ extraordinariâ, quod ſolet coniunctim, hoc ſigillatim velit oſtendere, prout aliquando accidit; tunc peculiares eius perfectiones auguſtiùs omninò effulgent, quàm cùm, per ſpecies humano diſcurſu effictas, conſpiciuntur.

Plus diſtant inter ſe hæ duæ ſpecies, vna ab homine producta, à Deo altera, quàm eximij pictoris prototypum, & diſcipuli eius rudis antitypum. Deus penicillum non apprehendit, niſi vt ſumma excitet opera atque archetypa; eo contra vtitur homo numquam, ad ſupremi ſui authoris exprimendam naturam, quin vmbris ſuffundat eam tenebroſis; & à fulgore illi naturali multùm deficiat.

Interim, quemadmodùm cùm nubes ſolem intercipit, aſpicienti corpus ex diametro oppoſitum facultatem relinquit videndi partes ſingulas eius, cuius maſſam totam conglobatim duntaxàt in-

Domini noſtri eò vehementiùs in eum nos rapiet, quò Deum-hominem patientem cernere, & nimiam eius ergà nos charitatem, ac debitam à nobis illius bonitati gratiarum actionem præterire, impoſſibile eſt.

Attributorum Dei perſpectio idem etiam præſtabit, per diſcurſum quem de diuinis perfectionibus cum proportione ad creatas, ratio peragit; quæ creatæ ad mentem venerunt mediis earum ſpeciebus ſenſibilibus, per quas data eſt occaſio illas ex ratione definiendi, & hoc pacto intellectualiter aſſurgendi ad earum, quæ in Deo ſunt, notitiam, viâ eminentiæ; ſecernendo defectus omnes qui in creaturarum perfectionibus inueniuntur. Eiuſmodi meditatio fit per ſpecies intellectiles, quæ ex ijs oriuntur quæ formantur in imaginatione, non autem ex obiecto circà quod verſatur contemplatio, quod Deus cum ſit, ſpecies habere non poteſt, ſed ex Creaturis, in quarum natura nonnihil diuinæ ſimile reperitur.

Inſolita oratio vel Contemplatio ea eſt, in quâ independenter ab omni actu imaginationis, & ſine vllo diſcurſu, ho-

mo Deum videt & agnoſcit; quod duobus modis contingit.

Vel per habitum adeò perfectum atque confirmatum, vt quemadmodum in artium ac ſcientiarum vſu, Regulæ atque principia tyronibus neceſſaria, perfectis artificibus ampliùs neceſſaria non ſunt, quod Muſicis accidit, qui poſt partam iuxtà canones ſuos Muſicam, abſque vllâ ad illos reflexione, muſicè cantant. Similiter ex conſuetudine eleuationis in Deum, per tritam ſenſilium ſpecierum & ratiocinationis viam, vſque ad illud diuinum obiectum, ſine præuiis eiuſmodi diſpoſitionibus interdum eleuemur, nec-non vnico intuitu eum velut in ſpeculo contemplemur.

Vel modo, naturæ vires excedente, per Dei illicium extraordinarium, quo ſuprà ſe animas extollit, ac perfectius multò ſe-ſe conſpiciendum offert vno ex tribus modis, nimirum aut extrodinario ac omninò ſingulari lumine, vt ſuprà expreſſimus, aut ſpeciebus nouis ad hoc creatis expreſſè, vel viſione gloriæ tranſeunti, vt Moyſi, & D. Paulo conceſſum eſt.

Caliginis plurimùm reperitur in ijs,

quæ hac de re ſcribunt Contemplatiui : quod ex eo mihi contingere videtur, quòd cùm multi ingentem effectuum Orationis varietatem experiri ac detegere valeant; non valeant ad vnum idemque principium illos redigere, variaſque Orationis ſpecies, pro operationum effectuumque illius varietate, fingant.

Exempli gratiâ, cum in meditatione, mente ſolito perfectiùs à ſenſibus abſtractâ, Deique cognitione illuſtriori repletâ, voluntas præter conſuetudinem diuinâ charitate ſe incaleſcere ſentit, pleniúſque huius obiecti poſſeſſione perfruitur; ſtatus eiuſmodi, effectus tantùm eſt, fructus, ac benedictio primæ Orationis ſpeciei, quam paulò antè definiui, & nihilominùs quidam contemplatiui ex hoc condunt ſpeciem alteram, quam quietudinis orationem vocant; quia tunc intellectus & memoria ità inebriantur ijs, quæ ex felicitate quâ fruitur voluntas, reſultant, vt in perfectâ quiete anima permaneat, nullo occurrente illi obiecto eam diuertere valente. In tali ſtatu voluntas aſſimilari poteſt Amanti, qui cùm Amati intuitu rapitur, ſic oculos in obiectum animi ſui poſſeſſorem,

defixos habet, vt tranſeuntes coram ſe, penè non videat, nec ſtrepitu ibidem facto diuertatur. Et ſanè, cùm quæ diuinitùs ſic alliciuntur animæ, Orationi metas impoſuêre, ſeruant vltrà interdùm tantam intùs tranquillitatem, etiàm in mediis humanarum functionum quotidianarum diuerticulis, vt nihil eorum aut videant aut audiant.

Cùm meditatio mentem ſic replet, ac continuò voluntas inardeſcit, vt à Deo vtraque, ad illum vnum auſcultandum, & eius gratiâ duntaxàt quodlibet agendum, ſuprà ſe eleuetur; hic etiam ſtatus non eſt niſi effectus ac benedictio meditationis ordinariæ vel contemplationis; & tamen inueniuntur, qui ex hoc tertiam conſtituunt ſpeciem, cui ſoporis facultatum, enudationis, vel ſolutionis à ſenſibus, nomina indiderunt.

Quidam etiam appellant inactionis Orationem, quaſi anima tunc nequaquam ageret: quod non modò noua ſpecies orationis non eſt, ſed nec verum poteſt haberi, niſi in aliquo ſenſu, quem, ad vitandum errorem, probè oportet intelligere. Non enim hoc loco ſtare valet illud Inactionis vocabulum, pro priuatio-

ne actionis, quandoquidem Contemplatio, de quâ agitur, mentis actio eſt, quę obiectum propoſitum ſaltem debet contemplari; quod exequitur, diuini huius obiecti expreſſionem vel imaginem producendo. Sed quia anima minùs operatur in hoc ſtatu, quàm in aliis orationibus, nil prorſùs agere cenſetur; quòd infuſionem ſpecierum intellectilium, quas Deus in eius mente creat extraordinariè, patiatur. In eiuſmodi caſibus, cùm in cæteris ipſamet ſpeciem fabricet, merè paſſiuè ad ea quæ Deo circà illam facere placuerit, putatur ſe habere. Nihilominùs ſemper in illis actio quædam eſt, at adeò ſimplex, vt percipi nequeat; quod hac explicatione naturali probatur.

Quando Anima obiectum intelligibile viâ ordinariâ cupit concipere, primò in ſenſibus externis, eius quod deſiderat concipere, ſpecies exteriores recipit. Species recepta à ſenſibus externis, ad internos tranſit, ordine ſequenti. Primò ad ſenſum communem, quaſi ad ærarium generale ſpecierum omnium exteriorum ſenſuum. A ſenſu communi ad phantaſiam, quæ ex huiuſmodi ſibi Idæã fingit. Huc vſque ſpecies ſemper mate-

riales ſunt, & ſingularia duntaxàt repræſentant ; ſed cùm ad intellectum peruenerint, hic illas à materiâ ſuâ & ſingularitate expurgat ; atque hoc pacto capaces reddit exprimendi res ſpirituales ac vniuerſales.

Hinc manifeſtè ſequitur intellectum noſtrum ſiue formam producat, vt ſuprà dictum eſt, ſiue illam à Deo per infuſionem recipiat, ſemper agere iuxtà ordinem ſuum, id eſt, vel formando ſpeciem, vel ipſâ ſpecie infuſâ vtendo ad cognoſcenda obiecta quæ concipere deſiderat ; quæ cognitio, vera animæ operatio eſt, non autem inactio, niſi in ſenſu ſuperiùs expreſſo.

Sic non ſolùm ſine actione non eſt, verùm etiam illam ſine eâ conſtituere, eſt extrà rationem, cum tunc ſine merito foret, quo priuari, dum hîc viuit, non debet. At contemplatio inactio dici poteſt, quando cum tantâ fit facilitate, ac ſuauitate, cum operationibus adeò puris, ſimplicibus, ac intimis, vt anima ſibi agere minimè videatur : atque hoc ſenſu intelligendi ſunt textus omnes Magni S. Dionyſij [e] Areopagitæ, aliorumque Contemplatiuorum, cùm animam in ſu-

blimitate orationis ac vitæ, quam ſupereminentem vocant, potiùs patientem quàm agentem exhibent.

Cum anima contemplationi ſui obiecti vehementiùs intenta ſic vires ſuas omnes exhaurit, vt hac ratione in extaſi extrà ſenſuum operationem inueniatur; ſtatus ille, primæ & ſecundæ orationis effectus tantum eſt, minimè verò ſpecies tertia diſtincta à duabus aliis; attamen Contemplatiui quidam ex hoc nouam compingunt ſpeciem quam perfectæ vnionis nomine decorant.

Sicitaque paret & apertè conſtat, Oratationem mentalem in duas ſpecies ſufficienter eſſe diſtributam, ac eos qui plures aduertunt, effectus pro cauſis ſumere.

[a] Ep. ad Heb. 11. v. 1.

[b] 2. Cor. 12. v. 1. & ſequentibus. Item Exod. 33. v. 11. 19. & alijs.

[c] Vt lib. de diuinis nominibus cap. 3. vbi orationem funi quo ad cœlum non tam conſcendere quam euehi videmur, comparat, ſic loquens. tom. 1. impreſſ. Pariſ. 1644. pag. 450.

Ωσπερ ει πολυφώτου σειρᾶς ἐκ τῆς οὐρανίας ἀκρότητος ἠρτημένης, εἰς δεῦρο ϗ καθηκούσης, ϗ ἀεὶ

αὐτῆς ἐπὶ τὸ σὸν σῶν χερσὶν ἀμοιραίαις δεχόμενοι, καθέλκειν μὲν αὐτὴν δοκοῦμεν, τῷ ὄντι δὲ οὐ καταίροντες ἐκείνην, ἄνω τε καὶ κάτω παρεῦσαν, ἀλλ' αὐτοὶ ἡμεῖς ἀνηρόμεθα πρὸς τὰς ὑψηλοτέρας τῶν πολυφώτων ἀκτίνων μαρμαρυγάς, id est, *Quemadmodum si lucidissimam catenam è summo cœlo suspensam & huc usque demissam, manibus alterius in anteriora protensis continenter arriperemus, attrahere quidem illam videremur reuera autem non illam ipsi deduceremus, vt quæ supernè & infernè præsens esset, sed ipsimet magis ad sublimiores radiorum illustrium fulgores euehere-mur &c.*

Et lib. de mystic. Theol. cap. 2. impress. dict. pag. 729.

Κατὰ τοῦτον ἡμεῖς γνόφῳ τ ὑπερφωτον εὐχόμεθα γνόφοι, καὶ δ' ἀδιαιρεσίας, καὶ ἀγνωσίας ἰδεῖν, καὶ γνῶναι τὸ ὑπὲρ θέαν καὶ γνῶσιν αὐτὴ τὸ μὴ ἰδεῖν μηδ' ὃ γνῶναι, καὶ τ ὑπερούσιον ὑπερουσίως ὑμνῆσαι διὰ τῆς πάντων τ ὄντων ἀφαιρέσεως. Id est. *Nos in hac supraquam lucente caligine versari exoptamus, & per visionis cognitionisque negationem videre & cognoscere id quod supra visionem cognitionemque existit, hoc ipso quod non videmus, neque cognoscimus: hoc enim est verè videre & cognoscere, & super essentialem supernaturaliter laudare per*

omnium

omnium rerum ablationem.

CAPVT XXXII.

De differentiis insignibus quæ inter Meditationem & Contemplationem inueniuntur.

IN prima Orationum eiusmodi, cum memoria mysterium aliquod fidei repræsentante, & cum intellellectu subiectum illud speculante Deus collaborat. Præterea excitat sua gratia voluntatem ad pios motus, quibus, ex considerationibus per intellectum super mysterio sibi proposito factis, imbuitur : sed animæ facultates, secundum vires suas naturales, sinit operari, & iuxta solitum gratię, quod illis confert, subsidium.

In secunda, aliter se habet, cum non solum ad eam viis hominis actionibus consuetis, concurrat; sed etiam illum trahat modo supernaturali : itaut cum aliàs illius se-se motibus attemperet, in hac, vt gratiæ suæ motionibus extraordinariis obtemperet, efficit, quod interdum adeò suaui tractu operatur, vt in eiusmodi negotio, nihil penè videatur inso-

liti. Aliàs tam violentis agit motibus, vt animæ functionem alteram non relinquat, quàm consentire & cooperari simpliciter iis quæ illi placent, in eâ, & per eam operari.

In eiusmodi, Deus ad modum magnetis agit, qui crassus existens, ad se tantâ vi acum rapit vt contrà propriæ grauitatis motum, eam extrà suum connaturalem locum suspensam teneat, ità vt lapidi trahenti tunc perfectè adhæreat, ad suam eleuationem nullo alio præter procliuitatem, quam in magnetem habet, collato, quâ solâ, quantum est de se, suæ grauitatis ad ima deprimentis imperfectionem vincit.

Post explanationem hanc, dici potest, illarum orationum priorem, Dei simul & hominis censeri esse; quatenùs Deus agens in eâ suo concursu, in eâdem plenè hominem, quantùm se facultas eius extendit, coagere permittit. Posteriorem verò, multò magis Dei esse, quàm hominis; quia cœlestis illecebra semper ibi extraordinaria est, & aliquando, quodam in casu, penè tota Dei, cùm homo nil aliud agit, nisi quod adhæret, consentit, & cooperatur, liberè tamen, volun-

tati Diuinæ, quo abſolutè opus eſt, vt eius rei, quæ perficitur in eo, meritum conſequatur.

Prima duarum ſpecierum eiuſmodi, rectitudinem & perfectionem actionum conuerſationis atque commercij huius mundi præcipuè reſpicit; Altera, ſublimis contemplationis eminentiam, quæ in Aſceteriis viget, & ab aliis à mundanâ conſuetudine penitùs abſtractis perſonis vſurpatur.

Prior, verum ſocietatis humanæ decus, poſterior, animam, in modum, circà Deum agendi, angelicum erigens, ſolitudinis ac monaſteriorum ornamentum eſt.

Deus, cunctos, pro ſuâ conditione captuque primam ſectari iubet; & ad eius apicem poſſunt pertingere.

Ad primum ſecundæ gradum aſpirare, fas eſt, quo in Dei ſui contemplationem anima, ſine vſu imaginationis ac diſcurſus, aſſurgit; cùm ſic, virtute ſuorum habituum, homo ſoleat agere.

At quoad vltimum gradum, ſpeciali Dei Prouidentiæ ſtare, ſeſeque reſignare oportet, atque in merâ abſolutaque motionis Spiritus-ſancti eius de-

pendentiâ permanere.

Quamuis ad ſummum huius eminentis ſtatus verticem animas quaſdam euocet, cùm talis gratia ex mera eius liberalitate pendeat, cum omni animi demiſſione, ab eo collata ſuſcipienda eſt; at vix, ſine aliquo ſuperbiæ ac temeritatis vitio, deſiderari poteſt nec non expoſci. In perfectionibus virtutum proficere, via ſola eſt, quâ ad eiuſmodi benedictiones prætendatur, quas diſtribuere ſolius eſt diuinæ voluntatis, quæ eas, ad nutum, his, non illis, impertit.

Mentes quælibet ſunt capaces meditationis, quædam ampliùs, quædam minùs; perpaucæ, contemplationis. In exercendâ primâ Deus quæritur & in eminentiâ ſecundæ, inueniendum ſe relinquere operæ pretium eſt.

Non ignoro, pleroſque diſciplinæ Chriſtianæ non ignaros, cùm eius virtutes exerceant, puram animi deceptionem, verumque ſomnium cenſere, quod animabus contingit, quas Deus ad ſe per ſemet eleuat, atque per ſemitas omninò particulares vocat & allicit: verùm, vt magni S. Thomæ exemplum probat, quod de ſcientiarum infuſione propoſui,

Digitized by Google

cùm certũ ſit eum in concipiendis difficillimis fidei noſtræ myſterijs, radios cœleleſtes ſuſcepiſſe, quorum auxilio, cuius rei, diſcurſu non potuerat, notitiam aſſecutus eſt; ſic aliarum plurimarum (de quibus mentionem facit Eccleſiaſtica hiſtoria) ſanctarum exemplum animarum, cogit me aſſerere, ambigentes de veritate eorum, quæ ſanctis eiuſmodi in interiori homine acciderunt, dubij iſtius rationę carere; defectuque illuſtrationis propriæ, luminis à Deo perſonis varijs collati, quò, ex hoc ſæculo eius boni ſpecimen videant, cuius aſpectu, in altero, mentes illarum lumine gloriæ eleuatæ plenè perfruentur, intelligentiam conſequi non poſſe.

His addo, ſi Theologi vulgaribus principijs excuſare non valentes quarumdam geſta virginum, quæ ne ſua violaretur puritas, in mortem tradiderunt ſe præcipites, nonobſtante lege diuina, qua nemini licet ſibi violentas manus afferre; ad impulſum recurrant interiorem, quo præ ſolito incitatas à Deo ſe eſſe ſenſerunt; etiam in vita ſpirituali ignotum in pretio habendum eſſe oportere; atque in animabus, de quibus loquimur, gra-

tias, quas experti minime ſumus in nobis, reuereri.

Et quemadmodum ijdem Theologi dicunt, virgines illas magis mirandas eſſe quam imitandas; ſimiliter animarum eiuſmodi ſingulari ratione elatarum exemplum, omnibus admirationi, paucis imitationi eſſe debet.

Nonnulli paruipendent hoc orationis genus, quia Dominum noſtrum illud fuiſſe ſolitum exercere non apparet. Sed allucinantur cùm huic generi, in eo, rationes ſingulares repugnarint; quæ cùm in perfectione conditionis eius conſiſtant, nequaquam iſtam orationis naturam deprimunt. Semper extitit comprehenſor, & in omnibus mentis eleuationibus, quas imaginari poſſibile eſt; nihilominùs vitam per extaſes non duxit, neque per ſenſuum ſuſpenſiones; atque hoc duabus de cauſis.

Prior eſt, quia eiuſmodi ſuſpenſio, imperfectionis & imbecillitatis naturalis animarum noſtrarum, quæ diuerſarum facultatum actionibus ſimul ſufficere nequeunt, effectus atque infallibile ſignum eſt; quod in prædito omni perfectione animæ poſſibili, locum habere nō potuit.

Digitized by Google

Posterior, quia IESVS-CHRISTVS hoc eximium mirumque deuotionis genus suo exemplo comprobare noluit; nè quituis illud affectaret imitari, in præiudicium exercitij consuetæ deuotionis, fulgentis minùs, at solidæ magis ac tutæ, pro vulgaribus animis, ad eiusmodi insolitas elationes, non specialiter vocatis.

Iidem censores hoc genus orationis etiam vellent deprimere, quòd neque sacræ paginæ, neque historia Ecclesiastica vllatenùs euidenter testentur illud à Beatissima Virgine fuisse vsurpatum, sed prę-terquàm quod in his, sicut nec in pluribus alijs, quicquid accidit, non commemorat scriptura; cùm de illis, quæ ad salutem maximè necessaria sunt hæc materia non existat, de illa tacuit; & quod ex Euangelio sacro Patrumque argumentis, (quæ Dei genitrici quicquid ad eius perfectionis augmentum hoc in orbe confert, concedunt) colligi potest; satis fidem facit, istam isto sublimi eleuationis gradu non caruisse: nosse enim sufficit hunc ab ea haberi potuisse, quò eandem illum habuisse & exercuisse præ cæteris creaturis, inferatur.

Sicut supplex rogo eos, quibus non est

ad hanc Orationem data vocatio, vt eam nihilominùs magni pendant; pariter deprecor, nè, quòd illâ gratiâ non ſint præditi, imperfectiores ſe eſſe arbitrentur; credantque ſe iccircò Deo minùs gratos non fore, modò pro viribus animi, dataq; ſibi ab ipſomet Deo capacitate, illi fideliter obſequantur; cùm vera contemplatio, ad benè agendum atque ad virtutes exercendas ferat, quarum actus & opera ferè ſemper merito ſuperant contemplationem. Pietas Chriſtiana huic ſublimi orationis generi opera bona virtuteſque præferre debet; cùm effectus ſuæ cauſæ præponendus ſit, quando meritum magis in effectu, quàm in eius cauſa reperitur.

Pia Martha, licèt non fuerit contemplatiua, nihilominùs ſanctitate inſignis extitit; atque certum eſt, operibus charitatis incumbere, excedere merito, vitæ æternæ prælibationibus, ob ſolam contemplationis voluptatem, frui.

Cœterùm non mediocre electionis argumentum eſt, in his inferioribus, eo modo, quo Chriſtus Dei filius, haberi, cuius vita iugis actio fuit iuncta pœnis & cruciatibus continuis.

Quos Deus hîc crucibus tantùm onerat, & quibus in futuro ſęculo ſeruat delicias, ij laudis quam querelæ magis rationem habent. Si contemplatiui in hac vitâ melle vbertim reficiantur, id nequaquam fit ſine permiſtione fellis; cùm certum ſit eos ſuis peculiaribus pœnis affici, ac tantis, ſiue corporis per virium euacuationem, quâ morbis pleriſque, quorum cauſam vulgus ignorat, mancipantur; ſiue animi, per dolorem quo anguntur, ex eo quòd huius mundi miſerijs nondum ſoluti ſint, vt Deo perfectè vniantur, eique, quam cuperent ſeruitutem ac dilectionem puram atque feruentem exhibeant; ſiue per interiores agonias, ſublimes contemplationes huiuſcemodi comitantes; vt niſi voluptatibus ſanctis, quas in medijs pœnis perſentiunt, ebrij forent, eas ferre non poſſent.

Quibuſdam Deus fel purum propinat, quibuſdam cum melle mixtum: illos quaſi fortes ac robuſtos, ad ferendas in hoc mundo propter eum amaritudines ſine vllâ dulcedine, idoneos, tractat; alios tanquam molles ac delicatos, qui ſub amaram pillulam, niſi multo conditam ſaccharo nequeunt deglutire.

Virtutis actiuæ & crucis via, à Domino noſtro trita & complanata via eſt, in quâ quod tutum apertè declaratur. Contemplationis autem via, obſcura, anceps, varijs dæmonis illuſionibus obnoxia, qui hac ratione complures animas deluſit.

Quamuis B. Thereſia maiorem vitæ ſuæ partem contemplationi dederit, & in hoc viuendi genere, ineffabilibus gratijs fuerit ditata, nihilominùs æmulas ſuas ad exercitationem virtutum, quæ vera vita ſpiritualis eſt, potiſſimùm hortatur; aperteque ait, eas quæ iſto ſecuro itinere gradiuntur, inuidiæ anſâ carere in alias, quæ ſemitas excelſiores calcant, ſed multò periculoſiores & minùs certas. Et ſane non concluditur indubiè, ex eo quòd Deus, animabus quibuſdam, ſecundam orationis ſpeciem in ſuo ſummo gradu largiatur, in quo inſuetos effectus atque extaticos habet comites, illas alijs pleriſque, quibus Deus ipſe ſimiles non effundit gratiæ influxus, eſſe perfectiores.

Quantumcumque anima hunc vltimũ Orationis gradum aſcenderit, deijciat ſe opus eſt, ad lapſus ſuos infirmitateſque contemplandas ſæpè deſcendens, nec-nõ intuens animo cruentos labores Domi-

ni Noſtri, vt de peccatis ſuis hoc pacto verè conteratur. Quò magis in terrâ, velut columbæ, paſci nitetur, eò in ſublime rapietur magis à Deo, vt Aquilarum eſcis illam reficiat.

Sicut Dei potentia infinita eſt, ſic prouidentia mirabilis, illeque adeò diuitiis abundat, vt æqualibus fauoribus cumulatè duos proſequi poſſit, quos amabit æquè; licèt illi fauores inter ſe penitùs diuerſi ſint, ac penè contrarij: vnus eleuationis erit, alter deiectionis; hic ex ſpinis, ille ex floribus conſertus.

Raptus iſti in ſe ſtupendi, apud Chriſtianos magni duntaxàt habendi ſunt, quatenùs virtutibus annexi, gratiamque ſupponunt in iis, qui illis afficiuntur.

Imperitia nec-non ſimplicitas cum innocentia ac rectitudine, centiès magis æſtimandæ veniunt, quàm eiuſmodi prodigioſi effectus virtutibus illis deſtituti.

Equidem in animas, quæ ex primis datis ſibi gratiis fructum non tulerunt, ſuarum miracula ac prodigia Deus effundere non ſolet, illique raptus mirifici ſemper vel fundantur in ſupereminentis virtutis actionibus, quæ hominum iuſtificationem dubio-procul operantur, vel

dantur mortalibus, tanquam fundamenta, ex quibus dictæ operationes consurgant.

Non secùs ac animarum est, quas in supremos huiusmodi gradus orationis Deus exaltat, summissè se gerere, seduloque attendere, nè de ipsius Dei Throno, in quo eas collocare, etiam antequàm excederent è viuis, videtur voluisse, defluant; haud aliter laborioſæ Orationi à Deo relictarum est, vti solatio; ac credere, quòd, si virtutum actibus assuescant, & si labores suos pœnasque, aliarum deliciis anteponant, fructibus gaudent earum quarum excelsiores floribus fructibusque vnâ potiuntur, & in humilitate, mirabilitatum, quæ cum splendore fiunt in aliis, fine perfruuntur.

* In hiſtoria vitæ ſuæ per Illuſtriſ. Dominum Epiſcopum Tarraconenſem Hiſpanum F. Iacobum d'Yepés. 2. part. c. 3. pag. 18. impreſſ. Pariſ. an. 1643. vbi non eadem omninò verba, ſed idem reuerà ſenſus exprimitur.

Digitized by Google

CAPVT XXXIII.

De effectibus & donis extraordinarijs, quæ in ſublimioribus Contemplationis gradibus, Deus participanda concedit.

PRIMVS atque inſignior effectus, in excelſâ illâ Contemplatione interdùm contingens, extaſis eſt, quæ fit, cùm anima ſpiritualium facultatum functionibus adeò occupatur, vt per concurſum, quem ipſis confert, exhauſtæ, virium ſatis non ſuperſit ad mouendas, ad ſuos actus, ſenſitiuas, quæ idcircò ſine vlla actione manent.

Secundus effectus, lætitia non vulgaris eſt, quæ corda in hoc ſtatu perfundit, præ obiecti ab eis poſſeſſi magnitudine, ac puritate, qua illud poſſident, exoluta creaturis omnibus quæ amaritudinem illis poſſent ingerere.

Hinc oritur abundantia laudis, quam Deo reddit anima, intuitu multiplicis magnitudinis eius, & copia gratiarum actionis, pro eiuſdem bonis ac beneficiis.

In eodem ſtatu, Plurima extraordina-

ria atque gratuita dona Deus distribuit, inter quæ celebriora sunt, Prophetia, & notitia secretorum humani cordis.

Huiusmodi gratiæ potiùs sedatis passionibus recipiuntur in animâ, dum illâ tranquillitate fruitur in extasi, quàm cum sensuum perturbationibus implexa reperitur, quia supernis luminibus tunc magis intenta est.

Lumina ista diuersimodè, & per varias visiones ab ea suscipiuntur.

Prima eiusmodi visionum species, est corporea, in qua Deus ea videre tribuit, quorum notitiam cupit concedere, vel per formas ac species sensibiles, quibus genuinè exprimuntur; (Sic Christus Iesus ac virgo beatissima parent aliquando in specie propria); vel sub alienis corporibus aliundè desumptis.

Secunda, visio imaginatiuæ facultatis est, in qua Deus excitat & producit obiecta sensibus internis sensibilia. Qualis fuit D. [a] Petri, cùm vidit summitti de cælo velut linteum plenum animalibus mundis & immundis.

Tertia, [b] visio intellectualis est, in qua Deus per infusionem imprimit in intellectu species & formas intelligibiles, iis

ſimiles, quas ex ſenſibus per relationem ad creaturas homo ſolet extrahere; eo ſolo ſeruato diſcrimine inter ſpecies prædictas intellectuales, & illas quas ex ſenſibus propriis homo viribus ordinariis exprimit : quòd Deus [c] priores directè fingat in intellectu, nullo dato aditu per ſenſus, à quibus [d] poſteriores ſumunt originem.

Talis fuit viſio maioris numeri Prophetarum, quibus Deus futurorum, licèt ſenſibilium per ſpecies intellectuales, prænotionem largitus eſt. Talis prædictio captiuitatis Ieruſalem, & traductionis populi Iſraël in Babylonem, declaratæ per [e] Ieremiam, poſt viſiones & impreſſiones intellectuales illius à Deo receptas.

His mediis Deus voluntates ſuas diuerſimodè notificat; aliquandò, vocibus diſtinctis perſonarum apparentium, aut non apparentium, eo modo quo ſolent homines animi ſenſa aperire, eas pronunciat.

Interdùm per ſimplicem directionem Angelicæ conformem, illas manifeſtat, qua ſpiritus iſti ſpecies iam productas ſupponentes, cogitationes ſuas ſibi inui-

cem, ſine vllius organi adminiculo, per ſimplicem ſuæ intellectionis ac voluntatis directionem, communicant; vel eâ directione efficiunt, vt Deus ipſe, rerum ſpecies creet, quas ſibi mutuo declarare volunt.

Dicunt Contemplatiui Deum inſuper ſuas manifeſtare voluntates alterâ viâ, quam, impreſſionem ſeu contactum appellant. In huius medij vſu aiunt, Deum in intimis & in fundo animæ imprimere, quod ei notum eſſe cupit; itavt effectus inde reſultans ſentiatur quidem, ſed modus non comprehendatur.

Differentia, quam ponunt inter impreſſiones prædictas & ditationes, conſiſtit (vt illi docent) in eo, quòd per impreſſiones, Dei placita velut in libro legantur; cùm in dictatione tanquàm prolata intelligantur; ſed reſponderi poteſt, explicationem hanc æquè conceptu difficilem eſſe, ac productione facilem: cùm certum ſit Deum in hoc mundo nihil immediatè animæ declarare præter propriam eius ſubſtantiam, ſubſtantiamque Dei, quatenùs illius Creator eſt; cætera ab eâ non cognoſci, niſi per impreſſionem ſpecierum intelligibilium; quod

aduerſaretur penitùs medio ſuppoſito ab his, qui volunt animam concipere & diſcere, quod Deo placet, vt intelligat, per impreſſionem aliam ab ea, quam in potentijs ſuis recipit.

Verum quidem eſt, quod ſi Deus vellet, ſuas declarare poſſet voluntates aliâ viâ, quam per ſpecies quas ſuſcipit intellectus; in hoc caſu, efficacia ſuæ eſſentiæ, quam intellectui præſentem redderet, ſuppleret concurſum effectiuum, quem ſpecies intelligibiles illi tribuere ſolent, ad producendam notitiam obiectorum quæ in hac vitâ, vt viator, percipit.

Sed præterquàm quod via eiuſmodi, non eſt quæ ſuppoſita eſt, nullo teſtimonio probante Deum ſic ea vſum fuiſſe cum alijs à Moyſe & D. Paulo; audacem valdè eſſe oportet vt in mediũ producat quis hanc opinionem; ac fortè iſta cognoſcendi via noua, ab imaginatione eorum qui minùs habent Philoſophiæ quã pietatis, erupit; & reuerà alia non eſt à cognitione quæ per ſpecies intelligibiles recipitur. At anima extrà ſe extaticè rapta cùm eam notitiam recipit, ità mirabilium ſibi tunc apparentium magnitu-

dine ebria reperitur, vt non valens in egreſſu in quo eſt, in ſeipſam regredi, nec reflectere ſe ſuprà ſpeciem viſionis ſuæ peculiarem; remotiùs quàm à potentiis ſuis illam aduenire arbitretur; velut graui percuſſione obtuſus, ſepè à remotiſſimis putat, ſonos voceſque de proximo auribus immiſſas, exaudire, Id verò, non quòd Deus, quando & quomodo ei lubet, in eſſentiam animæ illapſus, ibi præſentiam ſuam ſuo modo ſenſibilem minimè reddat; nec quòd adeò ſecretos ſacratoſque inſtinctus non experiamur, vt Deum eſſe qui agit minimè probè intelligamus: ſed tandem, vel operatio eiuſmodi ad id redeat quod ſuprà elucidauimus, vel ſint ſemitæ potiùs adorandæ quàm inueſtigandæ.

[a] Actor. 10. v. 10. & ſequentibus.

[b] Vide quæ ad c. 33. pag. 33. edit. 2. lin. 17. diximus in prologo.

[c] Vide quæ ad eiuſdem c. & pag. lin. vlt. diximus in prologo.

[d] Videquæ ad eiuſd. c. 33. pag. 338. lin. 2. diximus in prologo.

[e] Ieremiæ. 20. v. 4. & alijs.

Digitized by Google

CAPVT XXXIV.

De extaſi vel raptu, & de eorum cauſis & effectibus.

PRimùm ſciendum eſt licèt propriè loquendo, raptus cauſa ſit extaſeos; & ex conſequenti magnum inter vtrumque diſcrimen intercedat; duo illa vocabula, reſpectu animæ, pro eodem, communiter accipi.

Raptus eſt cuiuſuis rei tranſlatio, ad ſtatum, vel naturæ ſuæ contrarium, vel ſaltem ei ſuperiorem. Sic lapis ſurſùm eleuatus, per primam harum ſpecierum rapitur; ſi verò deorſùm motu velociori, eo, qui naturalis eſt, trahatur, rapitur per ſecundam, ſiuè à Deo procedat tractus eius extraordinariùs, ſiuè ab hominibus.

Vnde cùm Deus animam, à modo ſolito operandi per imaginationem, educens eam ad Maieſtatem ſuam conſpiciendam ſine reflexione & ſine diſcurſu, vel in ſpeciebus intelligibilibus, quas fingit ex induſtriâ in eius intellectu, vel in propriâ eſſentiâ Diuinâ (quod Moyſi & D. Paulo contingit) extollit; rapta illa cenſeri

debet, quatenùs ſuprà ſe & modo naturæ ſuæ minimè proprio agit.

Sic animæ ſuper ſe à Deo facta attractio, raptus eſt; ſtatuſque in quo ità præter ſolitum attracta reperitur, extaſis. Vnus, actio eſt & principium motus, quo anima ſuper ſe trahitur. Alter verò, terminus ad quem motus trahentis.

Hoc pacto, extaſis eſt ſtatus animæ operantis modo excedente functiones ordinarias ſenſibiles & intellectuales.

Talis animæ tranſlatio diuerſas poteſt habere cauſas, vnam naturalem, alteram ſupernaturalem.

Naturalis pendet è duobus. Primo, quod animæ facultates vniuerſæ in eius ſuſtantiâ radices habeant, & ei tanquam eidem trunco inſertæ ſint, à quo vigorem ſuum ſuamque agendi vim mutuentur. Secundo, quòd poteſtatis animæ extenſio certis terminetur limitibus.

Primâ iſtâ cauſâ fit, vt ſine animæ concurſu facultates noſtræ non agant; ſecundâ, vt aliquando per vnam facultatem agendo, nimia ſuæ virtutis effuſione, ità exhauriatur anima, vt in cœteris, ad agendum, illi reliqui nihil ſuperſit. Vndè cùm imaginatio nobis gratæ rei nimia

vehementia illigatur, quod ante oculos noſtros verſatur, interdùm non videmus, atque vix auribus inſonantem tumultum percipimus: & in hoc caſu, anima naturaliter extaſim patitur.

Cauſa ſupernaturalis extaſis oritur ex eodem principio ſupra poſito quòd nimirùm animæ facultates ſine eius concurſu non agant, & ampliorem ipſa tribuere illis non poſſit, quàm à natura poſſideat, niſi illi à Deo ſuprà naturam conferatur, ita-vt illecta à Deo, per infuſionem luminis efficacis ac potentiâ gratiæ, ad ſublimen contemplationem quæ vires exhauriat naturales, non modò nullum ampliùs facultatibus ſuis ſenſitiuis poſſit communicare concurſum: ſednec vllum etiam intellectui, vt imaginatione mediante pro more operetur.

Vnde ſequitur, voluntatem, in eiuſmodi ſtatu, eò fortiorem amorem producere, quò huic altiſſimæ cognitioni iſte reſpondet, nec ampliùs adhæret imbecillis luminibus quorum diſcurſus naturalis, origo eſt

Huiuſmodi raptus & extaſes, prout plus vel minùs perfecti ſunt, varios in varijs effectus generant. In cunctis facul-

tates ſpirituales valdè occupant, reddunt que ſenſitiuas, vel omninò ſuſpenſas & ſine operatione, vel in functionibus ſuis languidas, quoſdam, ſenſuum ſuorum actionibus penitus interdicunt, quibuſdam alijs, illorum relinquunt vſum, ſed adeò imperfectum, vt ferme nullum habeant. Exempli gratia, ſi quis videat, quid videat neſcit, ſi ſonus quiſpiam eius feriat aures, quid audiat ignorat, ſæpè obmuteſcit, diffluit eius imaginatio: ſi, qui eiuſmodi motu rapitur, tunc librum præ manibus habeat, cum irruit in eum iſte motus; ſi quidem recordetur quòd talem librum teneret, non meminit quid tunc legeret: ſi quemdam fidei articulum mente reuolueret, obliuiſcitur; ſi aliquem amoris motum, ergà myſterium quoddam particulare produceret, idæam eius amittit. Denique omnes deficiunt facultates; atque tunc docent contemplatiui animam effluere, liqueſcere ac exinaniri, vt tota ſit Deo; illamque tunc non ampliùs viuere, ſed Deum in illâ.

Talis raptus ſenſuum omnium ſuſpenſiuus, breuiſſimus eſſe ſolet in ſuâ periodo, licèt anima diu velut ebria delicijs

quibus impleta eſt in inſtanti permaneat.

Voluptas quam experitur in eiuſmodi beato caſu, ità vires eius naturales ſuperat, vt illas exhauriat eò vſque, quòd rectè ſciens extrà ſe conſtitutam, quânam ratione id fiat, neſcit exprimere. Nequit etiam concipere quod videt, etiam tum cũ videt quod obiecti ab eâ percepti infinitas, conceptionum illius vim verborumque energiam excedat: & ad ferendum de eo iudicium, illam oporteret in actionem ſuam reflecti, quod in eius poteſtate non eſt, quandiu inhæret viſioni huiuſmodi obiecti ab eâ reflexione diuerſæ, cui quidem obiecto adeò ſtrictè ac intimè vnitur, vt ad eliciendam actionem alteram, nulla ei virtus ſuperſit.

Non poteſt etiam anima, cùm reuertitur à raptu, felicitatem exprimere quâ potita eſt, quod item procedit ab infinitâ obiecti, quod contemplatur, perfectione, in memoriam, poſt finitam contemplationem, reuocari, non valentis: quia tunc non ampliùs adſunt lumina extraordinaria, quorum beneficio illud intuebatur.

Qui nimiam Dei bonitatem in ſimilibus

casibus experti sunt, omnes vnanimi consensu dicunt lætitiam, quam tunc anima recipit, amoremque quo inardescit, interdùm adeò excedere, vt si diu durarent, afferrent interitum: quia spiritus vitales, animæ occupatione nimiâ, siue ad cognoscendum siue ad amandum, suprà modum efferuescentes, cor tandem extinguerent, quod vitam non fouet nisi perenni refrigerio.

Nimirùm eam ob rem ij quibus frequenter accidunt elationes eiusmodi, semper languent; quia applicatio animi sic vires eorum euacuat naturales, vt demùm consumptæ inueniantur, adeò vt qua oratione ad perfectionem, ea etiam ad mortem deducantur.

Mundi contemptus, virtutesque in anima remanentes post has elationes, satis, profectus ingentes fructumque insignem, quem illa percipit in statu eiusmodi, testantur.

In exaltatis ad hunc apicem solet deprehendi humilitas eò profundior, quò ad gratias receptas nihil penè contulisse nôrũt, excepto consensu simplici, & facili cooperatione, vnde fit, vt se penitus illis indignos humiliter agnoscant.

Quemadmodùm

Quemadmodùm cum ſol plenè cubilum illuſtrat, minimè quæ in eo ſunt ſordes apparent; ſic in ſplendore, quo irradiatur anima in iſto ſublimi eleuationis gradu, ſuos illa defectus omnes conſpicit, quibus magis ac magis deijcitur apud ſe & confunditur. Raptus iſti interdum adeò violenti ſunt, vt his tractus à Deo, illis nequeat obſiſtere. Sæpè animæ ſanctæ, præ humilitate profunda, ab his abſtrahere ſe voluerunt, cum palàm hominibus illos ſentiſcerent: ſed quacunque oppoſitione non obſtante, in inſtanti, ſuis ſenſibus interdictæ reperiuntur.

Etiam à terra ſubleuatæ perſonæ nonnullæ, tam inuitè, quàm contrà naturæ motum: quædam in eiuſmodi oratione lachrymantur aut præ dolore de peccatis ſuis, aut præ gaudio, amore vel affectus teneritudine; lacrymas iſtas nihilominus minimè ſentientes.

Sic earum delectatio aliquandò in doloris pœnarumque exceſſu conſiſtit; ſiue ex mœrore ſenſibili quo afficiuntur pro culpis in Deum admiſſis, proprijs vel alienis, ſiuè ex eo quòd ſe huius vitæ mortalis captiuas intueantur, atq; ità Dei ſui verâ fruitione priuatas; ſiuè ex ima-

ginatione ac notitiâ, quòd, non quanto cum ardore vellent, Creatorem ſuum diligant, atque propter eum, ad quæ ſtrictè teneri ſe ſentiunt, non impleant.

Durantibus huiuſmodi motibus extaticis corpora manere ſolent ſinè pulſu ac motu, quaſi mortua, in eo ſitu, quo, cùm inuaſit eos raptus. In egreſſu ab illis raptibus corpora ſæpè quaſi ſtupida ſunt; aliàs etiam contingit ea inſpiciendo nihil inſuetum videri illis accidiſſe.

Intellectus item aliquando manet quaſi ebrius gaudio accepto, eſtque homo ſimilis ſemi-experrecto. Alias mens eius libera, ſuper totum vitæ ant eactæ tempus non rarò etiam poſt extaſes iſtas, ægrum, continuò ſanum factum fuiſſe contigit. Concludamus vno verbo; mirabilia Dei incomprehenſibilia ſunt, nec poſſunt exprimi, dona quibus in hoc ſtatu animas cumulare Deus delectat.

Hæreticum eſſe oporteret ſummaque cæcitate perculſum, vt Deum quis ſic agere poſſe dubitaret; nec non ignarum penitùs hiſtoriæ vitæ ſanctæ ac religioſæ, vt ignoraret pluriès ſic egiſſe. Verùm non modica difficultas eſt, an ità reuerà ſe habeat in multis occaſionibus, in quibus præſumitur.

Nil facilius quàm imaginari ſibi inſueta diuinaque accidere; quòd, ſuaptè naturâ, in adulationem ſui, homo propendeat; nil tamen ad diſcernendum difficilius. Theologi in rebus iſtis verſatiſſimi, plurima ſigna atque characteres præſcribunt, quibus, in illis caſibus, verum à falſo dignoſcatur.

Poſthàc breuiter referam magis eſſentialia, ac totam hanc almam Theologiam myſticam, prolixiùs examinandam relinquam ijs, qui eius notitiâ, diuturno vſu, ſanctoque experimento, imbuti, tam probè ſciunt eius anfractus, ſeu ſinuoſos reflexus omnes, quàm mei compares illos tenentur cum humilitate reuereri, ob ſimplicem eorum cognitionem generalem, qua pollent, quæ quamuis vera ac tuta, nihilominùs, tantæ ipſos, quoad circumſtantias particulares, obſcuritati relinquit, vt in ſingulis illis dijudicandis, non ſint cæcis in diſtinguendis coloribus ſapientiores.

Cùm praxis ſit huius almæ Theologiæ ſola Theoria, qui à ſæculo receſſerunt, vt gratiæ recipiendæ huius illecebræ ſingularis, minùs obſtarent, lumen abundantius materię eiuſmodi poterunt, affú-

dere cùm alij illam tractantes, per offusas duntaxàt tenebras progredi videantur.

CAPVT XXXV.

De discrimine inter quatuor diuersas species extasium & raptuum.

EXTRATICORVM raptuum species quatuor sunt: primus intellectus, alter voluntatis, tertius reliquarum animæ facultatum, quartus operationis. Contemplatiui agnoscunt alteram præterea speeiem vnionis, quam intimi spiritus vnionem appellant, quæ tum fit cùm intellectus & volũtas in hac insolita Deum cognoscendi amandique ratione ità coniunguntur; vt statim ac in eum suâ contemplatione fertur intellectus, extemplò eum anima illò suâ dilectione sequitur; at dici potest, hanc vnionis speciem, duas priores iũctas simul, in gradu magis intimo & eminentiori, tãtùm complecti.

Raptus intellectus tunc est, cùm hic ad actus suprà naturam, & contrà solitum agendi modum, euadit; quod ei accidit, quando excelsæ Dei contemplationi ità incumbit, vt ei anima nullatenùs auxilietur, quò recurrat ad imagines aut spe-

cies, nec vt contempletur obiectum aliud ab eo qui illigatur ; atque propriè loquendo, ſtatus ille eſt, quem contemplatiui vocant vnionem intellectus, in quo intellectus iſte à creatis obiectis ſeparatus, ſummi atque increati obiecti contemplationi totus adhæret.

Vt hoc rectè intelligatur, ſciendum eſt duas actionum ſpecies in homine reperiri, quaſdam, quæ nullam habent connexionem, conſequentiam, vel ſubordinationem ; vt auditio, viſio, & imaginatio. Tales actiones obſunt ſibi inuicem; itavt anima vni earum maximè addicta, minùs capax ſit ad alias producendas. Alias quæ connexionem habent & ſubſequuntur ſe, vt motus appetitus apprehenſionem phantaſiæ ; & actiones voluntatis, cognitionem intellectus. Quo fit, vt tantum abſit, vt anima functionibus naturâ ſuâ præcedentibus occupata, ad ſequentes debilitetur ; quin potius, intentione ad priores expeditior fortiorque reddatur ad poſteriores. Exempli gratiâ, quò magis anima ſuum obiectum videt amabile, eò magis, ad illud amandum, voluntatem corroborat.

Raptus voluntatis ſequitur præceden-

tem, & a dillum refertur; intellectu enim erecto, vt dictum est, voluntas annititur vltrà suas vires, ad amplexãdum diligendumque obiectum, cuius perfectiones viâ penitùs extraordinariâ intellectus nouit. Hic est status, quem contemplatiui dicunt vnionem voluntatis, in quo voluntas fixè affecta est ad amandum Deum, intuitu perfectionis naturæ eius diuinæ, absque relatione ad creaturas.

Raptus facultatum inferiorum habetur, quando omnes animæ potentiæ ità absorbẽtur ex cooperatione datâ vocationibus diuinis, atque impressionibus gratię, vt ipsa anima tota præter solitum inhæreat, insistatque contẽplationi & amori sui summi obiecti, nec inferioribus potentijs vllum concursum præbere possit; sed illas deserat, quasi ab omni actione suspensas.

Raptus operationis, mysticorũ Theologorum sententiâ, in suspensione etiã nostrarum actionũ tanquam nostrarũ, consistit; quia spiritus Dei inuadens animam, in nobis & per nos, quasi in instrumentis viuentibus dignatur operari; ità quòd opus eius sit vt principalis agentis. Vnde D. " Paulus, aiebat iam non ego viuo; & idcircò, non ego qui loquor, qui præ-

dico, illa verò omnia Christus-Iesus in me operatur: verùm cùm hæc extasis operationis, sanctorum sit duntaxàt, aliam faciliorem communioremque docere malo. Hæc fit cùm fidei conatibus necnon gratiæ viribus naturam mouemus violenter quæ suprà se eleuatur ad actiones exercendas, faciendasque res, quæ cum sint legi diuinę exemplisque Dei hominis conformes, reuerà veteris Adam inclinationibus aduersantur, & sensus ac discursus nostros plurimùm excedunt.

Hoc pacto, qui diuitijs paupertatem, humilitatem honoribus mundique superbiæ, contemptum, opprobria ac persecutiones, felicitatibus sæculi; Dei voluntatem, maximæ sensuque maiori in his inferioribus experiundæ vtilitati præfert, haud dubiè in vitâ extaticâ extrâ se nec-non super se versatur, atque à Deo trahitur raptu continuo ac extasi perpetuâ actionis & operationis.

Primus raptuum eiusmodi, ex se cognitionis plurimum, amoris nihil confert, licèt is ex alterâ sequatur. Secundus ex se tribuit amorem cœcum in se, & qui profectò talis esset, nisi eum intellectus cognitio præcederet. Tertius, intellectum &

voluntatem suâ frui felicitate sine perturbatione, permittit; cùm potentijs inferioribus actione carentibus, ab eiusmodi felicitate anima dimoueri non possit.

Quartus, secundi ac tertij naturam participat, tanquam effectus ab illis procedens; cùm nihil supponat aliud, præter eminentem cognitionem atque amorem eximium, quo in Deum anima tota mergitur, disperditur, & velut in abyssum proruit, nec non homo propter Deum, quod ipsimet homini contrarium videtur, perficit.

Primus nequaquam reddit nos necessariò meliores, sed intelligentiâ insigniores. Secundus auget cordium flammas. Tertius palàm ab huius mundi visibili commercio nos soluit. Et quartus, postquàm nos consummauit in Deo, in proximos charitatem, quam secundus cordibus nostris impertit, facit effundere, adeoque contemnere quæ magni ducit mundus, vt, Deo solo cunctis actionibus nostris fine præstituto etiam ex hoc sæculo, ei strictè vniamur.

Primus & tertius deceptioni multùm obnoxij sunt; cum facile sit Dæmoni falsis luminibus menti illudere, & sensuum

operationes fallere.

Secundus multò minus patet fraudibus, cùm sit dæmoni difficillimum apud se statuere, voluntatem in bonum accendere; Et si aliquando id præstet, hoc non ad diuturnum tempus. Quò fit vt, cum sæpè repetitos diutinosque affectionis raptus esse cernimus, Deum, illorum esse Authorem, hoc signum penè certum sit.

Quartus verò certissimè à Deo est; atque is ad cuius exercitium fideles vniuersi debent aspirare; tribus primis inanibus factis, nisi ad quartum motiua sint, & principium.

Primus & tertius ornatui esse videntur; ac quemadmodum boni queunt esse, sic sæpè mali inueniuntur, arte & dolo dæmonis, qui se his immiscet, & ratione naturæ, quæ ipsismet delectatur.

Secundus ornatui & vtilitati simul. Sed quartus omni destitutus ornatu, quem pedibus conculcat, vt omnium incumbat contemptui, tot exuberat vtilitatibus, vt ad perfectionem contendentibus animis omninò sit necessarius.

Hic Iesu-Christi Domini nostri nos perfectiùs æmulos reddit, & aliorum

trium effectum fructumque continet; cùm certò conſtet mentis clariora lumina ardores calidiores voluntatis, omniumque animæ facultatum ſuſpenſionem aliò non tendere, quàm ad perſuadendum efficaciter homini, vt magis arridentia naturæ, animi ſenſa à ſe abijciat, atque renunciet voluntatibus propriis, quò diuinis abſolutè vniatur; quod perfectè conforme eſt conſuetæ actioni eorum, qui in virtutum quartæ ſpeciei extaſis exercitio verſantur.

Omnia legis præcepta Dei gratiam exigunt, vt ab hominibus ſeruari poſſint. Abſtinere ab odio proximi, vindictâ, concupiſcentiâ vxoris, cæterorumque bonorum alienorum, atque inuidiâ, cæleſte ſupponit auxilium; At rationi conſentaneum, quo alteri, quod nobis fieri nolumus, minimè faciendum eſſe iudicamus.

Auxilium verò nobis neceſſarium ad præferendam opibus paupertatem, conuitia laudibus, dedecus honori, deliciiſque tolerentias ſeu paſſiones, ſubſidium eſt nos ſuprà nos-ipſos extollens, ſenſus diſcurſumque noſtros extinguens, aptos duntaxàt ad ſuadendos amores & ample-

xus eorum, quæ nos deſerere facit illud extraordinarium auxilium, propter Deũ noſmetipſos abnegantes. Felix ille eſt qui ſe ignorat, vt Deum ſuum nôrit; quique naturam ac defectus hominum abhorret, vt ſui Saluatoris perfectiones imitetur, eiuſque in patientiâ ſequatur exemplum; quò, intimâ illâ & ineffabili adhæſione, vnus cum Deo ſpiritus fiat.

[a] *Ad Gal. 2. v. 20.*

CAPVT XXXVI.

De Pœnarum amore.

NON eſt, inquit D. [a] Auguſtinus, præceptum, huius vitæ afflictiones amandi; ſed patiendi. Nempè (addit) quod toleratur non diligitur, licèt ametur virtus, quæ cùm patientiâ largitur tolerare.

Charitas, cui nil impoſſibile, ità doloris objecta conuertit, vt aculeorum vice, ab illis delectationes ſentiamus, ea patiendo. Qui amat (ait idem ſanctus) non patitur patiendo, quia amat ac certum eſt amanti nil eſſe difficile.

D. [b] Paulus nullo gaudere neque gloriari ſe magis proteſtatur quàm tribula-

tionibus : si pœnis exultet, euidentissimum est eum diligere pati. Piè iactat catenas suas & cruces. Pro se agens apud Agrippam eiurat omnia mũdana, præter vinculorum quibus stringebatur honorem. Nunquam de afflictione loquitur nisi tanquam de vmbratili malo, quod eius veri boni causa est, cuius satietas nusquam satis haberi potest.

Affirmat Psaltes [c] Regius statim ac à Deo dolore quodam tangitur, se lætitiâ repletum experiri; vt Dei virgâ corripitur, consolari.

Sub saxorum grandine, S. [d] Stephani vultus, serenus vt Angeli, splendidusque visus est.

In craticulâ Tyrannum irridet D. [e] Laurentius; Assatum est iam, inquit, latus illud, versa.

Martyres alij mille, in mediis supplicijs horrendis admodùm, superabundauerunt gaudijs : illorum corpora non erant dolori imperuia; sed amor intùs abblandiens, nimiam martyrij crudelitatem, ne sentiretur, obtundebat.

Refert [f] S. Chrysostomus Matres innocentium in earum conspectu occisorum, idcircò solatium recipere noluisse;

quòd martyrij gloriam cum paruulis ſuis diuidentes, lætitiæ magis ex eo quàm triſtitiæ conſequerentur. Si lachrymentur, inquit, quare renuunt conſolari; Et ſi conſolatione non egent, quare lachrymantur? Senſus naturales plorant, (ſibi præclarus ille ſanctus reſpondet), ſed amor & fides capiunt ſolatium.

Si verum, quod ait D.[g] Cyprianus, voluptatem quandam ineſſe victoriæ voluptatis, maior reperitur in malis tolerandis: cùm victoria eò glorioſior reportetur, quò difficilius eſt pati malum vrgens, quàm eludere voluptatem alludentem.

Etiàm Ethnici[h] confeſſi ſunt mirum eſſe, cernere quoſdam, ijſdem mediis, quibus alij deprimantur, aſſurgere.

Si Domino noſtro ſocij paſſionum ſimus, ſimul & conſolationum erimus.

Cùm D.[i] Paulus ait nos eſſe quidem heredes Dei, coheredes autem Chriſti; nil aliud vult, quàm Deum nobis parare paradiſum mediis paſſionibus, quæ Filij eius propriæ ſunt.

Propter Deum pati illius, inſtar Amantium eundem, lætitia maxima eſt. Repletus ſum (inquit D.[l] Paulus) conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribu-

latione noſtrâ. Dauid, [m] ſecundum multitudinem dolorum meorum in corde meo : conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Deo in medio afflictorum exiſtente, quis afflictiones ſuas non amabit?

Multi poſtulant, ait Dn Auguſtinus, à ſuis tribulationibus eripi, Deus autem eos non exaudit ; vt diſcant illum Medicum eſſe, & tribulationem medicamentum ſalutare, non dolorem morbi prognoſticum. In vſu eiuſmodi acris remedij, clamat patiens ; ſed Deus non audit: quia ſoli hominis voluptati fauentibus ſurdeſcit, nec aures aperit, niſi ad ea quæ ſaluti illius vtilia ſunt.

Commendat Deus paſſionum tolerantiam quaſi ad cælum rectam viam, & ſemen gloriæ. Exemplo Ieſu-Chriſti ad eas tenemur ferendas quatenùs hominibus ad imitandum illemet ſe proponit. Sæpè hilaritatibus & deliciis Deum obliuiſcimur, & à virtutum exercitatione deterremur : Illas ſcriptura [o] pingit tanquàm obiecta fallacia, ſub quorum ſuauitate pernicioſum latet animabus venenum.

Ergò paſſiones deliciis præſtant; cùm

quicquid in cælum rectiùs nos dirigat, ac Iesu-Christo conformiores reddere potest, præstantius sit eo quod interdùm Dei obliuionem ingerit, à virtutibus abstrahit exercendis, nosque decipere valet ac perdere.

Si seipsum diligat Christianus, cruces diligat, oportet; quæ adeò illi vtiles sunt vt eas contemnere, sine proprij commodi contemptu, nequeat.

Cùm Iesus-Christus hîc à crucibus inseparabilis extiterit, eum amare nil differt, ab amare propter illum pati: quandoquidem charitas eius, pœnas eius protulit, nostra erga eum, idem præstare debet.

Tyro pallet ad solam vulneris imaginem, inquit Seneca, p veteranus miles & fortis sanguinem suum fluere imperterritus videt, ipsâ effusione sæpè expertus victoriam reportasse. Ità se res habet de crucibus, terrent ignaros, & gnaros ponderis meritique sui, ad se cum ardore pelliciunt. Pœnæ atque supplicia sunt, formidantibus & fugientibus, illas verò quærentibus tanquam semen gloriæ genuinum, solatium & merces: Non igitur solùm cum patientiâ tolerandæ; sed

earum acerbitas, omnium mundi huius voluptatum prosperitatumque dulcedine charior habenda est. [a]

[b] 2. Cor. 7. v. 4. [c] Psalm. 22. v. 4.

[d] Actor. 6. v. 15. & cap. 7. v. 58. & 59.

[e] Vide in eius festo apud Breuiar. Rom.

[f] Tom, 2. operum latin. ex variis in Matthæ locis homil. 3. de natali Innocentium pag. 900. sub finem vbi per Matres Innocentium Rachel. & Ecclesiã Christi quam figurabat, Rachel agnoscit, & ait.

Si fleuit, cor consolari contempsit aut si consolari contempsit, cur fleuit? [Et post pauca respondet] *Pietatis affectus in fletibus declaratur, sed occisorum gloria repudium consolationis indicitur; pugnant enim in matre affectus & fides, humanitas cum deuotione concertat: plangit affectus sed fides exultat: deflet humanitas, sed deuotio consolatur.*

[g] Lib. de bono pudicitiæ versus finem. in edit. Paris. an. 1574. pag. 422. col. 1. vbi sic eloquitur.

Nihil animum fidelem sic delectat, quàm integra immaculati pudoris conscientia. Voluptatem vicisse, voluptas est maxima, nec vlla maior est victoria, quam ea quæ de cupiditatibus refertur.

Digitized by Google

[h] Lucius Annæus Seneca. ep. 91. lib. 14. 3. vbi aliquanto poſt. med. ait;

Sæpe maiori fortunæ locum fecit iniuria: multa ceciderunt vt altius ſurgerent & in maius &c. Vide in fol. pag. 376.

Idem ep. 30. lib. 4. 2. aliquantum ab initio ſic habet.

Ruina quos videbatur oppreſſura, depoſuit, mare, quos hauſerat, eadem vi qua ſorbebat eiecit incolumes; gladium miles ab ipſa perituri ceruice reuocauit. [Vbi paulò antè dixerat] *Magnus Gubernator & ſciſſo nauigat velo, & ſi exarmauit, tamen reliquias nauigij aptat ad curſum.* Item Cicero pro Cæcinna. *Exemplum accipe Marcum Varronem & Barbulam nobiles Rom. qui tempore Octauiani Auguſti viciſſim ex clade ſibi venditi ſeruique facti, cladem, ſeruitutem, eiuſdemque Imperatoris vindictam, alter alteri, impetratâ ab illo veniâ, gratiam rependentes euaſerunt.*

Sic refert Petrus Meſſias Hiſpalenſis variar. lection. c. 39.

[i] Ad Rom. 8. v. 17.

[l] 2. Cor. 7. v. 4. [m] Pſal. 93. v. 19.

[n] Tom. 3. in lib. ſentent. Proſperi. pag. 381. c. 212. litt. H. col. 2. id habere videtur, cum ait.

Fideliter ſupplicans Deo pro neceſsitatibus huius vitæ, & miſericorditer auditur & miſericorditer non auditur. Quid enim infirmo ſit vtile, magis nouit medicus quàm ægrotus. Si autem id poſtulat, quod Deus & præcipit & promittit, fiet omninò quod poſſit: quia accipit charitas, quod parat veritas.

[o] Pſal. 75. v. 6. & alibi paſſim.

Lib. de prouidentia c. 4. paulò antè med. vbit ait. pag. 498.

Ad ſuſpicionem vulneris tyro palleſcit, audacter veteranus cruorem ſuum ſpectat, qui ſcit ſe ſæpe vicisſe poſt ſanguinem.

Item pulchrè in hanc ſententiam ep. 13. quæ eſt 1. lib. 2. ep. paulò poſt initium.

Non poteſt Athleta, inquit, magnos ſpiritus ad certamen afferre, qui nunquam ſugillatus eſt. Ille qui fudit ſanguinem ſuum, cuius dentes crepuerunt ſub pugno, ille qui ſupplantatus aduerſarium toto tulit corpore, nec proiecit animum proiectus, qui quoties cecidit, contumacior reſurrexit, cum magna ſpe deſcendit ad pugnam. Vide pag 186.

CAPVT XXXVII.

De veris characteribus, quibus, continges in contemplatione præter commune ac ſolitum, an à Deo, an à dæmone ſit diſcernitur.

CERTIOR character, morum probitas eſt, atque progreſſus quem ij, quibus effectus illi inſueti accidunt, faciunt in vijs perfectionis. Si quædam in eis ſuperbiæ, commodi, nec non amoris proprij ſpecies deprehendatur: timendum eſt, nè Satanas transfiguratus in Angelum lucis, fallat eos doloſâ imagine ſanctitatis à Deo ſibi collatæ.

Si impreſſionum, dictationum, & reuelationum in raptu perceptarum finis conſequendus, ſola vanitas eſt prædicendi futura, vel alius ſimilis nullius momenti, tunc earum author diabolus cenſeri debet, malo fine in Deum cadere non valente. Si mira illa finem habeant dubium, cauſa eorum ſuſpecta eſſe debet, donec certò conſtet de iſtorum naturâ.

Si verò qui eiuſmodi prodigijs affici videntur, à raptu exeant humiliores, vir-

tutum ſtudioſiores, feruentiores, & ad bonum ardentiores, denique perfectiores, ſi quicquid fit in illis, ad peccatorum conuerſionem, animarum perfectionem, & maiorem Dei gloriam tendat, de eorum conſcientiâ peruerſum quid iudicari ſine temeritate non poteſt. Si etiam effectus illi inſoliti in eundem finem pergentes perſeuerent, Deo attribui meritò debent.

Diabolus pro viribus eum imitari ambiens, aliquantiſper bonitatem illius fingendi capax eſt, ſed diu eandem mentiri nequit: naturæ ſuæ deprauatione, breui effertur, & vel tenui ſolertiâ, peruerſitatis eius tenebræ, in ſplendoribus fictis quos induit, facilè deprehendentur.

Reuelationes viſioneſque diuinæ, effectiuæ eſſe ſolent: ad virtutem ſpecialem prouocant, illam exercendi media ſubminiſtrant, ad hoc mouent efficaciter, atque certiſſimum eſt, quòd cùm Deus elegit animam vt in eâ & per eam mirabilia ſua operetur, eius emendatione ac ingenti in virtute profectu, huius gratiæ ſigna certa concedit, atque ità verus & quaſi vnicus raptus diuini character eſt, raptus operationum, perſeuerans in ijs,

qui eiuſmodi prærogatiuis potiri cernuntur.

CAPVT XXXVIII.

An Deus fœminis ſæpiùs quàm viris, vltimum contemplationis gradum largiatur.

POSTQVAM tentaui pluriès argumenta penetrare, quibus duci poſſunt Authores quidam, affirmantes ſine probatione, Deum magis fœminis quàm viris, hoc vltimo orationis gradu, ſe communicare, tria credo, non parui ponderis, referri poſſe.

Primùm, quòd ſexus fœmininus virili deuotior eſſe ſoleat, & cùm, ſuâ conditione, ad tractanda ſæculi negotia, ille minùs idoneus ſit, rariùſque aſſumptus, magis ſe contemplationi dedat.

Secundum, in huius ſexus imbecillitate conſiſtit, qui cùm hominibus, vt plurimùm, incapacior ſit, idcircò ad eiuſmodi inſolitos miroſque effectus ſuſcipiendos, videtur aptior, quos Deus inſtrumentis infirmioribus operari delectatur, vt potentia eius meliùs eluceat, probet-

que manum ſuam agere, non cauſas ſecundas, quibus vtitur.

Tertium fundatur in honore, quem Matri ſuæ ſanctiſſimæ reddere, Chriſto ſuaue eſt, quæ non modò plurimas ſibi conceſſas gratias extraordinarias, ſed multas prætereà ſuo ſexui prærogatiuas commeruit. Alias abundè ſatis idem Chriſtus maſculis impertiuit, eorum per incarnationem aſſumẽs ſexum, decoranſque illos poteſtate eum ſacris altaribus quotidiè præſentem reddendi.

Verùm cùm perpendo maſculorum ingenium communiter eſſe acutius, iudicium firmius ſacroſque codices plura communicationis ſpecialis Dei cùm maribus, quàm cùm femellis, exempla recenſere; tantùm abeſt, vt tria allata argumenta, in earum gratiam, quæſtionem hanc definire valeant, quin potiùs adſit ratio oppoſitum ſentiendi. Cùm attendo, quòd ſi Deus diſtribuerit Prophetiæ donum Mariæ[a] Prophetiſſæ, Deboræ, aliarumque numero cuidam exiguo, quas ſcriptura, nec non hiſtoria Eccleſiaſtica ſimilibus notant gratijs ornatas eſſe; textus ſacer Prophetas [b] innumeros deſignet, quibus ſuum voluit ſinum aperire,

& ſecretoria conſiliorum ſuorum arcana detegere; paritatem nullam inuenio inter gratias eiuſmodi vtriſque collatas.

Si deinde recurrat animo familiaritas, quâ, cum Moyſe, [c] vti Deus dignatus eſt; ſi D. [d] Pauli raptum mente reuoluam; reuelationes, quas in Apocalypſi (quæ quot lineis, tot conſtat myſterijs) deſcribit S. [e] Ioannes; viſionem prorſus extraordinariam S. Stephani, dum in martyrij ſui agone verſaretur, totque ſanctos viros, quos, in omnibus ſæculis, inſolitis penitùs luminibus impletos fuiſſe refert hiſtoria Eccleſiaſtica; vix credo quæſtionem eiuſmodi indefinitam relinqui poſſe.

Denique ſi mentis oculis obijciam, indagantem magis, non citiorem inuentorem eſſe, niſi diſpoſitionibus, ad recipiendum quod quærit, neceſſarijs conſtet; fragilitatem, ex illis vnam non ſolùm non eſſe, ſed contrà, (licèt aliquando Deus velit eam vincere, vt potentiam ſuam magis manifeſtet) obeſſe ſæpiùs talibus gratijs, quas ille ſuſcipientis captui attemperare ſolet, cuius rei S. Paulus Spirituum eminentiſſimus, ſublimioribus diffuſorum vnquam radijs illuſtratus

rectum exemplum est; Beatissimæ Virgidis prærogatiuas, non inferre, sublimem contemplationem, esse sexus eius vnam, cùm magis masculini fuerit, vt exempla superiùs allata probant, locus est credendi, in hac disceptatione, mulieres victoriam non reportare.

Interim quia reuerà nihil in hac materiâ absolutè demonstratiuum est, difficultate propositâ, indecisâ relictâ, satis mihi erit mulieres magis illuminatas monere, vt vereantur, nè qui eas ad hoc orationis genus aptiores censuerunt, eo potiùs nitantur fundamento, quòd ad illud sibi persuadendum eas capaciores existiment, quàm firmâ quadam ratione, demonstratiuâ suæ opinionis.

Addam, quòd, cùm certum sit earum animum communiter virili fragiliorem, facilius in suauitate potioris imaginationis sibi posse adulari, quæ in orationis eiusmodi viis gradiuntur, sedulò cauere debeant, ne vice corporis, vmbram, & pro veris, falsos splẽdores amplectantur.

[a] Exod. 15. v. 20. Item Iudic. 4. v. 4. & alib.

[b] 4. Maiores, 12. minores, alioſque plurimos.

[c] Exod.

c Exod. 33. v. 11. d 2. Cor. 12. v. 23. 4.
e In Apocalypsi, per singula capita.
f Actor. 7. 55.

CAPVT XXXIX.

Obseruatio in vsum vitæ vnitiuæ.

DICTV facile est, vitam vnitiuam in alio non consistere, quàm, in humanæ voluntatis cum diuinâ, perfectâ conformitate; sed huius veritatis opus difficillimum est.

Quicquid hominis est, ei aduersatur, sensus eius & passiones obstant: Ratio assentitur rarò, aliò penitùs tendunt huius mundi vanitates, ac tandem nè tantam perfectionem assequantur animæ, Diabolus totus incumbit.

Nihilominùs, quæ rem arduam reddunt obstacula, omnia superari possunt; & ad hanc victoriam duo duntaxàt requiruntur.

Qui à seipso omnibusque creaturis absoluere se potuerit, Deoque deinceps adhærere, palmam consequetur.

Quod vt fiat, tantum nil confert quantum animo rectè imprimere, creaturas ad vsum duntaxat transitorium esse concef-

ſas. Quo docemur eis nos frui non poſſe, niſi ad tempus, Deumque noſtræ poſſeſſionis obiectum eſſe perenne propoſitum. Vnde ab omnibus creatis iure nos ſeparare debemus, vt increato creatori noſtro, ac totius orbis, ſtrictiùs vniamur.

Aliter illis vti minimè valemus, quin infinitæ ordinem ſapientiæ peruertamus, quæ homini non permittit frui, quibus cum vti tantùm oportet; nec vti ſolùm, quibus frui, neceſſe eſt.

Legitimè parta diligere, Deus homini non prohibet; vt verò ad perfectionis, quam inueſtigamus, apicem perueniat, in præparatione animi, debet ſuas lubenter diuitias relinquere, quicquid contrà egerint paſſiones, cùm id velle ſe, Deus patefecerit; ſi omnia terrena, quorum ſtudio magis tenetur, illi indifferentia ſint, Deo comparata, cùm demiſſione animi credere poteſt ſe debitè creaturis exolutum, vt cùm creatore ſuo in vnionem veniat.

At gradus vnicus vltrà addendus eſt, vt ſummum huius vitæ bonum adipiſcamur: Non ſufficit creatum quodlibet abieciſſe; in Deum, merè propter eum, ſe conieciſſe oportet, eique inhærere.

Digitized by Google

Inhæsio eiusmodi stat in frequenti de eo cogitatione, in dilectione interiori illius super omnia, in emittendis ex animo votis ac desideriis ignitis propter eũ, & in confirmandis identidem decretis, quibus nihil velimus nisi quod ille voluerit, nec non velimus quicquid ei lubet, quia lubet.

Qui gradũ hunc est assecutus, in perfectione profecit plurimùm, attamen aliud quid prętereà desideratur. Opera eius exteriora, cogitationibus ac suspiriis seu affectibus respondere debent. Necesse est, passiones eius iaceant prostratæ, rationis legibus sensus subiaceant, quãtumcũque hi rebellarint, ipsa nihilominùs tandem dominetur eis, atque ad virtutes adeò firmis ipse feratur habitibus, vt pœnas, mortificationes, ignominias, egestatem, si ingruerint, patienter sustineat.

Tunc in templo perfectionis, vnionis cum Deo, cuius in hoc mundo capax esse potest anima, locum obtinebit; & quomodocumque illum impugnent, aut ei reluctentur sensus eius ac passiones, ratione ac gratiâ triumphantibus, tranquillitate interiori perfruetur. Verùm opus est, vt progrediatur vlteriùs, si in templi

huius ſanctuarium velit introire: certum enim eſt adhuc vnum ſublimioris perfectionis gradum ſupereſſe, poſſeque hominem aſcendere ſuperiùs, vt procul-dubiò aſcendet, ſi ad operationum extaſim vſque pertingat, quæ non ſolùm in patienter ferendis iniurijs, calumnijs, paupertate, frigore, fame, omniſque generis afflictionibus, conſiſtit; ſed etiam in ijſdem præferendis, laudibus, honoribus, diuitijs, & voluptatibus vniuerſis, quibus hîc caro & ſpiritus noſter gaudere poſſunt.

Qui eò vſque penetrârit, perfectionem dubio procul adeptus erit, ad quam his in inferioribus poteſt quis aſpirare; eique fas eſt in altaris huius ſanctuarii columnis, vocabula iſta audacter ſculpere, non plus vltrà.

Non licet omnibus metam hanc attingere, at certum, ad eam, viam apertam eſſe, Deumque ſpeciali gratiâ, cuius fons & origo nimia eius bonitas eſt, multas ad eandem animas pertrahere.

Quemadmodum in Eccleſiâ triumphante manſiones variæ, varii etiam perfectionis gradus in Eccleſiâ militante reperiuntur; cùm hac tamen differentiâ,

quòd qui in illâ infimum gloriæ gradum obtinent, ſuâ ſorte æquè contenti ſint, ac qui in ſummo conſtituti; cùm ſinguli ſuâ felicitate plenè ſatientur, ibique locum non habeat meritum, in hac verò militante, ad ſupremum perfectionis ac meriti gradum tendere debeamus, quia illum aſſequi licet, dextramque porrigit Deus, vt eò nos attrahat.

Sicut illuc aduolare difficile, ſic laborioſum ibidem perſeuerare, at etiam verum, cùm quis peruenerit non tam facile, quàm credi poſſet, ab eo ſtatu cadere.

Si qui paucos vitæ purgatiuæ, illuminatiuæ, & vnitiuæ actus exercent, triplicis huius vitæ perfectione, quarum vnaquæque in habitibus perfectis, non in puris actibus conſiſtit, ſe donatos nequeant prætendere; certum eſt, licèt qui ſuprà expreſſam perfectionem ſunt adepti, labantur interdum in aliquos defectus, non ideò à priſtino illo felicitatis gradu ſummo deiici, ſi ſtrenuè reſurgant.

Non ſecus ac vna hirundo ex alio cælo reuerſa non facit ver, & vna quæ auolauit ab hemiſphærio noſtro minimè denotat certò proximam hyemem; ſimiliter actio vna iuſta non parit perfectionis.

habitum, & vna iniuſta illum non perimit ; ſoli Angeli & Beati in bono ſunt confirmati, nec, per humanæ vitæ conditionem, homini ſub cælo fas eſt à lapſibus manere exemptum ; imò cùm virtutis habitum induit, ſæpè illi ſunt vtiles, quatenùs cum humilitate & verecundiâ, nec non ardore ingenti ac nouo zelo, vt in futurum ab illis caueat, conuertitur.

Hinc fit, vt qui huiuſmodi vitæ tertiæ, in quâ ſumma Chriſtiani, dum in hoc ſæculo degit, perfectio conſiſtit, ſtatum atque eminentiam ſibi proponit ; animum deſpondere non debeat, ſi à viis, in hoc capite eò perueniendi gratiâ expreſſis, non rarò ſe aberaſſe aduertat ; poſſitque per iter conſtitutum pergere ſe, cum humilitate credere ; ſi, quando videt actiones ſuas à recto beneplaciti diuini tramite deuiaſſe, illicò corrigere decernat, & in propoſito reddendi cunctas voluntates ſuas conformes ſui Creatoris voluntatibus, magis ac magis roboretur.

Hic eſt finis eiuſmodi vitæ vltimæ, ad quem haud dubiè perueniunt illi, quibus id in animo eſt, ſi crebrò Dei charitatem apud ſe excitent, ſi ſæpè conſtituant ſe in Dei conſpectu, & ſi frequenter Pœni-

Digitized by Google

tentiæ ac Euchari ſtiæ Sacramenta ſuſcipiant, quibus à peccato mundi, & in gratiâ fortes fient & ſeruabuntur; ſi præterea orationi aſſueſcant, quâ in dies meliùs intelligent prodigia, magnitudinem ac bonitatem Dei, quam probè cognoſcere impoſſibile eſt, quin ſufficienti cum ardore eam adoremus & diligamus, vt renuncie mus affectibus noſtris, eiuſque voluntatibus ſolis ſeruiamus.

CAPVT XL.

Obſeruatio in tres vitas, Purgatiuam, Illuminatiuam & vnitiuam.

NOTANDVM has tres vitas quamuis diſtinctas & differentes, atque aſcendẽdo ſeparabiles à ſeinuicẽ, deſcendendo ſeparari non poſſe Hoc eſt, plures quidem animas inueniri poſſe, quibus vt à peccato mundentur, curæ erit, non autem contemplatio vlla, quâ in iuſtis conſiliis ſuis perficiendis illuſtrentur & viribus augeantur.

Alias reperiri, quæ vitam purgatiuam & illuminatiuam ducentes, vltimum perfectionis gradum non cogitant, in hoc ſitum, vt Deo ità vniamur, quòd nullâ

retentâ voluntate particulari, absolutè quicquid vult, velimus propter eum solum, & nihil aliâ ratione, quàm quia illud vult. At nullas dari isto perfectionis vltimo gradu præditas, quæ sanctis contemplationibus & illustrationibus, in eâ non nitantur crescere, ac perenni diligentiâ studeant emaculare se à culpis, in quas fragilitate suâ, cùm firmiùs stare sibi videntur sæpiùs corruunt.

Solus Iesus-Christus, à peccatis, deprauatis passionibus, & inclinationibus mal s simul, fuit immunis; sola eius Genitrix sanctissima ab omni originali & actuali labe præseruata est, priuilegio adeò speciali, vt illi soli concessum fuerit. Solus. S. Ioannes Baptista in peccato conceptus, vt cæteri hominum, in Matris vtero sanctificatus, ab omni actuali culpâ, ex consequenti, exemptus est.

Excepto Saluatore ac eius Matre sanctissimâ, in cunctis hominibus viget conflictus passionum. Nullus est, in quo rationi sensus, caro spiritui non reluctentur, & ex eiusmodi pugna multi nascuntur casus, quibus, perfectiores, sunt præ aliis minùs obnoxij, licèt ab illis nequaquam liberi.

Digitized by Google

Qui igitur Saluatoris sui perfectam imitationem sibi proponunt, tendunt-que ad perfectionem, minimè turbentur, si deficere se in multis, & aliquando claudicare aut cadere videant, sed vilescant sibi maximè, resurgant, corrigant se citissimè, cùm eos cespitare & penitùs ruere contingit.

Hoc repeto quod attigi capite præcedenti, quia magni refert, ac noui animos pleroſque egregios perturbatione & æstu non semper carere, quanquam horum causa, quæ in defectu illorum naturali, non in malitiâ est, omni vacat vitio.

Sciant huiusmodi piè & plenè timentes Deum, leuibus culpis ingestam confusionem, sæpè Christiano hinc humiliato magis prodesse, quàm innocentiam inuectiuam præsumptionis, ac effectiuam superbiæ, cùm ab his remotior esse sibi videtur.

Vno verbo, Christiani perfectio consistit, non in eo quòd à præscriptâ nunquam dilabatur; sed quod ab illâ pro viribus non discedat, cùm ceciderit, humilietur, & tam citò resipiscat, vt in peccato reses minimè sit. Quandoquidem efficere homo nequit, vt homo existens

non ſit homo, nequit etiam fragilitatis propriæ ſeruitutem penitùs excutere, nec idcircò vitare quodlibet leue delictum, quod eum humiliat tantum aut deprimit, ne pereat.

Si curioſus quidam noſſe cupiat, cur non æquè leuia, ac lethalia peccata homo poſſit effugere; tres huius diſcriminis aſſero rationes.

Prima ſtat in eo, quòd in leuia, quorum plurima, vix peccata videntur, facilius ſit cadere, quàm in ea quorum enormitas omnibus patet.

Secunda, quòd diuinam bonitatem deceat, nobis amplius ſubſidium conferre, vt à culpis, quæ gratiâ eius & gloriâ priuare queunt, intacti maneamus, quàm vt ab ijs protegamur, quæ neutrâ nos ſpoliant.

Tertia, tantùm abeſt vt Deo tanta cura liberandi nos à leuibus noxis, quanta à magnis, debuerit eſſe; quin potius eius infinitæ ſapientiæ & amoris erga nos incomprehenſibilis, argumentum excellens ſit, permittere, nè abſolutè vitemus illas, quæ cùm perdere nequeant, humiles nos reddere poſſunt; & ex conſequenti, cùm merito à noſtris malis re-

ſurgendi anſam præbere.

Huiuſmodi veritatis cognitio eò magis neceſſaria eſt, quò plures animæ iuſtæ dantur, quæ ſtatim ac in culpas quaſdam ſe cecidiſſe aduertunt, extemplò à fine propoſito ſe omninò ſemotas eſſe arbitrantur.

Verùm ſicut præſumptio fugienda, ad religioſiores animas, ni ſibi cauerent, omni bono funditùs euertendas, apta; pariformiter ſtudiosè fugiendus eſt timor, qui eaſdem in deſperationem agere poſſit.

CAPVT XLI.

Quod in omnibus conditionibus ad vitæ Chriſtianæ Perfectionem peruenire poſsit.

VT hæc Controuerſia dirimatur, ſciendum eſt, in vita Chriſtianâ, valdè diſtare inter ſe ſtatum perfectionis, & perfectionem Chriſtiani.

Secundùm D. " Thomam & omnes Theologos, ſtatus perfectionis complectitur obligationem ſpecialem atque ſolemnem tendendi ad perfectionem quâ-

cum colere Deum possumus: & ideò status eiusmodi, Episcopis, Sacerdotibus, & Religiosis peculiariter tribuitur, qui voto solemni promittunt hanc se prosecuturos.

Ratio & Philosophia docent cuiusli-bet rei perfectionem in vnione cum suo fine vltimo consistere. Clarum igitur est, perfectionem Christianam esse, arctè vniri Deo, primæ causæ nostræ, & vltimo fini. S. [b] Paulus Charitatem vocat vinculum perfectionis; quia nos coniungit Deo, qui finis vltimus noster existens, etiam nostra perfectio est. Atqui coniunctio ista fit solùm charitate, quæ quò ardentior & perfectior, eò voluntates nostras reddit diuinis conformiores; itaque si verum sit, in quibusuis conditionibus, perfectam charitatem haberi posse, verum est, nullam etiam conditionem esse, in quâ perfectio comparari non possit.

Deus solus est, qui se ipsum diligens quantum potest, amore suo meritum suum adæquat; soli Beati possunt eum iugiter amare, absque vllâ intermissione & distractione; non quantùm amabilis est, sed quantùm in eis est.

Vnde ſequitur Chriſtiani perfectionem in terris, non conſiſtere in eo quòd Deum, quantùm ipſe meretur, amet, nec quòd amet eundem ſine interruptione, cùm id vires eius excedat; ſed in eo quòd illi ità adhæreat, vt non modò nil patiatur, quo ab eo diuidatur actu, verbi gratiâ, peccatum mortale; ſed nec quo, vnionis cum illo ardor minui poſſit, exempli cauſâ, defectus ſuos naturales, qui ſine peccato intellectus & voluntates noſtras à ſuo queunt fine vltimo diſtrahere.

Talis vnio in quolibet ſtatu obtineri poteſt, accuratè ſeruando Dei mandata atque conſilia; & ſic certiſſimum eſt in conditionibus quibuſuis, ſæculari vel regulari priuatâ, vel ad Officia dignitateſque ampliſſimas promotâ, Chriſtianam perfectionem acquiri poſſe.

Addo, cùm ſæculares, præ multis Religioſis, qui ſuâ merè culpâ, non tantum in perfectione proficiunt, quantum poſſunt per conditionem ſuam; charitate valeant abundare, & inde, vnione cum Deo; perfectior talis eſt in ſæculo, quàm talis religioſus in aſceterio.

In diſcuſſione perfectionis, non tam habenda eſt ratio ſtatuum, quàm actio-

num; nec ità actionum quoad extrinseca, vt earum quoad intrinseca; id est principia sua atque motiua. Si ardentiori charitate, & Deo placendi intentione puriori, ac eius voluntatibus magis subiectâ, fiant: certum est quamuis à laico producantur, merito fore præstantiores actionibus Religiosi, imò & Episcopi, qui maiori cum luce aut pompâ, sed minori cum charitate operabitur, hoc pacto, licèt status Laïci statu Religiosi sit imperfectior, persona illius perfectior erit alterâ.

Vita nostra ait D. [c] Chrysostomus, comœdia quædam est, in quâ non magni fiunt actores ex qualitatibus personarum quas fingunt, sed ex dignitate & genuinâ proprietate actionum suarum, quascumque ludant. Sic ad benè agendum quiuis debet animo consurgere, suum decorans ministerium iuxtà consilium D. [d] Pauli: confidens, studiosè pro viribus agendo, etiam in abiectissimâ professione se constitutum, perfectionem Christianam assequi posse.

Non ignoro potentiam & actum emanantem ab illâ, arborem & fructum offerentes, ampliùs tribuere, quàm qui ac-

tionem & fructum duntaxàt offerunt, & potentiæ ſuæ poſſeſſionem, ac proprietatem arboris ſibi retinent; & idcircò Religioſos, qui obedientiæ voto voluntatem ſuam obligant, in maioris meriti ſtatu, quàm qui liberi viuunt in ſæculo reperiri. Scio præterea, cùm actio eò magis ſit meritoria, quo virtus, eius cauſa ac principium, perfectior eſt; haud dubium actiones bonas ab obedientiæ voto productas, quo quis abnegatâ propriâ voluntate diuinam induit, ab excellentiori virtute procedere, quàm quæ ſine voto proficiſcuntur; & ideò in ſe ipſis eſſe coràm Deo meritorias magis. Quod patet in iuſtitiâ, quæ cum actionibus à perfectiori principio elicitis exercetur, perfectior eſt. Atqui Deo obligatione voti conſecrata voluntas, perfectius principium eſt, eâdem, abſque voti vinculo conſideratâ.

Noui inſuper, habitus eſſe proprium, non ſolum ad agendum facilitatem, ſed ad benè agendum certitudinem conferre; nemo neſcit ſcribendi atque cantandi habitus, has functiones facilius obire ac perfectius, concedere, in clauſtris pariter facilè comparantur & conſeruantur ha-

bitus, qui difficilè in sæculo.

Noui consequentiâ infallibili, Religiosi statum, secularis statu multò perfectiorem esse. Prioris actiones, posterioris actionibus excellentiores, dato quod omnes ad earum perfectionem conferentes circumstantiæ, pares in vtrisque reperiantur; æqualis charitas, Deo placendi intentio æqualis. At si sæcularis charitas, sit maior, si eius, Deo placendi, & diuinæ illius obtemperandi voluntati intentio purior, certum est (& iterum dico) eiusdem actionem merito ac perfectione fore vberiorem, actione religiosi, licet illius status, huius sit imperfectior.

Subiungo, non solum inter duos oblationem in re æqualem facientes, cum intensiori charitate offerentem gratiorem esse, sed etiam de duabus oblationibus in re imparibus, qui minorem cum ardore maiori & puriori intentione offert, acceptum esse magis, quàm eum, qui maiorem cum amore minori; verum cum sit, Deum præ manu, cor intueri, motumque interiorem libantis, præ suo libamine. Respexit Deus primo ad Abel, dein ad munera eius.

Ex omnibus dictis ſuprà, ſequitur, non ſolum ſtatum, valorem ac meritum actionibus tribuere, ſed cordis affectum. Itavt ſi in ſæculari, quàm in Religioſo, hic affectus magis abundet, ille perfectione ſuperaturus ſit ſtatu ſe perfectiorem. Perfectio & meritum in hac vita idem ſunt, ſed cœli vel terræ reſpectu, multum diſtant. Amor Beatorum noſtro præſtat, & tamen caret merito, quia libertate.

Imò contingere poteſt, vt Religioſus amore, quo animari debet, priuatus, ſit in ſuo ſtatu perfectionis ſine perfectione; contrà verò ſecularis, qui charitate feruidus opera tùm præcepti tùm conſilij implebit, perfectionem habeat in ſtatu qui perfectionis non eſt.

Quantumcumque Religioſus ſæculum fugiendo ſe ab eius inuolucris expediat, profecit nihil, ſi à ſeipſo id eſt, à propriis paſſionib⁹, educere negligat ac niſi ſpiritu Dei impleri curet, quẽ per ſolam charitatem poteſt poſſidere: & in quâcumque oppreſſione ſit ſæcularis in hoc mundo, ſi exutus ſeipſo, & ſpiritu charitatis repletus, iactantem ſe tentationum rerumve tumultum, propter Deum patiatur; ſi, quicquid agit, vt illi placeat, operetur;

idque alacriter & festiuè, excedet minùs fidelem in suis exercitiis Religiosum. Ac fortè continget eum contemptu diuitiarum, illas possidendo, præditum esse; charitate proximi, in occasionibus inuidiæ; humilitate, in sublimioribus dignitatibus & Officiis; contrà verò Religiosus irreligiosus in claustro inclusus, aliquando contabescet, quòd in paupertate, quam vouit, diuitias nequeat possidere, commodis sæcularium inuidebit, & ex humilitatis exercitiis, ad quæ suâ professione tenetur, subtilis ac periculosæ vanitatis materiam compinget.

Vltrà progrediens dico, perfectionem Christianam non solùm in omnibus conditionibus reperiri, sed etiam in illis posse facilè comparari.

[a] 2. 2. q. 148. art. 4. 5. 6. in corp. vbi art. 5. ait.

Ad statum perfectionis requiritur obligatio perpetua ad ea quæ sunt perfectionis cum aliqua solemnitate. Vtrumque autem competit & religiosis & Episcopis, &c.

[b] Ad Colosſ. 3. v. 14.

[c] Tom. 5. oper. latin. lib. 2. ad Theodorum lapsum. pag. 440. operum verò græco lat. Tom. de Sacerd. lib. 2. dicto

ad Theod. pag. 670. vbi ſic ait.

Σκηνῆς γὰρ οὐδὲν ὁ παρὼν διαφέρει βίος. ἀλλὰ καθάπερ ἐν τῷ βασιλέως μὲν οὗτος, στρατηγεῖ δὲ ἐκεῖνος, ἕτερος δὲ στρατιώτου τάξιν πληροῖ. τῆς δὲ ἐπιούσης καταλαβούσης, οὔτε βασιλεὺς ὁ βασιλεύς, οὔτε ἄρχων ὁ ἄρχων, οὔτε ὁ στρατηγὸς στρατηγός. οὕτω καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, οὔτε ἀπὸ τοῦ προσώπου ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἔργων ἕκαστος λήψεται τὴν ἀξίαν ἀμοιβήν. d. 2. Cor. 6. v. 3. ad Coloſſ. 4. v. 17. 2. ad Timoth. 4. v. 5. & alibi.

Id eſt: *Non eſt enim theatralibus ſcenis præſens vita diſſimilis. Nam vt illic ille Imperatoris, hic ducis, alter & militis implet officium: vbi autem nox conſecuta fuerit, nec Imperator agnoſcitur Imperator, nec Iudex qui fuerit Iudex videtur, neque Dux poſteà qui prius Dux: ita vtriuſque noſtrum in illius ſæculi die, non perſonis, ſed rebus atque actibus competentem accipiet mercedem.*

e Geneſ. 4. v. 4.

CAPVT XLII.

De facilitate, quâ, ſub legibus Filij Dei viuentes, perfectionem Chriſtianam poſſunt adipiſci.

QVo magis finis quidam eſt neceſſarius, eò ampliùs, Dei prouiden-

tia, media ad illum perueniendi, facilia & communia reddere, delectata eſt. Baptiſmate exiſtente neceſſario cunctis hominibus, nihil communius eius materiâ, nihil facilius eiuſdem formâ, & omnes, in neceſſitate, miniſtri illius eſſe poſſunt, quod rectè probat, facilitatem medij, legitimum eſſe argumentum neceſſitatis finis, ad quem illud medium inſtitutum eſt.

Chriſtianiſmus ità pro imperitis ac pro peritis & intelligentibus, à Deo erectus eſt, & cùm illorum, horum numerum excedat, affirmari poteſt, ſtupidiores, præ ſapientibus, ampliores illius partes tenere. Diuinæ igitur bonitatis fuit, media dare facilia, quibus tum litteraturæ mediocris homines, tum idiotæ Chriſtianiſmi perfectionem aſſequi poſſent ſic facilè, quemadmodum capaciorum intelligentiæ ſubtilitas, illis, quæ aliorum captum ſuperent, ſubminiſtrare valet.

Media illa omnia ad Amorem reducuntur: Nemo non capax eſt Deum amandi, cùm omnes ſint, cognoſcendi lumine naturali, eum eſſe ſuæ exiſtentiæ Creatorem, ac fidei luce, ſuæ ſalutis Authorem.

Digitized by Google

Non eſt paſſio, quæ tam facilè in corde hominis inardeſcat, nec quæ ibidem viuiſcat citius Amore. In inſtanti captus obiecti pulchritudine, & raptus eius bonitate reperitur: quis igitur ille, qui Deum amore minimè proſequetur, cuius pulchritudo tanta ac bonitas adeo mira, vt excellentiores creaturæ, perfectionum, quibus conſtat in ſtatu eminentiſſimo, & totius orbis oculos irradiat, vmbræ duntaxàt exiſtant? Inuiſibilia Dei, inquit D. [a] Paulus, per ea quæ facta ſunt ab eo viſibilia & intelligibilia, conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & Diuinitas. Mundus, ait D. [b] Auguſtinus, ſpecioſus eſt, quàm ſpecioſus eſſe debet, qui illum fecit? Qui tantum rerum venuſtarum, bonarum, magnarum numerum procreauit, inquit alibi, omnibus ſimul pulchrior, melior, ac maior eſt, & idcircò amabilior.

Veritas hæc dilucidè probatur duabus rationibus. Prior eſt, quòd effectuum ſuorum perfectiones, cauſa contineat eminenter, quo fit, vt cum Deus rerum omnium cauſa ſit vniuerſalis, omnes creaturarum perfectiones in ipſo eminenter vnitæ reperiantur, quæ in ſeipſis

ſunt multiplices & diuiſæ.

Poſterior eſt, quòd quemadmodùm aquæ in fontibus ſuis lympidæ ac puræ, in riuulis alterantur; ità in Deo tanquam in fonte perfectionibus omnibus exiſtentibus, ibi permixtæ ſint; cùm in creaturis contrà non niſi imperfectionibus, naturæ illarum adhærentibus, mixtæ inueniantur.

Ab exercendis omnibus virtutibus vt eximamur, aliqua prætendi poteſt ratio excuſationis; ſed vt ab amore, nulla. Dicere quis poteſt; ieiunare non valeo: ſed quis dicet, amare? In ſolâ dilectione, æqualitatem quandam cum Deo homo poteſt prætendere. Si attendamus eiuſmodi cauſam primam ſua nos prouidentiâ regere; ſtatim videmus neminem, ſapientem ſe ſatis, vt mundum viciſſim regat, præſumere poſſe: ſi ipſa iraſcatur, iræ vice ſimilis, patientiâ ac precibus noſtris furorem eius placare tenemur. At ſi nos diligat, non ſolùm poſſumus eam diligere, ſed debemus; & amor, quo ergâ nos fertur illam redamandi nobis ius, obligationem, poteſtatem facilitatemque confert.

Cæterùm quicumque Deum perfectè

amat, omni virtutum genere præditus eſt; fide, ſpe, & charitate ſimul, cùm amor perfectus fidem in amatum ſupponat; credere Deum omnipotentem ac optimum impoſſibile ſit, & in eum fiduciam & ſpem non reponere; amare verò Deum ſine charitate nemo poſſit, cùm amor iſte ſit ipſa charitas.

Qui eum amore proſequitur, non tantùm ijs quæ ille amat, ſe ſubdit, ſed etiam propter eum quibuſlibet; & ſic profundam acquirit humilitatem.

Amor miſericordem ac clementem reddit; cùm ſit certum, Deum amari non poſſe, quin virtus, quâ propter nos ad ſepulchrum vſque perlatus eſt, ſimul diligatur.

Puritas maximæ venerationi eſt perfectè Deum amanti; cum, eum puritatem ipſam eſſe, nequeat ignorare.

Denique qui Deum diligit, omnes diligit virtutes, cum in eo exiſtant; & parum diſtet amare illas & illas habere.

Prudentia & charitas cæteris virtutibus comparatæ ſunt quod intellectus & voluntas reliquis facultatibus.

Intellectus, voluntatis eſt oculus, quo regitur; ſed voluntas lumine iſto alieno

illuſtrata, tanquam potentia vniuerſalis imperat omnibus potentiis particularibus animæ, tam internis quam externis, ſenſitiuis, & rationalibus, actiones, quibus eas exercere geſtit. Imò in intellectum etiam imperium ſuum extendit, quem variis applicat obiectis, & ab illis euocat, vt, & quando, libet.

Similiter Prudentia Charitatis dux eſt, eique quid amare, & quoto gradu debeat, oſtendit: Sæpè enim amoris paſſio hominem vltrà rationis limites transferret, niſi illam Prudentia temperaret, quæ docet ad quem gradum vſque, diligendæ ſint creaturæ, ſecundum perfectionum ſuarum gradus, & cum reſpectu ad Dei perfectiones, ac dependentiâ ab illis.

At eiuſmodi charitas tanquam virtus vniuerſalis, reliquas virtutes, actionibus, quas ab illis expetit, applicat; & quemadmodum voluntas inuenitur mixta in omnibus actibus, humanis, qui tales non ſunt, niſi quatenus voluntarij, id eſt, vel eliciti à voluntate per ſeipſam agente, vel ab alijs facultatibus producti ad eius impulſus & imperia; ſic omnibus virtutum particularium actibus charitas participat,

cipat, qui ſolo ergà Deum amore à Chriſtianis exercentur.

Exempli cauſâ exinanio memet coràm Deo; quia eum diligo:& quòd diligendo, deiectione meâ velim Maieſtatem eius adorare.

Patior contumelias ſine murmure; idque propter Deum, qui meâ patientiâ, cuius exemplum dedit, lætatur. Vinco fortiter difficultates omnes in obſequio ac cultu illius occurrentes : quia amore quo eum proſequor, fit vt eius cultus ſolus, mihi deliciæ ſint.

Demùm virtutes omnes pendent ex charitate, & ab eâ tanquam à ſuo fonte deriuantur, atque ità conſtat, ad perfectionem comparandam, amoris viam nõ ſolùm communiorem ac faciliorem eſſe, (quòd nil minùs arduum, quam amare, & illud omnes poſſint) ſed etiam perfectiorem, quia cæterarum omnium perfectionem complectitur.

Non fruſtrà charitate, quæ cum Deo hominem ligat, nil excellentius eſſe, ait Apoſtolus. Poſt enumerationem effectuum, quos producunt virtutes omnes, factam, eos charitati non tribueret, niſi hoc pacto illam virtutum virtutem

vellet ostendere, cumque illarum sit fons & scaturigo, eandem has omnes continere. Itaque charitas, ad perfectionem pertingendi, vnicum medium est, inquantum cætera ab illo separata ad hoc inutilia sunt.

Alibi idem Apostolus, [d] sine charitate nil prodesse [e] affirmat. Si linguis, inquit, Angelorum loquar: si habuero Prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & si habuero omnem fidem, itaut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum, & si tradidero corpus meum ita-vt ardeam, si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, charitas autem non sit motiuum eiusmodi actionum, nihil mihi prodest, nec possum hinc emolumentum vllum excipere. Illa sola est, cuius possessio aut reperit, aut reddit hominem innocentem.

Impius ait D. [f] Augustinus, Baptismum habere potest, Prophetiam & Sacramenta, sed nemo charitatem habere, & impius existere.

Virtus ista, non tantùm hominum via ad Deum est, sed etiam Dei ad homines. Ipsa est, quæ illum de cœlo descendere,

Digitized by Google

& ad nos vſque venire facit, atque eadem eſt, quæ nos in cœlum aſcendere & vſque ad Deum auolare.

Nemo ad Deum proficiſcitur, niſi vitium fugiendo & virtutem ſectando: ſola verò charitas eiuſmodi effectus habet, tribuendo, iuxtà Eccleſiaſtem, ſpiritum legis hominibus; & ex conſequenti vim fugiendi vitium lege prohibitum, ac virtutem ſectandi, quam illa præcipit.

Charitas cæterarum virtutum lapis lydius eſt, quo à vitiis, illis & ſimilibus iſtæ diſtinguntur. Videtur quis munificus, quia multa effundit, qui reuerà talis non inuenietur, ſi regulis probetur charitatis, dominâ illâ virtute, reliquas annectente ſibi, & coniungente. Ferre non poteſt, verbi gratiâ, liberalitatem opponi iuſtitiæ, & idcircò apertè oſtendit, tribuentem, ſi de bonis alienis, non de ſuis, largiatur, potiori iure latronem, quàm liberalem cenſeri debere. Docet pauperem, licèt nihil dederit, animo tamen donare, ſi pari ſecum egeſtate laborantis miſereatur. Bona verò aliena diſtribuentém, charitatis vice, iniuſtitiam enormem perpetrare; atque ità falſam à verâ virtute diſtinguit.

Eam ob rem S. [h] Paulus, eam finem ac legis plenitudinem nuncupat: Similiter D. [i] Auguſtinus iſtius legis præcepta omnia, ad illud, quod de dilectione eſt, redigit; aſſeritque eum, tùm quod patet, tùm quod latet in ſacris ſcripturis, poſſidere, cuius in moribus illa virtus effulget.

Poſtremò eodem nixus fundamento S. Paulus [l] dicit eiuſmodi virtutem eſſe vinculum perfectionis; quatenùs nodus eſt omnes complectens virtutes, quibus Chriſtianus perfectus, & ſuis numeris efficitur abſolutus.

Euêre Philoſophi, qui virtutes omnes inter ſe connexas docuerunt; ſed an huius rei rationem intellexerint, mihi planè non liquet; quamuis illa æquè ſit euidens ac demonſtrationes Mathematicæ, & ab vno ex præcipuis huius diſciplinæ fundamentis dependeat; videlicet, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, vnde manifeſtè ſequitur, omnes virtutes, vnicã eſſe, cũ ſingulæ charitati vniantur. Etſic, ad omnium virtutum perfectionem conſequendã, Deũ amare, ſatis eſt. Præceptum iſtud breue exiſtit, concludit D. [m] Auguſtinus dilige, & age quod lubet.

Charitas Dei ergà nos adeo mouet efficaciter ad reciprocam, vt aliud motiuum quærere non ſit opus. Deum debemus diligere, inquit S. [n] Ioannes, quoniam ipſe prior dilexit nos. Sanè durities eſt nimia, non ſatis magnanimis ad amandum non amantes, minimè diligere diligentem.

Si Deus nos amet, nonnè eum amore proſequemur, vt redamemus? doctique illum ſuâ noſtram compenſare dilectionem, numquid eum diligemus, vt magis nos diligat.

Omnis iuris ſeuerius, amoris eſt, qui ſeipſo tantùm poteſt ſatiſfieri. Iuſtitia, rei acceptæ pretium ſolui iubet; ergò quæ aliud quam illudmet reale & naturale quod conceſſum eſt, recipere nequit, rigidior eſt Auro & argento ſoluuntur omnia, ſed in ijs quæ amoris ſunt, in tantum duntaxàt æſtimantur, in quantum ſunt amoris argumenta, qui ſolus ſui-ipſius pretium poteſt exiſtere.

Vt ad Deum diligendum plus teneamur, quàm ad cætera omnia; ſic ad id præſtandum, auxilijs ac medijs pluribus abundamus; cùm vice inclinationis noſtræ puræ, quâ creaturas diligere ſole-

mus, ſtudio eius gratiæ, quæ naturæ motus infinitè ſuperat, Deum diligamus.

Dicet forſan aliquis, me in amore perfectionem perperàm conſtituere; cùm verum ſit pleroſque Deum amare: ſed ità vt propter ſeipſos tantùm illum amantes, à perfectione longè admodùm diſtent.

Ad hoc reſpondeo amorem, quem conſtituo medium ad perfectionem, eſſe perfectiſſimum qui haberi poteſt. Ille eſt, de quo textus ſacer loquitur, cùm ait, diliges Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota animâ tua, & ex totâ mente tuâ, & proximum tuum ſicut teipſum.

Rurſus poſtulabitur, quid ſit amare Deum ex toto corde, ex tota animâ, & ex tota mente ſua, magnumque ad hoc objicietur incommodum.

Ego verò nihil impletu facilius aſſero, cùm nil aliud requiratur, quàm diligere Deum ſuper omnia, nihilque creatum diligere, niſi propter Deum.

Itaque quicunque perfecta charitate prædituſ eſt, Chriſtiani gaudet perfectione; ac ſicut hominibus ſingulis Deum ex toto corde & ex totis viribus ſuis, au-

xilio gratiæ eius, diligere, haud difficile eſt, ſic facile, in quolibet ſtatu perfectionem habere.

[a] Ad Rom. 1. v. 20.

[b] Vnde tom. 5. de Ciuit. Dei lib. 11. cap. 4. pag. 116. litt. C. ait,

Exceptis Propheticis vocibus, mundus ipſe ordinatiſſima ſua mutabilitate & mobilitate, & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie quodammodo tacitus, & factum ſe eſſe, & non niſi à Deo ineffabiliter atque inuiſibiliter magno, & ineffabiliter atque inuiſibiliter pulchro fieri ſe potuiſſe proclamat.

[c] Vide quæ ad cap. 42. pag. 404. edit. 2. lin. 2. diximus in prologo.

[d] 1. Cor. 12. v. 31. item ad Gal. 5. v. 22. & 23. [e] 1. Cor. 13. v. 1. & ſequentibus.

[g] Vide quæ ad eiuſd. cap. pag. 406. lin. 18 diximus in prologo.

[h] Ad Rom. 13. v. 10.

[i] Tom 9. tractat. 87. in Ioan. cum ait. pag. 163. litt. G. & H.

In his duobus præceptis charitatis tota lex pendet & Prophetæ. Hic eſt fructus noſter. De fructu itaque nobis mandans, hæc mando, inquit vobis, vt diligatis inuicem, &c. quis autem bene gaudet qui bonum non diligit vnde gaudet? quis pacem veram niſi cum illo

poteſt habere, quem veraciter diligit? Quis eſt longanimis, &c.

[l] Ad Coloſſ. 3. v. 14.

[m] Tom. 9. tract. 7. in Epiſt. B. Ioannis, pag. 226. litt. G. ſub his terminis.

Semel ergo breue præceptum tibi præcipitur: dilige, & quod vis, fac Siue taceas, dilectione taceas: ſiue clames, dilectione clames: ſiue emendes, dilectione emendes: ſiue parcas, dilectione parcas. Radix ſit intus dilectionis, non poteſt de iſta radice niſi bonum exiſtere, &c.

[n] 1. Ioan. 4. v. 19.

CAPVT XLIII.

Quod vitæ genus in hoc mundo perfectius ſit, & vt tale reliquis præferendum.

VITA humana communiter in duas ſpecies, contemplatiuam ſcilicèt & actiuam, diuiditur.

Hanc diuiſionem colligit [a] Ariſtoteles ex varijs functionibus intellectus, qui purè interdum contemplatiuus eſt, interdum actiuus.

Priori modo, ſolius notitiæ gratiâ cir-

cà res contemplandas versatur; posteriori verò, operandi causâ duntaxat, earum sectatur agnitionem. In contemplatione finis intellectus est quies; in actione, labor ei finis & obiectum est. Vita cuiuslibet, operatione propria, ad quam suapte natura fertur, dignoscitur.

Hac ratione plantas vita vegetatiua viuere dicimus, quòd eas nutriri, crescere, & multiplicari videamus. Item affirmamus vitâ sensitiuâ bruta animantia viuere: quia præter augmentum, sensum habent & motum. Denique vitam hominum asserimus rationalem; quoniam vltrà duas eiusmodi qualitates præcedentes, viuentibus communes, per discursum agnoscunt & operantur.

Et propterea, quod inter homines, quidam sunt, qui contemplatione specialiter delectantur, ac quidam qui motu proprio feruntur ad operationem, id est, ad illud omne, quod tuendæ societati illorum exteriùs conferre potest, vita humana in [b] contemplatiuam & actiuam diuiditur.

Idem Philosophus [c] lib. 1. Ethic. Tertiam addit vitam duabus eiusmodi prioribus, quam appellat voluptuosam; sed

hac vltima magis conueniente beſtijs quàm hominibus, qui ſolâ ratione principij illis cum brutis communis, iſtius participes eſſe poſſunt, inter humanas cenſeri non meretur.

S.[d] Auguſtinus alteram prætereà vitæ ſpeciem conſtituit, quam mixtam vocat, quòd ex contemplatiua & actiua componatur. Verùm, cùm hæc non conſtet niſi ex ijs, quæ ab illa vtraque mutuatur, noua ſpecies minimè debet reputari: ſed prout magis de contemplatione quàm de actione, vel de actione quàm de contemplatione habet, eius vitæ nomen ſortitur ſpeciemque ſeruat, cuius naturam magisſapit & propriis affectionibus abundat.

D.[e] Bernardus has duas vitas, ſub duabus Laban filiabus, vxoribus Iacob, Liâ & Rachele repræſentat, hac pulchriori, illâ fœcundiori: Rachele minori, Lia maiori. Quia, vt ait S.[f] Iſidorus, circà actiuam verſari prius oportet quàm ad vitam contemplatiuam prætendatur.

D.[g] Auguſtinus vitas eaſdem ambas cum duabus ſororibus Marthâ & Mariâ comparat, prima occupata circà opus miniſtrandi, & quomodo corporaliter paſ-

ceret Dominum & eius Apoſtolos; ſecundâ, pedibus eiuſdem Domini Filij Dei inhærente, intentâ ſermonibus & inſpirationibus eius, & animæ cibum ab eo recipiente. Ambæ laudabiles, addit, ſed vltima melior.

[b] Ariſtoteles ſolo lumine naturali, vitam contemplatiuam, & ex ſe, actiuâ præſtantiorem eſſe cognouit: quod varis rationibus probat, quarum præcipuas breuiter attingere animus eſt.

Prima, quia contemplatio homini congruit, non tantùm ſecundum facultatum ſuarum nobiliorem, nempè intellectum; ſed etiam habito reſpectu ad proprium eius ſubiectum, quod eſt veritas; & quod notandum, veritas diuina & increata; quę nunc inter nos contemplationis Chriſtianæ obiectum eſt. Cuius vice, circà exteriora duntaxàt actio occupatur.

Secunda, quod in contemplatione homo tantùm ſibi ipſi ſit neceſſarius; cùm ſolis intellectus ſui luminibus ad obiectum concipiendum indigeat, contrà verò in actione, multis opus habeat auxiliis exterioribus, ſine quibus operari non poteſt. Atque illud eſt, quod ſermone ad B. Martham, vitæ actiuæ figuram,

declarat Dei Filius, cùm ait, Turbaris ergà plurima.

Tertia in eo consistit, quòd propriè loquendo vita contemplatiua pro obiecto res diuinas habeat, actiua autem, humanas, quæ diuinis infinite subsunt. Quamobrem S. Augustinus prosequens sororum duarum differentias, inquit, In principio erat verbum. Ecce quod Maria audiebat. Verbum caro factum est. Ecce cui seruiebat Martha.

Idem *m* Sanctus nouam rationem tangit, quam mutuatur à Filio Dei, in excellenti dialogo suo cum istis sororibus, Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea, quia Deus obiectum contemplationis, & intellectus facultas eum perspiciens & contemplans, numquam auferentur. Cùm contrà proximo subueniendi necessitas cesset per vitæ terminum. Quo fit, vt actiua non sit ampliùs habitura locum, cùm perfecta consummataque contemplatiua reperietur in gloria, vbi Deus sanctis suis vultum clarissimè suum ostendet. Sic, vita contemplatiua limitibus aliis, quàm æternitatis, non potest circumscribi; cùm actiua vltrà sæculi huius terminos progressura non sit.

His rationibus liquidò conſtat vitam contemplatiuam ſuapte natura eſſe actiua nobiliorem; quibus D.ⁿ Thomas addit, eſſe quoque magis meritoriam.

Quanquam hæ duæ qualitates primâ fronte vna eademque videntur, vel ſaltem à ſe inuicem inſeparabiles, maxima tamen inter eas inuenitur differentia.

Amor Beatorum in cælis noſtro plurimùm perfectior, ſed non æquè meritorius eſt, imò nullatenùs, quia libertate, meriti principio, caret.

At verum, meritum abundare, vbi cùm libertate abundat amoris perfectio, & idcircò vita contemplatiua in hoc mundo magis meritoria eſt, quàm actiua, quatenùs Charitas qua Deum propter ſe diligimus, perfectior eſt illa, qua illum in proximo duntaxat inuenimus, quem eius gratia amamus.

Licèt eiuſmodi rationibus, contemplatio dignitatis ac meriti brauium conſequatur, nihilominùs circumſtantiis quibuſdam poſitis, vita actiua merito præſtantior contemplatiua reddi poteſt: quod fit quando charitas, qua quis ad proximi commodis laborandum fertur, eam excedit, qua vacat contemplationi;

nes Christianos ad actionem vocare, paucos verò ad contemplationem.

Cæterùm reperiri poterit adeò vehementer vocatus & strictè ad actionem ligatus, vt Contemplatio in eo culpabilis foret, si ad eam exercendam, actionem ad quam tenetur omitteret; quales sunt Parœchi, Episcopi, & Optimates. In personis eiusmodi, actio Contemplatione perfectior est & magis meritoria, quæ aliàs in Eremitis & Religiosis, quos Deus à sæculi huius negotiis abstraxit, vt cordibus inter se colloquerentur in solitudine, præstantior erit perfectione ac merito.

Quos Dominus noster elegit vt in vineâ suâ laborent, iis aliud mandatum non est, quàm vt huic operi gnauiter incumbant, cuius gratiâ tantùm, illis præmium pollicetur. Et cùm Apostolos mittit, contemplationem eis non commendat; sed, ad salutem proximi promouendam laborare: quòd hæc, esset finis vocationis suæ, & sudoribus suis Euangelium plantare, atque animas ad Iesum-Christum pellicere deberent.

D.° Paulus, non infimâ, nec mediocri voce protestatur, quòd cùm à Deo

factus sit Doctor gentium & Apostolus, cum honore implebit ministerium suum; id est, vt conuertantur, cunctas vires impendet; & de suis contemplationibus & magnitudine reuelationum, fermè semel duntaxàt, eum loqui contingit. Atque his illicò subiunctis, quòd, vt eiusmodi gratia illi non obesset, duram Sathanæ tentationem tolerãdam Deus ei reliquit. At ex Epistolis ipsius pauciſſimæ sunt, in quibus labores suos ac curas, pro Iesu-Christi Domini sui gloriâ promouendâ in procurandâ animarum salute, susceptas, non commendet.

Denique Charitas proximi, nec non sollicitudo salutis eius perficiendæ adeò vrget Apostolum hunc magnum; vt optet Anathema, *p* id est, separatum esse à Christo, modò sic salus illius compleatur. Sanè Contemplatiuæ Actiuam vitam præferre est velle à Christo pro salute proximi esse separatum.

Idem *q* Apostolus (quod maximè notandum) nihil æquè commendat cuilibet, quàm vt quæ vocationis suæ sunt, perficiat. Vnde manifestè sequitur, eos, qui ad vitam actiuam vocati, suo instinctu ac consilio proprio eam deserunt, vt

Digitized by Google

Contemplationi ſe dedant; non tantùm ad perfectionem, non progredi, ſed ab eâ regredi; cùm omnium Chriſtianorum debito generali aduerſentur, quod in eo eſt, vt in quâ quiſque conditione vitæ, à Deo conſtitutus fuerit, in eâ operetur ac ſe exerceat.

Chriſtiana perfectio, vt operis huius cap. 6. demonſtrauimus, in complendâ Dei voluntate conſiſtit. Deus autem vult quemlibet, ea quæ vocationis eius ſunt, implere: qui ergò à ſuâ conditione recedit, & eius functiones, aliarum in aliâ conditione perfectiorum exercendarum prætextu deſerit; non perfectionis augendæ, ſed deſtruendæ viam ſectatur.

Tantum abeſt, inquit D.r Bernardus, vt qui ad actionem vocatus eſt, eam Contemplationis gratiâ relinquere debeat, quin potiùs Contemplatio omitti poſſit ab eo, qui ex vi ſtatus ei incumbere tenetur, cùm per actionem ſalus animarum procuranda venit.

Fundamentum huius inſignis ſancti dubio-procul in eo conſiſtit, quòd, vt ſuprà docuimus, charitas maior maiorem perfectionem actionibus noſtris conferat, ſitque charitas maior, ſuauitate Cō-

templationis priuare ſe, ad procurandam ſalutem animarum, quas eò vſque dilexit Chriſtus-Ieſus, vt proprio ſanguine eas redimeret, quàm ſalutem earum negligere, vt Contemplationis dulcedine fruamur.

Pleræque animæ harum veritatum inſciæ errant, quandò, cùm perfectionem ſuo ſtatui debitam oporteret eas comparare, virtutis alienæ illis ineptæ idæas imaginantur; at nil minùs agentes, quàm quod magis tenentur, ad aliud curas non adhibent, quàm ad ea perficienda, quæ nullâ lege obligantur.

Tales ſunt Epiſcopi, qui vice vigiliarum quas cuſtodire debent ſuper gregem ſuum, atque etiam vice alimenti doctrinæ & exempli, quod illi miniſtrare; toti fermè incumbunt animarum ſibi à Deo minimè commiſſarum, & quibus, ſub alterius moderamine, Ieſum-Chriſtum ſequi opus eſt, inſtitutioni.

Plurimi etiam in eâ ſunt ſententiâ, vt credant impoſſibile, ſe Deo perfectè mācipare, niſi à ſæculo eiuſque negotiis penitùs abſolutos: At zelo, quo ex vi ſtatus mei teneor publicæ vtilitati Eccleſiæ, Monarchiæ, gloriæ Dei atque ſaluti ani-

Digitized by Google

marum consulere, contrà asserere compellor, nusquam meliùs operam collocari posse, quàm vbi messis amplior, cùm ad eam à Diuino Patre-familias vocamur. Quidam autumant, se ex tranquillitatis absolutæ statu, Deo cogitationes suas omnes consecrandi medium maius aptiusque habere; ego verò dicere non vereor, communiter, quò minùs fruimur otio (quod in otiositatem degenerare solet) eò meliùs actiones nostras Deo offerri posse, & actionibus, cogitationes, si vtræque charitate informatæ, præter voluntatum illius obseruantiam, aliud non intendant.

Scio quidem orationis faciendæ peritum, rectè viuendi disciplinâ verâ pollere, nec non orationem otium postulare: Sed & noui etiam semper rectè operantem, iugiter obsecrare.

Vita Iesu Christi continuum charitatis exercitium atque imitandarum actionum perpetua connexio fuit. Etiam Angeli perenni motu feruntur ad gloriam Dei, itaque minimè putandum est honestum otium sub specie Contemplationi vacandi, Deum colendi medium semper præstantius existere.

Si ſolitariorum eremus floribus ſparſa ſit, non tamen ſpinæ deſunt, eò ferientes magis, quò minùs expectabantur : Ac licèt habitantium in ſæculo pauimentum verum, ſpinæ ſint, nihilominùs ibi ſæpè flores, nempè vanitatum contemptus, faſtidium vitæ, mortis expectationem intrepidam, atque voluntati Diuinæ reſignationem legunt, quæ tanto illis gratiora ſunt, quantò minùs ea ſibi promittebant.

S. ſ Mater Thereſia Spiritu Dei animata ad hoc aptè admodum ait; quòd quãuis in conuerſatione mundanorum caſibus quibuſdam animæ magis obnoxiæ ſint; ac omnem Confuſionem lapſumque vix poſſint euitare; meritum multò maius, quàm in ſeruandâ apud ſolitudinem tranquillitate animi, ibi reperire eſt. Hiſtoriam D. Petri in exemplum affert, quam producit, vt probet pleroſque in virtute, quâ ſe prædítos eſſe arbitrantur, cùm eam non exploratam habeant, ſæpè decipi; Deumque, vt quos diligit, ij ex culpis proficiant, permittere.

Apoſtolus ille magnus, inquit, fortem ſe eſſe credebat; at, primâ datâ occaſione, animo defecit: ſed lapſus iſte illi pro-

fuit, quatenùs eum docuit in Deo ſolo confidendum eſſe ; in nobis-ipſis, nullâ ratione. Et ſanè, addit, ignauia ab eo commiſſa, dum ſuum dominum negaret, vim profitendi eundem in agone Martyrij illi adiecit.

Ex dictis concludendum, quòd cùm melior probatio dilectionis, ſit exhibitio operis; ſi verum, charitate vberiorem in hoc mundo, perfectione ac merito quoque eſſe ditiorem ; certum eſt vitam operantium ſanctiora perfectiorem eſſe & magis meritoriam, niſi ad alia vocentur, in quibus exercendis nemini cedant in charitate; cùm eâ virtute ſolâ ijs perficiendis inhæreant, vt morem gerant diuinæ voluntati: quo caſu etiam, ab operibus bonis neutiquam alienantur, quandoquidem ad illa omnia, quæ per totum orbem fiunt, ſuis concurrunt ſuſpiriis atque ſuffragiis.

Veritas eiuſmodi eò tutior eſt, quò velut contemplationis regnum maximè in cœlo viget, ſic Actionis, in terra: vnde ſequitur manifeſtè, quòd, quia iſta Actio in cœlo variis charitatis operibus, quibus, in his inferioribus dantaxàt, proximo opus eſt, occupari non poteſt, dum

hîc verſamur, ea perficiendi occaſionem, ſine effectu præterfluere, permittere non debeamus.

Eò ardentiùs, ad ſanctum hoc exercitium, anhelantes ad perfectionem, inuito, quò Contemplatio multò magis illuſioni obnoxia eſt, quàm actio, quatenùs Angelus tenebrarum ſæpè tantis cum dolis alienas formas induit, vt pro veris falſos ſplendores acceptari faciat, cum contrà in vitæ actiuæ miniſteriis decipi nequeamus, nemine de peccato periclitante, benefaciendo proximis, pro viribus ſuæ conditionis, ac Ieſu-Chriſti Domini noſtri Regulis & exemplis.

[a] Lib. 1. eth. cap. 7. paulò poſt medium. & lib. 9. c. 4. & 8. Item lib. 10. c. 7. poſt medium & finem verſùs.

[b] Vide quæ ad cap. 43. pag. 412. lin. penultima diximus in prologo.

[c] Lib. Eth. c. 5. Sed id non ex propria, ex vulgi ſententia, hominumque inſolentiſſimorum, vt ipſemet ait.

[d] Tom 5. de Ciuit. Dei lib. 19. c. 2. pag. 226. vbi ſic incipit.

In tribus quoque illis vitæ generibus vno ſcilicet non ſegniter, ſed in contemplatione vel inquiſitione veritatis otioſo, altero inge-

rendis rebus humanis negotioso, tertio ex vtroque genere temperato, cum quæritur quid horum sit potius eligendum, non finis boni habet controuersiam, sed quid horum trium difficultatem vel facilitatem afferat ad consequendum vel retinendum finem boni.

[e] Lib. de modo benè viuendi ad sororem, serm. 53. impress. Paris. 1572. fol. 307 litt. A vbi,

Exemplum, inquit, actiuæ vitæ & Contemplatiuæ de Iacob accipe, qui dum amaret Rachelem, quæ significat Contemplatiuam vitam, data est ei Lia, quæ significat actiuam vitam &c.

[f] Hispalensis, sentent. lib. 3. c. 15. num. 4. vbi agens de contemplatione & actione, sic ait.

In ista enim prius per exercitium boni operis cuncta exhaurienda sunt vitia, vt in illâ iam purâ mentis acie ad contemplandum Deum quisque pertranseat &c.

Vide tom. 2. fol. 92. litt. F.

[g] Tom. 10. serm. 27. de verbis Domini, vbi ait:

Erat enim Maria intenta dulcedini Verbi Domini. Intenta erat Martha quomodo pasceret Dominum, intenta Maria quomodo pasceretur à Domino [& infrà] *In dua-*

bus fœminis duæ vitæ, ambæ innocentes, ambæ laudabiles, una laboriosa, altera otiosa &c. [& inter vtramque hanc sententiam] *Maria meliorem partem elegit. Non tu malam, sed illa meliorem.*

[h] Lib. 10. Ethic. ad Nicomach. c. 7. vbi.

Omnium enim, inquit actionum nulla est hac præstantior, nulla melior. Nam & mente nihil melius in nobis est, & eorum quæ cognitioni subiecta sunt, nihil præstantius ijs in quibus mens ipsa versatur. [Et infrà.] *At verò sapiens etiam solus potest in rerum cognitione versari, eoque magis, quò erit maiore sapientia ornatus & instructus.* [Et infrà] *eam enim vitam deget non quà homo est, sed qua in eo diuinum quiddam inclusum est: quòd quantò præstat ei quod concretum est, tantò eius actio ei quæ à cæteris virtutibus, proficiscitur, antecellit.*

[i] Lucæ 10. v. 41.

[k] Tom. 10. serm. 27. de verbis Domini, vbi ait;

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ecce quod Maria audiebat. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, Ecce Martha a cui ministrabat.

[m] Vbi suprà. *Hoc enim elegit, inquit, Maria*

ria quod ſemper manebit, ideò non auferetur ab ea [& paulò infrà] *A te autem Martha quod elegiſti (vtique hoc ſequitur, vtique ſub-intelligitur) auferetur, ſed bono tuo auferetur, vt quod melius eſt, detur. &c.*

[n] 2. 2. q. 182. art. 2 in corp. vbi ait.

Ex ſuo genere Contemplatiua vita eſt maioris meriti quàm actiua.

Et in ſuam ſententiam citat. D. Greg. homil. 3. Super Ezechiel. & in argumento, ſed contra, eundem S. lib. 6. Moral. c. 28 vbi non procul à fine ait.

Magna ſunt actiuæ vitæ merita, ſed contemplatiuæ potiora.

[o] Ad Rom. 11. v. 13.

[p] Ad Rom. 9. v. 3.

[q] 1. Cor. 7. v. 20. & alibi.

[r] Hoc videtur habere lib. de modo benè viuendi ad ſororem, ſerm. 53. fol. 307. impreſſ. ſupradictæ litt. B. vbi ſuper illud Cantic.

Surge, propera amica mea, & veni; ait, *hoc eſt, ſurge de quiete contemplationis &c. & egredere ad vtilitatem proximorum: vt illos etiam per officium prædicationis, & per exempla bonorum operum, imitatores tui facias & ad ſalutem animarum ſuarum perducas &c.*

Apud dictum suprà Episcopum Tarraconis in Hispania F. Iacobum d'Yepés in vita huius S. Matris. 2. part. cap. 3. pag. 18. in calce, & 19. ad medium.

CAPVT XLIV.

Consilia spiritualia ad perfectionem Christiani vtilia.

PRIMVM CONSILIVM.

QVILIBET deuotionem suam suæ conditioni aptare debet, non autem condirionem suam quibusdam regulis spiritualibus, quæ cùm eius qui illas obseruare cupit, viuendi generi nullatenùs proportionentur, velut optimi surculi sunt, qui syluestribus plantis, quibuscum naturâ nullo-modo communicant, insiti, vbi fructum ferre deberent, illuc afferunt interitum.

Aliæ sunt virtutes Prælati, Principis aliæ, aliæ priuati hominis. Nisi prælatus munere suo fungatur; nisi gregi suo inuigilet assiduus; nisi eum documentis salutaribus & exemplis optimis pascere sedulò curet; quibusuis operibus bonis indulgere valeat, Deo gratus non erit.

Digitized by Google

Idem de Principe & de Optimate dicendum : niſi populorum ſibi commiſſorum curam agant ; ſi criminum punitionem negligant, eorum maximè quibus Religio atque tranquillitas publica perturbantur , quâcumque pietate ſingulari moueantur , ijs quæ Deus ab illis poſtulat, non facient ſatis.

Vitæ actiuæ addictus quis, exiſtimat ſe non mediocriter operari , ſi otij ſui partem aliquam contemplationi dederit, pij cuiuſdam Religioſi , cuius familiari conſuetudine vtitur , exemplo prouocatus: At errat , cauendum eſt maximè in rebus deuotis , ne ſimijs quæ quodcumque viderint , imitari appetunt , ſimiles ſimus: quiuis captum proprium, nõ commilitonis,debet attendere , & cùm vocationes variæ ſint, gradui, ab inſtinctu gratiæ nobis conceſſæ,diſtincto minimè inhærendum;qui gradus diſcerni poteſt,tum diſcretis reflexionibus , quibus fas eſt cuilibet in ſe regredi , tum abſolutâ ſummiſſione factâ ſapienti cuidam directori, cui cordis arcana aperiri ſolent.

Omnes inuito , vt ſic ſe habeant, mihi enim certò conſtat pleroſque ſalutem ſuam quærentes , quod iſta non obſer-

uent, ſæpè peſſum abire.

Conſilium ſecundum.

Axioma ab omni contradictione abſolutum eſt, in viâ deuotionis neminem proficere poſſe, niſi actionibus ſuo ſtatui congruis, ac proprijs; atque certiſſimi principij huius ignorantiâ, plurima ſequuntur incommoda,

Vxor, quæ inſcio viro ſuo ampliores eleemoſynas quàm abſque conſéſu iſtius fas eſt, dilargitur, nihil proficit; quamuis enim realitas actionis huiuſmodi illi ſit propria, non tamen moralitas; inquantum viri conſenſus ad hoc requiritur, & actio, bona moraliter cenſeri nequit ſine approbatione illius cuius magni intereſt.

Ex eâdem ignorantia contingit aliquem medijs illicitis diuitias comparando, iniuſtum quid committere ſe non arbitrari, modò in opera charitatis, illarum partem aliquam eroget; at dico ſic ſe habenti vice boni operis duo ſcelera ipſum committere. Primum, furti; ſecundum, diſpoſitionis de bono alieno, ſine licentia veri domini.

Et ſi exiſtimet eleemoſynam ſuam ſal

tem ſecundùm quid ſati facere pro reſtituendis ablatis, fallitur; cùm enim cuique, quod ſuum eſt, reſtitui debeat, proprio domino, quæ furto ablata fuêre, reſtituenda ſunt; nec vnquam Eccleſijs aut Communitatibus alijs, quæ à priuatis ſurrepta ſunt, donare licèt, niſi cùm illos dignoſcere, aut eis ſua retribuere impoſſibile eſt.

Tertium Conſilium.

Omnis deuotio, quâ conſiliorum opera præceptis præferuntur, quamuis videatur perfectior, vicioſa eſt; multi nihilominus ex abuſu ſæculi in hoc incommodum cadunt.

Perſuaſum habent, modò plures coronas recitent; viſitent Eccleſias nonnullas, charitatis opera quædam faciant, ſe à deſerendis quibuſdam auerſionibus, quibus laborant, poſſe eſſe immunes. Vxor putat ſe excuſatam coràm Deo, ſi gratiam quam viro debet, non reddat, filius idem credit de ſe, ſi veræ obedientiæ, quam iure naturali tenetur patri præſtare, terminos excedat ſed ſibi blandiuntur & errant; cum certiſſimum ſit præceptorum opera omnibus conſilio-

rum operibus præualere.

Itaque niſi vxor ſuam debitè familiam curet; niſi viro ſuo reuerentiam exhibeat atque obedientiam; niſi quanto tenetur à natura, tanto filios ſuos amore proſequatur, eius ieiunia, preces, & communiones crebræ, non ſolùm inaniailli ſunt, ſed etiam tanquàm crimina coràm Deo reputabuntur.

Quartum Conſilium.

Vera deuotio in paſſionum animi mortificationem tendere debet.

Si quis, vt motus ſenſuum ſuorum inordinatos extinguat, hebdomadâ integrâ ieiunet, negligat verò quæ ſuperbiam ſuam naturalem poſſunt deiicere, non benè ſe gerit. Cùm ſpiritus, cuius voluntas pars quædam eſt, peccet, ille potiſſimum regendus eſt; corporis autem temperantia eò tantùm eſt neceſſaria, quò ſpiritus moderationi ſeruire valet, aut perficiendis vocationis eius officiis, atque ſaluatoris ſui viuendi rationis imitationi. Auſteritates non ſunt tanquam finis ſibi proponendæ, ſed velut media duntaxàt, quibus fructuosè vtimur, cùm id moderatè fit, & ex intentione perueniendi ad finem præſtitutum, nimirùm vt

noſtri dominemur, & ſpiritui diuino ſubiiciamur.

Cùm auſteritates nimiæ ſunt, irritant magis ſanguinem quàm mitigent, pleriquetamen omnia ſe perfeciſſe arbitrantur, quando inedias aut flagella celebrauêre, licèt ad meliorem frugem ſeſe recepiſſe non aduertant.

Quintum Conſilium.

Qui pius ſibi videtur, & omnibus naturæ ſuæ defectibus probatur ſubditus, phantaſiâ tenùs tantùm, non autem coràm Deo ſe ſe pium poteſt credere; atque ad vitæ ſpiritualis perfectionem anhelantes, ſcire tenentur, illam in exuendo ſeipſum, & induendo Ieſum Chriſtum, conſiſtere. Itavt qui naturâ ſua quibuſdam ſolummodo ſuperbiæ naturalis elalationibus ſubiectus, non magis exutus illis inuenitur anno vitæ ſuæ quinquageſimo quàm viceſimo, pro certo habere debeat, ad perfectionem ſe minùs acceſſiſſe eo, cui decem ſimiles defectus reliqui, & decem alios, quibus erat obnoxius, correxit.

Paſſionis inordinatæ victima Deo gratior eſſe poteſt omni alio opere Chriſtia-

ni; & constat neminem in viâ perfectionis censendũ esse proficere, si in se excessum defectumque notabilem patiatur, cuius correctioni non studeat. Eam ob rem maximè cauendum nè defectus quosdam naturales; quibus laboramus, sub aliquarum virtutum, etiam nobis à naturâ insitarum vmbrâ foueamus.

In vtroque facilè sibi adulatur homo; id est peruersarum inclinationum suarum tolerantiæ eò magis indulget, quo seuerè virtutem, in quam propendet, sequi ampliùs delectatur. Interim si in eiusmodi statu permaneret, inter soluendas in conspectu Dei non numeraretur ista virtus, quia merè naturalis foret, non Christiana & ex electione, nec defectus eius obliterarẽtur aut desinerent imputari, quòd non tantùm essent naturales, sed voluntarij ratione incuriæ correctionis in quâ delitescerent.

Super hoc falsum fundamentum sæpe accidit, sub prætextu quarundam humilitatis actionum, hominem in animâ superbiam interiorem enutrire, quâ contemptum concipit eorum, qui tantam ac ille pietatem minimè præ se ferentes, non desinunt esse meliores. Sic agere, falsæ

virtutis character eò certior est, quò vera humilitas proximum exaltat, ne deijciat; atque hæc vera esse nequit, nisi charitate prædita; nec charitate prædita potest esse, quin quod in proximo bonum reperitur, magni pendat, vice contemptus illius ob eiusdem defectus.

Sextum Consilium.

Ad augendam perfectionem Christianam, consilium non leue est, minùs attendere quid boni habeamus, quàm quid mali, magis verò perfectiones proximi, quàm eius defectus. Nihilominùs natu æ nostræ corruptione & amore proprio, aduersario eius quem nobis Christus-Iesus consulit ac præcipit, sæpè feruntur in contrarium, ni caueant, qui videntur sibi Religiosiores; atque hinc scatet malorum infinitas.

Reflexionum in imperfectiones nostras defectu, eas non exuimus; excessu verò attentionis ad dona Dei bona in nobis in superbam φιλαυτίαν labimur à præsumptione non valdè distantem.

Aliàs quòd parum attendamus ad virtutes alienas, impedimur ab earum imitatione; nimio verò respectu ad defe-

ctus & culpas, proximos contemnere ſolemus ; & ex illo contemptu , in detractionem ſeu etiàm calumniam aduerſus eos , interdum deſcendere.

Obſecro pietatis ſtudioſos Amatores , vt eò magis æſtiment obſeruationem hanc, quò , cùm humilitas perfectionis Chriſtianæ fundamentum ſit, atq; Amor proximi quidam perfectionis eiuſmodi gradus, impoſſibile eſt defectus proprios, & proximi virtutes rectè contemplari , ſine contemptu proprio ſeu confuſione ſui, ac æſtimatione & amore proximi, ad legis diuinæ placitum.

Septimum Conſilium.

Proprij defectus corrigendi , rationi conſentaneè, moderatè , & in ſpiritu lenitatis , nè, inquit felicis memoriæ Epiſcopus[a] Geneuenſis, Apparitores Curiales imitemur, qui ad ſilentium vehementiùs inclamantes , tumultum edunt maiorem, quàm ij quos ſilere deſiderant.

Poſſet quis ignarus obſeruationis huius, ex commotione indebitâ in aliquem, tantoperè in ſe commoueri , vt ira poſterior, peius negotium , quàm prior, ei faceſſeret, cùm contrà, ſi cogitatione re-

grediamur in culpas proprias, compaſſionis nobis magis, quàm paſſionis in nos conferentes, dolor de illis concipiendus à nobis ipſis, ſimilis futurus ſit arboribus, quæ radices, agunt profundiores fructuſque abundantiores ferunt in terrâ miti & humidulâ, quàm in ſolo rudi atque arido.

Octauum Conſilium.

Qui velociùs currunt, non ſunt de eorum numero qui certiùs citiùſque metas ſibi propoſitas attingunt, tùm quòd offendere & cadere ſoleant in viâ, tùm quòd priùs quàm ad ſtadij fines perueniant, ſæpius eorum ſpiritus ſint exhauſti. Eâ de cauſâ multò ſatiùs eſt in viâ ſalutis moderatè, ſed abſque intermiſſione, progredi, quàm cùm periculo exanimationis in eadem currere: Et ſanè nihil periculoſius quàm initium deuotionis capiendum conſulere vel etiam concedere, ab ijs, in quæ deſinere debet; gradatim in eâ procedendum eſt; diſcere oportet vitiis reluctari, & ea vincere, virtutes oppoſitas exercendo, antequàm ex paſſionum ſedatione, ac perfectâ ad quodlibet, (excepto voluntatis

Dei beneplacito,) indifferentia, pax interior prætendatur. Vno verbo, modò, qui ad perfectionem cupit pertingere, intrà consilij Diuini super se terminos proficiat, melius est, vt sedulus simpliciter existat, quàm præceps.

Qui lentè fluunt, ingentes fluuij vtiliores sunt; & torrentes, vicinas solent vastare terras, nec commercio apti videntur. Quamuis tantum profectum in se non aduertat spiritualis, quantum illi zelus eius desiderare concedit, iniquus sibi videri non debet: sed satis illi esse, quòd ergà gratias collatas, insignis infidelitatis crimen sibi conscientia non obijciat.

Nonum Consilium.

Quemadmodùm in viâ perfectionis iustò celeriorem esse non oportet, sic etiam cauendum sedulò, ne tardiores, simus atque in tantam cadamus inertiam vt ad bonum, omni penè actione ac motu destituti maneamus, quasi ad viuendum duntaxàt vita homini esset concessa; non progredi enim, regredi est.

Quidam si proximum non lædant, suo se muneri facere satis arbitrantur, & hac ratione fulti benefacere illi negligunt

Eiuſmodi deuotio non ſolum imperfecta, ſed etiam vitioſa eſt, cum perfectio Chriſtiana in Charitatis perfectione cõſiſtat, cuius finis eſt non tantum minimè violare canones ſuos ac decreta, ſed etiam ſecundum naturæ ſuæ propenſionem operari, quâ quiſque, ad benefaciendum, quibus rectè poteſt, impellitur.

Decimum Conſilium.

Exoptimis Maximis vna, quâ in huius ſæculi negotiis vti quilibet poteſt, ea eſt, in omnibus agendis ità accuratè laborare & niti, ac ſi in illis à Deo nequaquam iuuaremur; & ſic re perfectâ, tam abſolutè in Deum fiduciam totam reponere, quàm ſi ille ſolus, negotia noſtra curare, & abſque vllo noſtro commercio, votis reſpondere noſtris deberet.

Vndecimum Conſilium.

Triſtitia deuotionis comes eſt malignus; lætitia verò, fidus teſtis. Hilarem datorem Deus diligit, inquit Apoſtolus, [b] & Dauid, ad exultationem in Domino, iuſtos inuitat.

Nihilominus multi in hoc errore verſantur, vt ſibi minimè viderentur pij

niſi eorum auſteritas ad melancholiam vſque vrgeret : huiuſmodi opinio erronea eſt & aduerſa ſolidæ pietati, quæ hominem Deo conciliando, cor eius pace & gaudio replere debet, cùm verum ſit, hominem nunquàm mœſtum eſſe debere, niſi quandò in lethale peccatum eum lapſum eſſe contigit.

Duodecimum Conſilium.

Tranquillitatem, perpetuum deuotionis comitem eſſe, nequaquam exiſtimandum eſt, nec maiori tentationum æſtu iactatum ſæpius, atque laborantem, Deo præ cæteris minus eſſe gratum. Imò labores eiuſmodi, frequenter certum non vulgaris pretij, in quo ſunt apud Deum qui iſta patiuntur, argumentum eſt, quos agonibus tantis idcircò ſolùm linquit expoſitos, quòd eos cum auxilio gratiæ ſuæ & eiuſdem viribus, hoſtibus ſuis reſiſtendi capaces nôrit.

Tertium-decimum Conſilium.

Inter peccata omnia ſtudioſiùs illa fugienda, ex quibus alia ſequuntur, & oriuntur illigamenta, à quibus expediri difficile eſt.

Digitized by Google

Omnis impuritas periculosissima atque pernicioſissima : ſed concubinatus centies magis, quia malum continuatione obfirmatum eſt, eò derelictione difficilius, quò eius habitus callum durius obduxit.

Talis eſt Beneficij Confidentia, tale furtum & vſura, quæ non modò ad vtilitatem fœnuſque ex his prouenientia derelinquendum obligant, ſed prætereà ad reſtitutionem eorum quæ iam viis eiuſmodi præcepta ſunt. Talis etiam eſt abuſus vulgaris ſatis, cum qui furatus eſt, ſe ſatisfeciſſe credit, ſi partem furti reſtituat, ſiue dominis propriis, ſiue Eccleſiæ vel pauperibus.

Continuatio peccati, Impœnitentiæ finali adeo ſimilis eſt, vt, quantum ſit periculoſa, facilè concipi poſſit, & quidem verum eſt in peccatis reſidendi obductam à nobis conſuetudinem, in malorum eiuſmodi vltimum, ſenſim ſine ſenſu nos deuoluere.

Quartum-decimum Conſilium.

Tritus eſt ſatis in ſæculo abuſus, gerendi ſe, qua ſiſolis commiſſionis peccatis homo damnaretur. Modò prælatus

tus quis caſtus ſit, ac eleemoſynas largiatur, Deum putat ſupereſſe ſibi debitorem; & tamen vnicâ muneris ſui negligentiâ, vnico omiſſionis peccato peribit.

Vxor indubitatæ pudicitiæ, in tantùm ſuum ſibi virum credit deuincire, vt à debitâ illi reuerentiâ ſe reddat immunem, atque indignè illum accipiendi licentiam ſibi factam perſuadeat.

Omnes virtutes ſunt connexæ; & idcircò tantùm abeſt, vt vna ab aliis excipiat, quòd alias potiùs ſupponat adeò abſolutè, vt nullus verè virtute præditus haberi poſſit, niſi complectatur vniuerſas.

Quintum-decimum Conſilium.

Non eſt habendus Perfectior qui in perfectionis theoriâ ſapientior; at certè qui eius operibus incumbit magis, & inhæret.

Non ſcientiarum vanitate, ſed voluntatis rectitudine Deo proximamus. Deus cor hominis expoſcit; & idiota qui illud ei victimat & offert, neſciens aliud, niſi quòd Deo ſuo ſe donat, ei vicinior eſt illo, qui in vitæ ſpiritualis luminibus mentem ampliùs excolens, minùs ei, qui vi-

tæ huius obiectum eſt, ſe communicat & dedit ; licèt, quomodò ipſi ſeſe offerre oporteat, eo meliùs norit, qui tantâ notitiâ non eſt præditus.

Sextum-decimum Conſilium.

In pietatis materiâ ſemitas nouas calcare velle, regium iter à Maioribus noſtris complanatum ac tritum deſerendo, periculoſiſſimum eſt; nihilominùs, id eſt quod nimiùm hac tempeſtate exercetur. Nihil facilius, quàm vocatione particulari cuius nouitas ſenſibus abblanditur noſtris, animumque vento quopiam paſcit, donari ſe, ſibi perſuadere. Hinc pij ſatis plerique ſibi non videntur, niſi noui inſtituti genus quoddam erigant.

Religioſus quis, Sacramentis ſingularem exhiberi à ſe reuerentiam putat ſi accedat ad ea rarò præ indignitate ſuâ cognitâ, quamuis iuxtâ ſui Regulas & obſeruantias Ordinis, aliter ſe habere teneatur.

Alter prætextu eleuationis inſolitæ, in ſtultas illuminatorum hæreticorum opiniones inſenſibiliter effluere ſe permittit. De his qui ſub prætextu indifferentiæ ad quodlibet, ſenſuum libidini adhærent,

ampliùs non loquor. Opiniones eiuſmodi terreſtres ſunt nimis, vt in eas abſque malitiâ quis labi poſſit; ſed de iis loquor, quorum opiniones eo maiori videntur applauſu digniores, quò in animi nitorem ſuo tendentes modo, corporis tamen mortificationem habent in pretio, mediaque apta ad refrænandos ſenſus.

Artificia ſubtiliora in re ſpirituali æquè periculoſa ſunt, ac nouitates in materiâ Religionis. Ab illis cauendum tanquam ab acutis cuſpidibus, æquè ad pungendum aptis, ac ineptis ad fundamentum ſolidum præſtandum ob tenuitates ſuas, quâcumque piâ intentione ducantur qui antiquiores vias deſerunt, vt ſemitas recentiores à ſe compoſitas ſeu inuentas ingrediantur Sanè eiuſmodi, ſeipſos quærere, & à Chriſto Ieſu longè recedere dici poſſunt; Deum in ore, ſolum ſui amorem in corde, habere; Deum in ſcripturis ſanctis, & in Eccleſiæ ſuæ documentis, non reuereri; ſed idolum adinuentionum ſuarum quod cæcâ mente venerantur.

Profectò qui Deum inuenire non putat, niſi in nouis, quæ ſibi proponit, inſtitutis: plenè probat, quòd ſi eum ſectetur, id ſolùm vt illum in ſeipſo, hoc eſt, in

vanitate propria reperiat; cùm si tantùm inuenire prætenderet, indàgaret haud-dubiè, vbi eum habitaculum suum elegisse ignorare nequit, non vbi eum manere sibi incertum est, licèt, suo quidem iudicio, ibidem adesse possit.

Qui ergò in viâ perfectionis progressum cupiunt, Deum, vbi Ecclesia demonstrat, non vbi iudicium proprium assignat aut imaginatur, debent quærere. Vias tritas à Maioribus nostris perambulent, oportet, non semitas inusitatas singulares; nisi in his obsequendum sit quibusdam Ecclesiæ nouis ordinationibus ac decretis, quæ tunc recipere multò tutius est quàm absque magna discretione ea singularia proprio scrutari genio; alias fiant certiores Deum aliquando dicturum eis; nescio vos, mercedem vestram in vobis ipsis exquirite: ego vester esse minimè debeo; cùm non sim quem quæsiuistis: spreuistis vias meas, licèt ex antiquo tritas & apertas, vt semitas deuias sequeremini, quas sola vestra superbia ac sensus proprij finxerunt vobis: cùm certitudine seu ineffabilitate spiritus Ecclesiæ meæ promissi, niti firmarique debueretis vestrũ errorem, à quo

ſæpiùs vt cauere is monui, ſecuti teſtis: duplicis ſceleris, quod olim populo Iſraël quidam meorum Prophetarum exprobrabat eſtis rei, dereliquiſtis me fontem aquæ viuæ; & fodiſtis vobis ciſternas, quæ continere non valent aquas ad extinguendam ſitim veſtram idoneas; exite à me, neſcio vos.

Septimum decimum Conſilium.

Obſeruare ſe, valdè neceſſe eſt hominibus, vt illæſi ac immunes ſint à ſuperbia quadam, quæ facile in animum eorum, qui ſpecialem profitentur pietatem ſeu deuotionem, ſe ſe inſinuans, ſæpè hanc eis cognitionem ingerit, vel nihil rectè agi niſi ab illis, vel ſaltem melioris effectus præ cæteris ſe capaces exiſtere.

Tales in cenſuras omnium rerum libenter dilabuntur; illudque teſtantur aut verbis, aut geſtibus, aut ſuis ſuſpirijs.

De illis non loquor, qui hoc ex propoſito liberæ voluntatis agentes, vt opera proximi condemnent, in viis accuratæ malitiæ, quam fuſcam dicimus, verſantur, non autem in ſemitis ſpiritualium, qui Chriſti veſtigia ſcrutantur, vt ijs inſiſtant. Sed dico, eorum, qui ità ſe ge-

Digitized by Google

runt ſine malâ intentione, vſum habitumque eſſe peſſimum; quod enim improbant, vel ſummam, quæ haberi poteſt, obtinet perfectionem, quamuis intentum non adeò feliciter cedat; quo caſu ſine iniuſtitiâ illud condemnare nequeunt: vel ſi etiam quid me melius fieri poſſet, modò quod fit benè ſe habeat, vituperium non meretur; aut ſi etiam illud mereretur, quòd prudentiæ non ſequeretur regulas: prudentia ipſa atque charitas condemnare, quod ſine malitiâ fit, non permittunt.

Huiuſmodi principio, non ſolùm deſtruitur humilitas, ſed læditur charitas; itemque præſumptio, quâ quis præ altero quopiam effertur, æquè parùm cum humanâ prudentiâ, ac cum Chriſti lege conſentit.

Itaque quamuis cuilibet, quæ fiunt in mundo, conſiderare liceat, verè ſpiritualis, actionem nullam, niſi euidenter malam, debet improbare; neque coràm condemnare, niſi ſuæ ſententiæ authoritatem certò profuturam, ac nulli malum inferendi capacem eſſe cenſeat.

Octauum-decimum Consilium.

Rerum agendarum occasione parta mihi notitia, eorum, quæ in orbe geruntur, facit, vt rogem viros Religiosos, aliosque qui consuluntur tanquam spirituales, quatenùs duo obseruent accuratè.

Primum, nè prætextu pietatis, decipi se permittant ab ijs qui solùm virtutis fucum vultumque affectant, quique eò magis student eloquentiæ, quò plus vitiis indulgent.

Noui quidem in Christianissimo non exiguæ virtutis esse, de proximo benè sentire: sed illud agere, cum tantâ simplicitate, vt prudentiæ ibidem vsus nullus sit, periculosum est. Ex huius obseruationis defectu plurima audiui ac didici incommoda; & quidem indicibilia contingere possunt, maximè his qui vacant animarum regimini, & qui muneribus publicis occupantur, qui sine dubio errores non modicos incurrerent, nisi bonitati suæ morali prudentiam sæculi coniungerent.

Alterum, quò multi ex fallaci principio satis esse censeant rem aliquam licitam existere, vt permitti possit, maximè

cùm notæ non vulgaris homines beneficio tali deuinciendi veniunt.

Maximæ huius incommoda magis timenda ſunt, quàm quæ oriri poſſunt ex alterâ. Plerique Religioſi, præ bonitate nimiâ, in ea ſæpè labuntur. Si ad rigorem iuris canonici ſimpliciter, capax quis beneficii curam animarum habentis, à quibuſdam perſonis in dignitate conſtitutis, commendetur, adeò ſunt ſimplices, vt capaciori & ſalutis animarum zelo feruentiori, illum præferre minimè vereantur. Interim ità primus langueſcet in obeundo ſuo munere, vt mali nihil agens in eo, boni nil etiam acturus ſit, cùm alterius ardor ad omne opus bonum ſuſpiciendum dubio-procul incendiſſet.

Si verum, in viâ perfectionis, eſſe neceſſe reum ſe credere non modò commiſſi mali, ſed & omiſſi boni debiti, prout extrà controuerſiam eſt; qui in ciuſmodi ſimplicitate, moniti malorum indè contingentium, perſeuerarent, id nequaquam poſſent ſiue aliquo crimine ac vituperio.

Digitized by Google

Nonum-decimum consilium.

Scrupulus tanto fermè studio vitandus est, quanto peccatum, cùm ambo tendant in eundem finem.

Peccatum, priuando nos gratia, animarum vitâ nos priuat, scrupulus etiam agitatione sua ponens obicem bonorum operum virtutumque exercitationi, interdicit nos functionibus vitæ, qua per peccatum spoliamur.

Peccatum detestandum est, quia inter Deum & hominem suapte natura diuidit: scrupulus fugiẽdus, licèt enim Deum quærere videatur, eiusque intentio & finis illud sit, ex accidenti tamen animas ab eo remouet.

Non secùs ac equus suspicax, ab vmbrâ quadam retrocedendo, se aliquando deturbat in præcipitium: sic scrupulosi solâ peccati vmbrâ perterriti, se in perturbationis atque confusionis abyssos sæpius præcipitant.

Quemadmodum proprio iudicio ac timori nimiùm parêre, ex primis vna morbi sui causa est animæ scrupulosæ; sic alieno proprium illud submittere, summorum istius morbi remediorum vnum est.

Imitantur

Imitatur illa animi corporis infirmitat es: ſicut hæ rarò ſine Medicorum consilio curantur; ità ab alia liberari, sine cuiuſdam idonei Directoris consilio, difficile. Dico, Idonei, quia velut ignarus Medicus ſanitati potiùs officere, quàm reſtituendæ ſufficere poteſt; ſimiliter director ineptus magis animarum æſtus ac perturbationes auget, quàm illis medeatur. Iſraël, ſub duce Moyſe quandiu ambulauit, ſemper ſecurè profectus, ſpreto illo, ſtatim per deſertum abe rrauit. Vnde Salomon [d] puero ſuo: *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis*: Et Tobias [e] ſic monet filium, *Conſilium ſemper à Sapiente perquire.*

Quamuis, aliâ viâ, ſolui morbum hunc labo rioſum, penè ſit impoſſibile; expellere tamen eundem, facillimum; modò illâ vtamur, ſequamurque conſilia duo hîc perneceſſaria, quæ nullo negotio factitari poſſunt.

Primum, vt animo firmiter teneamus Deum qui deſcendit in hæc inferiora, vt homines, ſuo ſanguine toto mundo pretioſiori, ſaluaret, nunquam ob leue quippiam animas damnare: nullas ſuggeſtiones à Diabolo propoſitas homini, conta-

minare animam malignum hunc ſpiritum deteſtantem, ac Deum ſuum diligentem; eiuſmodi tentationes omnes, abſque cõſenſu diſtincto ac præciſo, irritas eſſe: denique non quod ingreditur mentem, hominem perdere; ſed quod inhæret voluntati duntaxàt; nec vnquam cuipiam ſe conſensiſſe vllum credere debere, quod actu ſe nolle perſentit, & quod voluiſſe ſe neſcit, licèt vereatur.

Timor, quo concutitur ſcrupuloſus, nè id voluerit, quod ſe nolle optimè nouit, & quod nullâ ratione vellet; argumentum certum eſt inſontem eum eſſe culpæ, cuius ſontem ſe timet.

Alterum conſiſtit in vitandâ ſolitudine & ſobriâ animi remiſſione captandâ; cùm in iſtâ infirmitate nihil ſit periculoſius, quàm exercendi cogitationes in rem ex qua naſcitur labor atque anxietas, occaſionem habere.

In his, Parthorum more, auerſis vultibus, in hoſtes pugnandum; cauendumque maximè nè id faciamus, conuerſis: magnanimitate ſuperandi ſunt, non diſceptatione ac diſcurſu; cùm verum ſit, quod ſi vni detur ingreſſus vt argumentis vincatur, tot cum eo globatim con-

gredientur, vt illis obrutum iri quemlibet neceſſe ſit; ac licèt vulgari feratur adagio, numquam hoſtes eſſe contemnendos, illos hac in re oportet contemnere.

Scio difficile ſuam ægritudinem quemque negligere; ſed quemadmodùm nil curamus eas quas parui momenti eſſe Medici teſtantur, oro ſcrupulis laborantes, vt eos nihili pendant, certiores à me facti, ſolas vmbras eos terrere, & ſi illas ſpreuerint, illicò cognoſcent earum illuſiones inaneſque imagines, atque ab illiſmet abſolutè liberabuntur.

Viceſimum Conſilium.

Quilibet, cuiuſcumque profeſſionis, qui ſtudio ſingulari legem diuinam pro ſuâ conditione ſeruans, in eo conſilio, ſolo Dei voluntatis (quæ perfectionis vera regula eſt) motiuo ducetur; morali certitudine ſibi perſuadere poteſt vitam ſuam, æquè ac Aſceticorum, Deo gratam futuram eſſe.

De voti merito non loquor, cuius gratiâ (vt iàm ſuprà dixi) tantam prærogatiuam conſequuntur Religioſi, quantam, qui fructibus exuberantem afferunt ar-

borem, habent præ aliis, qui de fructibus horti ſui duntaxàt munera largientes, arborum ſibi poſſeſſionem reſeruant, at volo ſolùm ſæculares cuiuſcùmque ſtatus, qut ſe habebunt, vt expreſſi ſuprà, officij ſui vel qualitatis munere fungentes, ità perfectionem, quam intrà latitudinem conditionis eorum habere poteſt vita Chriſtiana, feliciter adepturos, ac Religioſos votis facientes ſatis, & omnibus Ordinum ſuorum conſtitutionibus ac decretis.

Omnibus penè hominibus imparibus exiſtentibus robore, tum corporis, tum animi, Deus expreſſe Chriſtianorũ obligationes ferme omnes variare voluit, ita vt qui pro viribus laborat, muneri ſuo ſine dubio ſatisfaciat, cùm iure ſit nefas, quæ vires hominis excedunt, ab eo exigere.

Quamuis in ſuperioribus abunde hac de re diſſeruerim, hoc opus meliùs concludere me poſſe non arbitror, quàm eiuſdem repetitione breui, tùm quia libri huius ſumma eſt, cui non alius finis niſi docendi quemlibet, quanam ratione poſſit ad perfectionem, cuius formam nobis præſtitit Chriſtus-Ieſus, perueni-

re, tùm quia Christianorum animis intime satis imprimi nequit, omnes, citrà limites suæ conditionis, eiusmodi metas attingere posse, ac ad illas meliori medio ferri contingens non esse, quàm eis ostendendo facile, quod ab ipsismet Saluatoris sui sanguis exposcit, & quem vt, illud implendi, virtutis gratiam ipsis obtineret effudit.

[a] Franciscus de Sales, in Isagoge sua, Gallicè conscripta, ad vitæ pietatem; 3. part. cap. 8. paulò post medium.

[b] Apostolus 2. Cor. 9. v. 7. Dauid Psal. 32. v. 1. & alibi.

[c] Ierem. 2. v. 13.

[d] Ecclesiastici. 32. v. 24.

[e] Tobiæ. 4. v. 19.

CAPVT XLV.

Deum vnum esse, nec-non luminibus naturæ ac fidei simul, illud ostendi.

NATVRA fidesque, vnum Deum esse, apertè demonstrant.

Plerique Scripturæ textus non solùm illius existentiæ certiores nos reddunt;

sed addunt etiam, naturam ad eius notitiam ducere. Atque sic non modò Deum vnum esse verum est, sed & constat de fide, naturale lumen illud declarare.

Cùm [a] Dauid docet cælos tacitè creaturis omnibus Authoris sui gloriam enarrare, eorumque silentium vocem esse adeò sonoram atque intelligibilem, vt in terris non sit Natio tam barbara, quæ eius sonitum non exaudiat, sensumque eius minimè percipiat; astringit nos fide credere, Deum esse, cùm Deus ipse per os eius loquatur: sed à naturâ etiam idipsum probat, cùm eius discursus à ratione naturali, quæ toti mundo veritatem eiusmodi pronunciat, deducatur.

[b] Salomon, huius eminentis Prophetæ ac Regis sapientis filius bene-meritus, meram vanitatem in iis esse, qui ex operibus eximiis artificem non agnoscunt, nequaquàm assereret; [c] nisi à magnitudine & specie creaturarum posset cognoscibiliter ac necessariò Creator harum videri. Iob [d] ad operum Dei considerationem mittit homines, vt hinc ad sui Creatoris notitiam assurgant, nec medium efficacius inuenit Magnus S. [e] Paulus, quo inuisibilia Dei intellecta

conſpiciantur ab hominibus, quàm à viſibilium contemplatione illos docendo progreſſum.

Dei cognitio, non ſolum fidei quidam articulus, ſed cæterorum omnium fundamentum eſt, prout dictat[f] Apoſtolus his verbis; *Accedentem ad Deum credere oportet*, quia eſt, & certè veriſſimum, in myſteriis eius intellectu aſſequendis, proficere non poſſe eum, qui eiuſdem Exiſtentiæ fidem antè non habuerit.

Apud [g] Machabæos legimus generoſam ſeptem filiorum martyrum matrem eodem vti argumento, vt vltimum, ad ſubeunda tormenta fortiter animet intuitu Dei cœlorum conditoris, qui eum aliquando in ipſis recipiet, fidei Charitatis eius mercedem illi redditurus.

Probationis medium quod Natura ſcripturæque docent, adeò manifeſtum eſt, vt eius vim ac neceſſitatem nemo cognoſcere nequeat.

Impoſſibile eſt neceſſariam inter creaturas & Creatorem non videre relationem: effectus neceſſariò cauſam ſuam ſupponit: aut non exiſtimus, aut ſinè dubio Deus vnus eſt, qui nos formauit.

Eiuſmodi viam eandem ſecuti fuêre

Patres Tertullianus [b] lib. contra Marcionem. S. [i] Ambrosius in cap. 1 ep. ad Rom. si verè huius operis author sit, & quamuis etiam alter existeret, eius antiquitas suâ authoritate non careret. [l] Euseb. l. 7. de præp. Euang. probat, Deum agnoscere per creaturas, tam necessariũ, quã Architectorem per ædificium. D. [m] Augustinus in hanc rem mille locis agit mirabilia, potissimùm in soliloquiis. D. [n] Bernardo mens eadem est quæ S. Augustino, & ipsam iisdem penè terminis ille exprimit, vtroque in hoc consentiente, quòd cernentes omnia esse producta ab eo quem minimè cernimus, effectuum intuitus, causam inuisibilem, quæ Deus est, agnoscere cogat, nec sine ignorantiâ vincibili illud possimus omittere. Anima, inquit ille S. insignis, quæ seipsam contemplatur, verum Diuinitatis speculum est.

Qui malitiâ suâ nimiâ excæcati, volunt ore negare quod agnoscere sensu proprio compelluntur, idem nomine Dei, quem negant, intelligunt, quod nos intelligimus; nempè primum Ens, vnum æternum, independens, à quo dependent cætera omnia, aut aliud quippiam: si aliud

Deus, quem ſibi effingunt, cùm ſit phantaſticus ſeu imaginarius, facile conceditur verè non eſſe; ſed ſi vnum eus, æternum, independens, & per ſe ſubſiſtens; non eſt difficile eos conuincere, illis obijciendo tale ens eſſe poſſibile aut impoſſibile,

Si aſſeuerent impoſſibile; cùm hac in re opinionem omnibus hominibus naturæque dogmatibus aduerſam, vt probaui ſuprà, tueantur; niſi omnium rationalium odium ac contemptum mereri velint, à probandâ eiuſmodi impoſſibilitate immunes nequeunt ſe reddere. Nemo admittendus eſt ad aſſerendū impoſſibile quod ab omnibus non modò poſſibile, ſed actu exiſtere perhibetur, niſi repugnantiam, quâ fiat impoſſibile, manifeſtet.

Huc vſque nemo viſus eſt qui hunc in campum deſcendere voluerit; vel vt meliùs dicamus, qui demonſtrationem tam impoſſibilem ſuſcipere fuerit auſus. Quicquid non implicat contradictionem, poſſibile eſt; atqui ea non inuenitur in Deo: Deum itaque eſſe poſſibile eſt. Et reuerà nulla poteſt eius impoſſibilitatis afferri probatio.

Inter contradicentia minimè reperitur medium : altero negante, quod alterum affirmat, ex duobus vnum verum esse necesse est. Rudioribus inest lumen plusquam sufficiens ad huius veritatis notitiam: nemo non videt has duas propositiones; est & non est; in suo sensu compati se non posse, & si ex illis vna vera sit, alteram necessariò falsam relinqui. De eiusmodi qui veritates tam euidentes negant, illud est, quod ait °Philosophus, aduersùs eos non esse disputandum. Iidem etiam sunt, quibuscum S. Augustinus vult potius agi verberibus quàm verbis.

Extrà hominum facultatem, reperitur, cum fundamento concipere, vnius Dei existentiam esse impossibilem. Quicumque enim falsam hanc opinionem tueri voluerit, eam fulciendi gratiâ, cogetur supponere multò magis impossibilia, quàm id quod non posse esse prætendet. Verbi gratiâ si Deus dari non possit, creatura dari vlla nequit, quæ talis neutiquam extat, nisi quatenùs principium quoddam primum existentiæ suæ creatorem agnoscit.

Sic hominum primus esset creatura & non creatura : creatura, quia id supponi-

mus,& eius essentia talis est; non creatura, quia reperiretur sine principio & sine causâ producente, in hoc vniuerso; quæ omnia impossibilia sunt, orta ex altero, entis vnius, independentis, & æterni, nempe Dei, impossibili supposito.

Hinc tantum abest, vt illud ens independens & æternum impossibile sit; quin potiùs impossibile sit illud non esse. Itaque miseri illi qui Deum verum non agnoscunt, dicere nequeũt eum non esse, in hoc fundati quòd eius esse sit impossibile.

Illis æquè parùm feliciter cedet, si asseruerint, eum quidem esse posse, sed non esse: cùm impossibile sit concipere vnum ens independens & æternum in potentia essendi, antequam existat. Atqui Deus quem Athei reuocant in dubium, est ens vnum independens & æternum. Ergò impossibile est eum concipere in potentiâ essendi, antequam existat.

Quod ens independens nequeat esse in potentiâ essendi antequàm existat; patet, ex eo quòd manens in potentiâ essendi, & actu non existens, necessariò supponat causam à quâ dependeat, quæ de potentiâ educat illud ad actum.

Exempli gratiâ, in hyeme rosa est in

potentiâ essendi, licèt nondum educta; quia pendet à sole & aliis causis, quarum concursu gemmat, & se se aperit verno tempore.

Similiter ens æternum nequit esse in potentiâ essendi antequam existat; quia quod est in potentiâ essendi antequam existat; non semper fuit. Quod rectè probat non esse æternum; cùm res æterna dici non possit, nisi quia semper fuit.

Ens igitur æternum & independens, vt est Deus quem quærimus, nequit esse in potentiâ essendi antequam extiterit. Itaque si concedat Atheus Ens tale esse possibile, tenetur concedere illud actu esse. Hac de causâ Aristoteles [7] qui inter Philosophos omnes solidiùs atque subtiliùs naturæ arcana penetrauit; docet in æternis non differre esse, & esse posse.

Discursus iste demonstratiuus est & infallibilis; sed nè plerisque subtilior existat, alio non minùs efficaci, sed conceptu faciliori caput istud concludam.

Nemo est qui lumine naturali non intelligat, creaturas, quas cernit oculis corporeis, à seipsis non esse: aliàs independentes forent, & ex consequenti diuinitas ipsa, quam inuestigamus. Igitur illa-

rum exiſtentiæ principium primum neceſſariò admittendum eſt, cuius aliud principium eſſe nequeat, quia primum non eſſet.

Relinquitur ergò, vt, vel illud Ens primum creaturarum principium ſuppoſitum, careat principio, ſitque ea ratione independens, ac Deus; vel ſeipſum produxerit: quod penitùs eſt impoſſibile; cùm ità fuiſſet priuſquam eſſet, & à ſe realiter diſtingueretur; cauſa qualibet ſemper effectum præcedente, & ab eo realiter diſcrepante.

Itaque datur primum Ens, quòd neque per alterum neque per ſeipſum fieri poteſt; ſed ab æterno ſubſiſtens, cùm numquam factum fuerit. Atque illud Ens, verus Deus eſt, quem ſub fidei caliginoſis velaminibus hîc adoramus, quemque tandem in lumine gloriæ conſpiciemus.

Tempero à prolixiori probatione Diuinitatis: quia præterquam quòd nemo de ea poſſit ambigere, & quòd in hoc capite breui perſtricta demonſtratiua ſint, ſæcula omnia, de ſubiecto illo eminentiſſimo, volumina perfecta produxêre.

[a] Pſalm. 18. v. 1. [b] Sap. 13. v. 1.
[c] Sap. 13. v. 5. [d] Iob paſſim, variis in locis.

[e] Ad Rom. 1. v. 20. [f] Ad Hebr. 11. v. 6. 2. Machab. 7. v. 28.

[h] Lib. 1. contra Marcionem cap. 10. 11. 12. 13. & sequentibus, quod sic dicto cap. 10. aggreditur.

Siquidem à primordio rerum, conditor earum cum ipsis pariter compertus est, ipsis ad hoc prolatis, vt Deus cognesceretur &c.

[i] In cap. 1. ep. ad Rom. super illud, Reuelabitur ira Dei de cœlo in omnem impietatem &c. vbi ait:

Ex ipsa enim cœli fabrica, iratus illi Deus videtur. Idcirco enim tam pulchra Astra condidit, vt ex iis quantus & quàm admirabilis Creator eorum est, possit agnosci, & solus adorari. Vnde scriptum est in Psal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.*

[l] Cæsarien. cap. 2. vbi ait:

Quoniam neque à lapidibus casu vnquam sine artifice domus ædificari potest &c. cum animalibus &c. plenum hunc mundum viderent, non absque sapientia Dei hæc omnia facta putantes, à magnitudine atque pulchritudine creaturarum, puritate mentis, Creatorem omnium immortalem cognouerunt.

[m] Tom. 1. Soliloq. lib. 1. cap. 1. & lib. 2. ap. 2. vbi tàm ex mundi permanentia,

quàm ex eius interitu datis aut ſuppoſitis, æternam (*quæ Deus eſt*) veritatem ſubtiliſſimè colligit.

[n] Lib. de conſcientia. tit. 1. circa litt. E. fol. 260. vbi ſic habet.

Redi igitur ad cor tuum & diligenter diſcute teipſum: conſidera vnde venis, quo tendis, quomodo viuis &c. & cum totum interioris & exterioris hominis ſtatum, habitum, in quantum poſſibile eſt, plene cognoueris &c. cogitatione tui poteris ſubleuari ad contemplationem Dei.

Vide & lib. 3. de interior. domo cap. 67. ibi animam verum diuinitatis ſpeculum, eſſe deprehendes.

[o] Lib. 1. Phyſicorum.

[q] Lib. 3. Phyſic. cap. 14. text. 32. vbi ait;

Τὸ γὰρ ἐνδέχεσθαι τοῦ εἶναι οὐδὲν διαφέρει ἐν τοῖς εἰδέσιν.

CAPVT XLVI.

De Immortalitate Animæ cognitæ lumine naturali, ac lumine fidei.

QVÆ à ſapientioribus & ſanioribus Ingenijs vera ſæculis omnibus habita ſunt, certa atque indubitata cenſeri

debent. Cognitiones affectus imitantur, qui mali minimè reperiuntur cùm omnibus hominibus ſunt communes. Id, docet Ariſtoteles,[a] quando Ethicorum initio, verbis expreſſis, ait: *Omnia bonum appetunt*: Vnde ſequitur, cum in hominum affectu deprauatio reperitur, eam à ſingulariium inordinato appetitu ac vitio duntaxàt ortum habere poſſe. Idem eſt de errore intellectus, qui niſi ex aliquorum ignorantia non proficiſcitur, & numquam inuenitur in eo quod à ſapientioribus & ſolidioribus creditur vniuerſim.

Hoc fundamento poſito, Immortalitas Animæ pro veritate certiſſima numeranda eſt, cùm omni tempore talis habita ſit.

Ex relatione Authorum plerorumque, qui diuerſarum ſectarum principes, omnibus ſuperioribus ſæculis, per offuſas infidelitatis ſuæ tenebras, ſpirituum noſtrorum immortalem naturam agnouerunt, illud probare poſſem: ſed ex principio, æquè captu facili à rudibus ac doctis, probationem malo meam elicere.

Niſi trita præteritis ſæculis eſſet hæc ſententia ac fides, non quanto in pretio illis fuêre (vt omnibus notum eſt) tanto

fuiſſent bene conformati mores. Quam enim ob cauſam, pauperratē hîc diuitijs: dignitatibus, atque honoribus, ignominiam, cruces deliciis ac voluptatibus homines præponerent, niſi vim in hoc ſæculo ſibi factam ingentes in altero fructus ſibi allaturam ſperarent?

Si dicatur, ſolum virtutis motiuum eiuſmodi effectus poſſe producere, experientiâ conclamabunt vniuerſi, præterquàm quòd pauci ex ſapientibus ſunt, qui virtutem nudam adorent; eique velint obſequi, cum inops aut auara ſectatoribus ſuis commodi nil poteſt aut vult largiri: vulgus contra ſenſus ſuos non ire, niſi pœnæ formidine, vel ſpe mercedis ducatur; quarum vna ab eo timeri, altera deſiderari nequit, niſi animas credat immortales.

Ità ſanè, ſi alia non ſupereſſet homini vita, ab eâ quam hîc ducimus, ſceleſti in delicijs merſi, bonis eſſent multò feliciores, atque omnes in voluptatum ſæculi fruitione, dandiſque virtutum vice, vitiis, ſummam ſuam beatitudinem collocarent: cùm, vitâ præſenti, fine eorum vltimo exiſtente, quicquid eam diutiùs poſſet extendre, illis virtutis loco, æquâ

ratione esse deberet.

Vnde sequeretur, ieiunia, corporis afflictiones, & alias austeritates, ab hominum commercio arcendas esse saltèm vt noxias quibusdam corporibus.

Hæc ratio moralis tantum valet, vt D. [b] Chrysostmo occasionem dicendi præbeat, idem esse, negare immortalitatem animæ, ac Deum negare, quia negari nequit immortalitas animæ, quin iustitia diuina negetur, quæ multitudinem austeritatum nimiam, ex qua nullus fructus percipiatur, nobis præscribit: & notare diuinitatem iniustitiæ, eam destruere est, cùm quòd extat absolutè perfectum, nullam pati queat imperfectionem.

Nempè, D. [c] Paulus ait apertè, cæteris omnibus hominibus vitam hîc miserabiliorem Christianos ducturos esse, si nihil eis sperandum esset in altera.

Alia duo argumenta innixa naturæ intellectus & voluntatis facultatum solarum propriarum animæ ex quibus notitia naturæ illius eruatur, etiam manifestè, docent, quā scrutamur veritatē. Has duas tantùm animę statuo potentias: quia, propriè loquendo, intellectus & memoria sunt vna ac eadem facultas, quæ dicitur

intellectus, cùm primò res concipit, atque memoria, cùm posteà reminiscitur, quod eiusdem rei secunda conceptio tantum est.

Itaque si spiritualis probetur intellectus, nec-non rebus caducis ac mortalibus, voluntatis desideria minimè satiari: sequitur animam, eorum principium atque subiectum, spiritualem item esse atque immortalem. Atqui facultates illæ, suarum operationum naturâ, quales eas suppono, tales satis sanciuntur siue comprobantur.

Si verum sit (quemadmodùm clarè constabit inductione sequenti) intellectum nostrum actiones à corpore independentes habere, certum est eum habere spirituales, & ex consequenti eundem spiritualem esse debere; cùm omnis actio suo principio sit proportionata, nec suprà naturam eius efferri possit, iuxtà comprobatum ab omnibus Philosophis Aristotelis pronunciatum; operari sequitur esse.

Certum verò est intellectum humanum elicere actiones independentes à corpore, & spirituales; cùm Deum agnoscat, & naturam Angelorum, obiecta

penitùs ſpiritualia, quæ non niſi actione ſpirituali concipi poſſunt, producente terminum conditionis eiuſdem cum obiecto ſuo, cuius iſte terminus quaſi ſpeculum & imago eſt.

Veritatem hanc experimento diſcimus; nemine non videnteſpeculum corporeum (qualia ſunt vulgaria noſtra) naturæ alterius obiecta repræſentare non poſſe; cùm quicquid exprimit ad res quarum imagines reddit, reſpectum habeat. Oculus videt quidem exteriora corporis accidentia, non valens ſubſtantiam neque virtutes internas penetrare, quoniam abſcondita & inuiſibilia ſunt & quæ non apparent extrinſecùs : imò manifeſtum eſt facultatem corpoream, ad ſpirituale quid agnoſcendum, idoneam eſſe non poſſe; quia ſpiritus à corpore diſtat magis, quàm ſubſtantia vel virtutes occultæ ab accidentibus exterioribus, quæ ſenſibus externis obijciuntur. Vnde ſequitur, cùm intellectus, ſpiritus, Deum, & Angelos aſſequatur cognitione, eum ſpiritualem eſſe; & idcircò etiam animam, eius principium.

Ad vim eiuſmodi probationis infirmandam, dicetur forſàn, intellectum ap-

Digitized by Google

prehendere ſpiritualia ſub ſpeciebus corporeis ; quo probatur magis corporeus quàm incorporeus.

At conſequentiam iſtam non eſſe legitimam facilè oſtenditur. Nam licèt apprehenſio prima quâ fertur intellectus in res ſpirituales, fiat per formas vel ſpecies corporeas; nihilominùs iudicium, quod parit deinceps de obiecto quod intuëtur, non formatur niſi per oppoſitionem eius ad omnes formas corporeas.

Cognoſcit quidem, primâ fronte, vnũ Deum eſſe, per ſpecies creaturarum quæ ad Creatorem neceſſariò referuntur : ſed ad perfectiùs poſteà cõcipiendum Creatorem vniuerſalem rerum, ſecundùm eminentiam naturæ ſuæ ; iudicat eum omnibus, quæ in creaturis deprehenduntur, imperfectionibus exuendum eſſe: & conſequenter nil corporeum illum habere : quia omne corporeum corruptibile eſt, quod Enti primo non conuenit, quòd cùm independens & infinitè perfectum ſit, nequeat eſſe corruptioni ſubiectum. Quo fit, vt intellectus noſter Idæam huius Entis diuini per oppoſitionem ad omnes formas corporeas, effingat.

Eò firmior eſt hæc ratio, quò, qui im-

mortalitatem oppugnant animæ, vniuersi fundant errorem ſuum in altero, quo ad credendum eam materialem peruertuntur, atque ſic, probando (vt feci) illam ſuâpte naturâ eſſe ſpiritualem, conſequenter immortalis eſſe comprobatur.

In illationem hanc conſentiunt omnes Philoſophi, & quidem illam negare non poſſunt, cùm quicquid perit, eſſe ſuum amittat, aut per contrarium, aut per defectum cauſæ conſeruantis, vel per ſubjecti proprij corruptionem.

Primo modo, frigus perimitur à calore. Secundo, defectu aêris cauſæ eorum conſeruantis intereunt animantia. Tertio, accidentia concidunt, ſi, cui cohærent, ſubiectum cadat. Sic albedo perit, ſi ruat paries, & euaneſcit pulchritudo, cùm corpus quod decorabat, exanimatum eſt.

Atqui trium horum modorum nullo, perire poteſt ſubſtantia ſpiritualis.

Non primo, quia cùm ſecundùm Philoſophos, ſubſtantiis nihil ſit contrarium, animæ, quæ ſubſtantia eſt, eſſe nequit: tùm quia, omnibus qualitatibus quæ contrariæ agnoſcuntur, materialibus exiſtentibus, quod ſpiritale exiſtit, illis

Digitized by Google

etiam non poteſt indui : cùm igitur Anima sit ſpiritualis, per contrarietatrm, eam perire impoſſibile eſt.

Non ſecundo, quia cùm Deus ſpirituum ſit creator, etiam conſeruator eſt, qui niſi voluntate ſuâ abſolutâ, non poteſt illis deeſſe, quo caſu, omnia creata queunt annihilari, nullo huiuſmodi, immortali permanere valente, reſpectu omnipotentiæ diuinæ.

Non tertio, quia de ſubſtantiâ agitur ſpirituali, & ſola ſubjectis inhærentia corruptibilibus accidentia, per interitum ſubiecti deſinunt.

Ex alio item principio ſpiritualitas intellectus elicitur.

Nemo neſcit facultates materiales ſola ſingularia obiecta cognoſcere. Exempli gratiâ, viſus non percipit niſi colorem particularem in ſubiecto inexiſtentem, guſtus, niſi ſaporem, in hoc & illo epulo, auris. nisi ſonum quendam ad eam perlatum, quod pariter inuenitur in reliquis omnibus potentiis materialibus, quæ nunquam in objecta feruntur vniuerſalia.

Intellectus autem vniuerſalia concipit, & quod in particulari duntaxàt ſenſus

agnoſcunt, definit in vniuerſum : quod ex ſcientiis liquet, quibus objectum aliud non eſt quàm vniuerſale.

Itaque virtute rationis ad inferendum compellimur, intellectum non eſſe facultatem materialem.

Prætereà facultas materialis actionem ſuam nequit agnoſcere. Exempli cauſâ, oculus non videt viſionem ſuam, ſed colorem duntaxât.

At intellectus non ſolùm obiectum quod contemplatur, agnoſcit, verum etiam propriam ſuam contemplationem; definit eam, diuidit, tractat variè, quod rectè probat dialectica, quæ obiectum habet operationes mentis. Patet igitur intellectum noſtrum non eſſe materialem, ſed, vt prætendimus, ſpiritualem: quod animas noſtras ſpirituales ac immortales eſſe demonſtratiuè teſtatur.

Secunda probatio quæ educitur à voluntate, non minus quàm prior euidens eſt. Si uerum ſit, nihil ſub cœlis eſſe, quod ad finem vltimum, bonum ſuum ac quietem, non aſpiret atque feratur; & quod eum non poſſit adipiſci, prout exemplum ignis tendentis ſurſum, & lapidis deorſum deſcendentis iuſtificat. Verum etiam

eſt

est Animam suâpte naturâ, ad bonum, quo satietur & quiescat, tendere debere.

Naturali verò lumine manifestè videmus, nullum bonum, hunc effectum sortiri posse, nisi duabus constet conditionibus.

Primâ, cuncta, quæ potest appetere anima, bona comprehendat; secundâ, sic ea tutò possideat, vt amittere nullatenùs possit.

Nisi omnis generis bona complecteretur, Animabus nostris illud, quo caret, affectare valentibus, eæ istius possessione non satiarentur: & nisi absque timore & periculo illa amittendi, eadem possideret, illæ-ipsæ iuxtà suos affectus reficinon possent, neque quiescere, semper enim eo priuari vererentur bono, cuius possessio illarum felicitatem compleret.

Atqui certum atque euidens est inter creata, non esse bonum eiusmodi, cum nullum, aliorum perfectionem habeat, neque etiam semper proprias & peculiares; & ideò quies animæ ab vllius boni creati possessione dependere minimè potest.

Ergò nisi velimus animas nostras deterioris esse conditionis, quàm res quæli-

bet huius mundi, quæ in finem, in quo quietem ſuam reperiunt, tendunt naturaliter; recurrendum eſt ad bonum increatum, quale ſuprà deſcripſimus. Deus ſolus eſt eiuſmodi; itaque animæ finis eſt, in cuius poſſeſſione perfectâ ſolùm tranquillitatem ſuam ac felicitatem poteſt inuenire.

Nunc verò certum eſt illum in hac vitâ perfectè poſſideri non poſſe: quòd cùm ſit Ens merè ſpirituale, ſolo intellectu ac voluntate poſsideatur, quorum actiones hîc imperfectæ exiſtunt, vbi Deum in ænigmate, & ex parte tantùm, vt Apoſtoli verbis vtamur, cognoſcimus; Et vbi propterea non poteſt Amor noſter imperfectione carere, cùm cognitionem noſtram ſequatur.

In alterâ igitur vitâ felicitatem ſuam, Animam, reperire neceſſe eſt, in quâ vitâ, mediis notitiâ & amore perfectis, fruatur Deo, bono ſuo vnico, omnia bonorum genera continente, ſine periculo amiſsionis; ideoque diſcurſus iſte, quem naturale lumen nobis ſuggerit, ſimul docet Animam cum corpore non interire; ſed ab eo ſeparatam, ſuum eſſe conſeruare, vt ſummo bono, quod hîc ſolùm per

denſiſsimas corporis tenebras videt, perfruatur. Aliàs, præ cæteris creaturis ſuis, peiùs, hominem Deus videretur habuiſſe; quatenùs ei naturalem infiniti & æterni boni appetitum contuliſſet, cuius perfectè poſsidendi medium non haberet.

Scio quidem probationes huiuſmodi non eſſe ſenſibus euidentes, vt ſunt Mathematicæ; ſed reuerà tantæ virtutis ſunt & adeò demonſtratiuæ, vt, nihil in eis reprehendere, poſſit ſupinæ tenebris ignorantiæ cæcâque pertinaciâ iudicium, nõ inuolutũ; cùm principia, quibus nituntur, ità manifeſta ſint, vt in dubium nequeant reuocari; atque tam euidens conclusio, vt ſine cæcitate illi minimè repugnari queat.

Plura poſſem ad elucidationem vtriuſque veritatis huius in mediũ afferre; ſed plus æquo ſatisfaciam, ſi poſt à me dicta, præterea oſtenderim, non ſolùm ſcripturas ſacras docere immortalitatem animæ, concluſionem de quâ agimus; ſed etiam illam confirmare iiſdem principiis quibus probationes meæ nituntur.

Quid ſibi vult Eccleſiaſtis *f* textus expreſſè dicentis puluerem in terram re-

uerti, ſpiritum verò redire ad Deum qui dedit illum, niſi quòd, cùm anima noſtra ſit ſpiritualis, cum corpore non pereat, ſed, quia immortalis, ad Deum pergat?

Quid apud [g] Geneſim omnipotens, cùm ad ſtructuram hominis accingens ſe, eum ſibi ſimilem producere proponit? quod cum ratione corporis fieri ne queat quandoquidem Deus omnis molis & materialis qualitatis eſt expers, ratione ſpiritualis animę, ſic ſe habeat oportet, & vltrà ratione incorruptibilitatis & immortalitatis ſuæ, quemadmodum in ſapientiâ clarè explicat Sapiens, cum ait. [h] Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ formauit eum. Quod Diuus Auguſt. poſt illum, docet his verbis aureis, fatemur ingenuè nos habere imaginem eius in æternitate, ſimilitudinem autem, in eiuſdem vitæ imitatione.

Apud S. [i] Matthæum, opponeret-ne expreſſè Dei filius, corpus animæ, illud mortale affirmans, alteram exemptam à mortis ſæuitiâ, niſi Anima eſſet immortalis, quia ſpiritualis eſt? Quam facit etiam S. [l] Paulus, inter corpus & animam, op-

positio, finem alium non habet, nisi, vt quemadmodùm corpus est carneum, sic animam esse spiritualem ostendat. Et S. *m* Iacobus in Ep. can. diceret-ne expressè, Animam esse spiritum corpus viuificantem, ni ipsa esset spiritualis?

Patres omnes animam agnoscunt spiritualem, ac inde immortalem. Inter cæteros, hæc verba D. " Augustini valde ponderanda sunt. : Quæ mori nequit, mortem timet, quæ suâ naturâ nunquam deficere potest, formidat amplius non esse.

Si scriptura & Patres passim inferant animas nostras esse immortales, quia sunt spirituales, idem etiam passim concludunt, hoc nixi principio, quòd in finem vltimum naturaliter propendeant, quẽ in hoc sæculo non possunt inuenire.

Sapientia ° minime pronuntiaret hæc verba; *Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*, nisi post vitam hanc caducam, anima requiem suam finemque reperiret. *Non diceret p : Iusti in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum:* Ni finis vltimus, & quies animarum nostrarum in altero mundo haberetur. Non adderet, *qui coràm homini-*

tus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est: & hanc spem illos eò magis exhilarare debere.

Proferret-ne S. Ioannes absolute beatos, qui in Domino moriuntur, quia requiescunt à laboribus suis, & opera illorum bona sequuntur eos, nisi in futuro sæculo tranquillitatem ac finem suum homo consequeretur?

Ad quid Dei Filius apud S. Matthæum ait, *gaudete, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*; nisi vt spe gloriæ cælestis, vltimi finis desideriorum nostrorum, homines, ad virtutem sectandam ferendasque persecutiones faciat magnanimos?

Immortalitas animæ docetur in scripturis adeò clare, vt sit difficultas maior in seligendis, quàm in quærendis locis quibus ipsa probetur.

Sermones Sapientiæ mirè sunt efficaces: *Iustorum animæ in manu Dei sunt. Et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, &c. Illi autem sunt in pace.*

Martyr ille generosus, de quo in libris Machabæorum, „ ità-ne trucidantem Tyrannum interpellaret, si cum corporibus interirent animæ? *Et si*, inquit, *in*

præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec viuus nec defunctus effugiam.

S.[x] Lucas, Lazari pauperis animam in sinum Abrahæ; impij verò diuitis, in infernum deportatam minimè referret; si corpora simul & animæ morerentur.

S. [y] Paulus probaret-nè necessitatem resurrectionis filij Dei, ex resurrectione corporum nostrorum, quæ nostrarum supponit immortalitatem animarum, si dubium foret, an essent immortales. Non polliceretur post eius terreni corporis dissolutionem, domum [z] non manufactam, æternam in cælis; si quicquid hominis est, cum eo pariter interiret. Item nequaquam assereret Deum tanquam iustum iudicem sibi coronam [aa] præparare, quia bonum certamen certauit, cursum consummauit, fidem seruauit; si post huius vitæ consummationem, altera non daretur, in quâ mercedem suam erat recepturus.

Veritas eiusmodi, sæculis omnibus, ab omnibus recepta, transijt in articulum fidei. Et præterquàm quod articulus symboli nostri est, habetur etiam ab Ecclesiâ vniuersali definita in 6. Synod.[bb] gener.

[c] act. 11. & 13. ratione approbationis datæ ab eadem ſynodo. Epiſt. Sophronij Patriarchæ Ieroſolymitani, affirmantis velut Orthodoxam doctrinam, intelligentias cæleſtes atque animas rationales à Deo fuiſſe immortales creatas.

Concilium [dd] Lateranenſe poſteà definitionem iſtam etiàm confirmauit.

Qui hac de re, cunctas, quæ extant, Patrum authoritates recenſere vellet, ad condenda integra volumina ſeſe aſtringeret: vniuerſi veritatem immortalitatis animæ profeſſi ſunt; Et hac ratione receſſerunt à caducis; atque æternorum intuitu, quæ, niſi poſt vitam præſentem, minimè poſſidentur, ſe-ſe moueri permiſerunt.

Inter alia, quibus Martyres in cruciatibus audaces effecti ſunt, vnum eſt, conſideratio vitæ futuræ. Immortalitas animæ tot ſcripturæ vocibus promulgata, tuba fuit, quæ ad tot agones, eos animauit, ex quibus cruenti ſed victores; vulnerati, ſed triumphantes exierunt.

Auſteritates tot ſanctorum Religioſorum, Continentia tot virginum, labores Apoſtolorum eorumque ſucceſſorum, pro vno ex motiuis ſuis efficacibus ac fœ-

damentis, immortalitatis animarum noſtrarum notitiam habuerunt, quæ ità ratione patet, ac ſacrarum litterarum authoritate firmatur, vt ſimul ſit & articulus fidei, & ſcientiæ veritas, quæ niſi ab infideli atque ignaro negari non poſſunt.

Ex Patribus qui hac de re expreſſiùs ſcripſerunt, D. Gregorius [ee] Nyſſenus orationem efficacem compoſuit : D. [ff] Ambroſius, librum diuinum, cui titulus, *De bono mortis* : D. [gg] Auguſtinus, alterum inſcriptum, De immortalitate animæ : D. Gregorius [hh] Magnus, in Moral. hac ratione, liberatoris Animæ ſuprà Saluatoris ſolius corporis meritum extollit; quatenùs Anima, ad vitam in cælis æternam poſſidendam, eſt deſtinata, cum corpus in terra moriatur.

Idem [ii] in Dialogis, viuentium tres ordines diſtinguit. Primus eſt, eorum quę à carne penitùs immunia ſunt, & ſunt Angeli. Secundus, eorum quæ carne tecta, ſed cum carne non pereunt, & ſunt Animæ rationales. Tertius, eorum quæ carnibus operta, & cum carne moriuntur, & ſunt brutorum animæ.

Eâdem ratione ductus S. Bernardus [ll] animarum ſanctarũ ſtatus trifariàm par-

titur. Primus, est in corpore corruptibili. Secundus, sine corpore. Tertius, cum corpore glorioso. Primus, in militia. Secundus, in requie. Tertius, in gloriâ & beatitudine consummatâ.

Vnde concludo, naturę, fidei, omniumque Antiquitatis notitiarum luminibus orbatum esse oportere; vt ignoret quis animas nostras esse immortales, & nesciat hanc omnibus sæculis superioribus agnitam, celebratamque fuisse veritatem.

[a] Lib. 1. Ethic. ad Nicomachum cap. 1. vbi sic habet.

Τ' ἀγαθὸν οὗ πάντα ἐφίεται. [b] Chrysost.

[c] 1. Cor. 15. v. 19.

[d] Colligitur ex 3. Phys. cap. 2. text. 17. vbi ait;

Εἶδος ᾧ ἀεὶ οἴσεται τὸ κινοῦν ἤτοι πόδε, [e] ποιόνδε, ἢ ποσόνδε ὃ ἔσται ἀρχὴν καὶ αἴτιον τῆς κινήσεως, ὅταν κινῇ. οἷον ὁ ἐντελεχείᾳ ἄνθρωπος, ποιεῖ ἐκ τοῦ δυνάμει ἀνθρώπου ἄνθρωπον. Id est.

Porrò id quod mouet, formam aliquam semper afferet, aut substantiæ aut qualitatis, aut quantitatis, quâtum cum mouet, principium & causa est motus, vt homo qui actu est, ex eo quod potestate est homo, hominem facit.

Vide etiã lib. 1. de gener. & corrupt.

cap. 9. text. 77. & aliis.

[f] Eccleſiaſtis 12. v. 7.

Vide quæ ad cap. 46. pag. 481. edit. 2. lin. vltima diximus in prologo.

[g] Geneſ. 1. v. 26.

[h] Sapient. 2. v. 23.

[i] Tom. 3. lib. 14. de Trinitate ex cap. 2. pag. 146. litt. B. *illud collige*, cum ait.

In fidei temporalis retentione, contemplatione, dilectione, nondum talis eſt trinitas, cui Dei iam imago dicenda ſit, ne in rebus temporalibus conſtituta videatur, quæ conſtituenda eſt in æternis [& ſub finem cap.] *Abſit autem, vt cum animæ natura ſit immortalis, nec ab initio quo creata eſt, vnquam deinceps eſſe deſiſtat, id quo nihil melius habet, non cum eius immortalitate perduret. Quid vero melius in eius natura creatum eſt, quam quod ad ſui Creatoris imaginem facta eſt?*

[i] Matth. 10. v. 28. & alibi.

[l] Ad Rom. 8. v. 10. & alibi.

[m] Ep. can. cap. 2. v. 26.

Vide etiam cap. 3. & 4.

[n] Simile habes tom. 2. ep. 120. pag. 199. litt. E. col. 2. cum ait.

Ideo diem mortis omnes quidem affuturum ſciunt, & eum tamen omnes aut penè

omnes differre conantur, etiam qui post mortem se beatius credunt esse victuros. Tantam habet vim carnis & animæ dulce consortium &c. Et propterea non vult anima vel ad tempus ab eius etiam infirmitate discedere, quamuis eam se sine infirmitate in æternum recepturam esse confidat. &c.

[o] Sap. 4. v. 7. [p] Sap. 5. v. 16.
[q] Sap. 3. v. 4. [r] Apoc. 14. v. 13.
[s] Matth 5. v. 12. [t] Sap. 3. v. 1. 2. 3.
[u] 2. Machab. cap. 6. v. 26.
[x] Luc. 16. v. 22.
[y] 1. Cor. 15. v. 12. & sequentibus.
[z] 2. Cor. 5. v. 1. [aa] 2. Ad Timoth. 4. v. 8.
[bb] Constantinopol. 3. act. 11. die 20. Martij, indict. 9. sic proponitur & enunciatur, hæc orthodoxa doctrina, tom. 16. impress. Reg. Paris. 1644. pag. 336. sub finem epist. quæ incipit à pag. 305.

Οὕτως ἀνθρώπων ψυχαὶ διαμένουσιν ἄφθαρτοι, οὕτως ἄγγελοι διατελοῦσιν ἀθάνατοι, &c. Id est, *sic hominum animæ permanent incorruptæ, sic Angeli immortales perseuerant. &c.*

Et act 13. eiusd. synodi pag 403 recipitur à toto Concil. doctrina eiusmodi cum totâ epist. tanquam veræ fidei consentanea, orthodoxa & salubris S. Cathol. & Apostol. Ecclesiæ. Sub Agathone Papa, & Impera-

tore Conſtantino Pogonato.

[cc] Vide quæ ad eiuſd. cap. 46. pag. 486. edit. 2. lin. 8. diximus in prologo.

[dd] Generale 17. Lateraneuſe 5. ſub Leone 10. ſeſſ. 8. habita 19. Decemb. ann. Domini. 1513. vbi ſic in bulla ſeſs. huic inſerta loquitur ac decernit dictus ſumm. Pont.

Sacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectiuam mortalem eſſe, aut vnicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes. Cum illa &c. & immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine, ſingulariter multiplicabilis & multiplicata & multiplicanda ſit.

[ee] Quæ eſt & inſcribitur, de dormientibus, & habetur inter opera huius S. Doctoris, Baſileæ impreſsa 1562. pag. 146. in qua, à pagina 149. circa medium, vide quid dicat.

[ff] In fine tomi primi vbi cap. 5. ait;

Quid mortem timemus, quæ animæ nocere non ſoleat? ſcriptum eſt enim nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.

[gg] Habetur tom. 1. pag. 217. in impreſs. Colon. Agrippinæ ann. 1616. ſuumque agnoſcit S. ille Doctor lib. 1. retractation-

c. 5. vbi etiam animæ immortalitatem aſtruit.

[hh] Tom. 1. in Iob.

Vide etiã lib. 4. dial. c. 45. item lib. 3. cap. 5. expoſitionis in 1. Reg. 5. ſuper c. 7. in hæc verba, *liberauit vos de manu Philiſtiniim.*

[ii] Tom. 1. dialog. lib. 4. c. 3. vbi ait:

Nam quia poſt mortem carnis viuat anima, patet ratio, ſed fidei admixta. Tres quippe vitales ſpiritus creauit omnipotens Deus, vnum qui carne non tegitur: alium qui carne tegitur, ſed non cum carne moritur: tertium qui carne tegitur & cum carne moritur &c.

[ll] In feſto omnium Sanctorum. ſerm. 2. impreſs. Pariſ. 1572. fol. 68. à litt. K. vſque in finem ſermonis.

FINIS.



Digitized by Google

INDEX

RERVM OMNIVM præcipuarum, quas Tractatus iſte complectitur, ordine Alphabetico digeſtus

A.

Abuſus.



BVSVS eſt tritus ſatis in ſæculo gerendi ſe quaſi ſolis commiſſionis peccatis homo damnaretur &c. cap. 44. *pag.* 119.

Actio ſeu vita Actiua.

Eius laudes & excellentiam quamdam ſuprà Contemplationem. *Vide* cap. 32. à *pag.* 318. ad finem capitis.

Amor Dei

Solo Deo contentus eſt, cap. 1. *pag.* 4. & 10.

Eius ſedes in voluntate non in ſenſibus cap. 7. *pag* 74

Species duæ; 1. dicitur intensionis: 2. præferentiæ seu Amor appretiatiuus. *ibidem.*
Vide præclara de Amore Dei seu charitate toto cap. 42. à *pag.* 375. ad finem cap.

Amor mundi

Nunquam satiatur &c. cap. 1. *pag.* 10.

Anima rationalis

Eius definitio seu descriptio data à D. Aug. cap. 1. *pag.* 2. & 9.
Eius dignitas vnde. *ibidem.*
Eius beatitudinis obiectum, Deus, *ibid.* & *pag.* 8.
Duratio æterna. *pag.* 3.
Vita & vitæ eius beatitudo, Deus. *ibid.*
Animæcidium crudelius homicidio. *ibid.* & *pag.* 9.
& deplorandum magis. *ibidem.*
Rebellio contra Deum carnis rebellione contra ipsam punitur. *ibid.* & *pag.* 10.
Quies haberi non potest, donec ad Deum fuerit reuersa. *pag.* 4. & 10.
Appetitus & capacitas à solo Deo poiest repleri. *ibidem.*
Pretium, Sanguis Filij Dei. *pag.* 5.
Corruptio in carne, fugienda. *ibid.*
Vita morte Christi acquisita, conseruanda. *ibid.*
Mors æterna impedienda *ibid.*
Mors per peccatum defienda. *pag.* 6.
Vita per peccatum amissa restauranda per lamenta pœnitentiæ. *ibid.*
Recessus in cœlum, vnde descendit, sequendus; descensus in terram, vnde corpus exiuit, fugiendus. *ibid.*
Animarum æternæ felicitati consulere, certam sibi suam reddendi quasi infallibile medium est. *pag.* 7

Et diuina illud cõcedit perfectiùs imitari. *p* 8. & 11
Vide pulchra SS. Patrum de singulis ferè supradictis testimonia, à *pag.* 8. ad 11. inclusiuè.
Quomodo Anima obiectum intelligibile viâ ordinariâ concipit. c. 31. sub finem, *pag* 307

Ariditas in Oratione.

Ariditas orationi est, quod tribulationes & afflictiones vitæ Christiani. c. 30. *pag.* 286
Describitur optimè. *pag* 287. seq.
Variæ eius origines, *pag.* 288
In ea quomodo se habendum & quid agendum sit, & ad hoc varia à Christo Domino, D. Paulo, sancta Theresia & aliis data exempla atque documenta, *pag.* 289. seq
Afflictioni minimè esse debet, sed consolationi. Vide quomodo id, sub finem cap. *pag.* 293

Attentio

Ad Orationem requiritur. cap. 27. *pag.* 26
Triplex spectat ad orationem vocalem. 1. ad sonum articulatum verborum eius prolatorum. 2. ad verborum sensum & intelligentiam. 3. ad finem Orationis. *ibid.*
Prima non est necessaria, *ibid.* & 262
Secunda non paruipendenda cum occurrit, non est tamen absolutè necessaria, *ibid.*
Tertia sola absolutè necessaria, siue ad orationem vocalem, siue ad mentalem, *pag.* 263
Et illa obligat ad dirigendam ex intentione sanctâ orationem nostram in honorem Dei; ac peragendam eandem, vt eius Omnipotentiæ ac Majestati debitæ soluantur adorationes atque obsequia; & vt vilitatem ac imbecillitatem nostras illius auxilio in omnibus indigere agnoscamus. *ibid.*

Digitized by Google

Vide sequentia vsque ad 2. conditionem orationis ad, pag. 265

B.

Beatitudo

Vitæ futuræ luculenter exprimitur, suisque numeris penè omnibus velut absoluitur. c. 2 à pag. ad 27. *Vide* authorit. pp. pag. 28. & 29

C.

Cadere.

Etiam perfectam vitam ducentibus, aliquando contingit; sed si statim resurgant &c. non turbentur: statum enim perfectionis non amittunt cap. 40. pag. 365

Cur non æquè in lethalia ac in leuia peccata contingit. ibid. pag. 366

Character.

Veri characteres diuinorum in contemplatione raptaum, insolitarumque Dei communicationum in illis, & contrà, exprimuntur. cap. 37 pag. 353. & seq.

Comœdia quædam.

Vita nostra, secundùm D. Chrysostomum, c. 41. pag. 370. 374. 375.

Communio.

De vtilitate frequentis Communionis; & maximè ad augendam fidem, spem & charitatem cap. 19. toto à pag. 171. ad pag. 185

Vide præclara, ad hoc Patrum testimonia à pag. 185 ad 187. inclusiuè.

De aliis vtilitatibus eiusdem maximè ad pacem interiorem generandam, & ad requiem cœlesti Beatorum similem consequendam. *Vide* c. 20. à pag 188. ad 197

Dæmonis artificio ac deceptione ab eiusmodi

Digitized by Google

frequentis Communionis vſu deterremur, *p.* 197
De vſu illius antiquo, & ſequentibus ſæculis vſurpato *Vide* c. 21. à *pag.* 198. ad 214. vbi pulchrè docteque exprimitur à primis ſæculis ad noſtra tradueta communicandi conſuetudo.
Ab eâ non abſtinendum, quòd deuotio aut feruor actualis non percipiatur : nec ob quorundam venialium formidinem. *Vide* c. 22. à *pag.* 214 ad 229. vbi piiſſima æquè ac doctiſſima reperies pro diſpoſitione debitâ communionis.

Conditio.

In conditionibus quibuſuis, ſæculari vel Regulari, priuatâ vel publicâ, etiam ad officia & dignitates ampliſſimas promotâ, Chriſtiana perfectio acquiri poteſt. c. 41. *pag.* 367. & 369
Sæcularis & Religioſa comparantur inter ſe, quoad perfectionem tum ſtatus, tum meriti. *Vide* ibi valde vtilia vtrique conditioni *pag.* 370 & ſeq.

Confeſsio.

Tres ſunt Confeſſionis ſpecies c. 11 *pag.* 108
Prima Deo fit &c. *ibid.*
Secunda coram omnibus fidelibus publicè in primitiuâ Eccleſiâ fiebat de quibuſdam peccatis, quæ cùm latere non poſſent, Confeſſionem & & ſanctificationem ſuis meritis condignam requirebant, *ibid.*
Tertia eſt quæ de omnibus culpis admiſſis publicis vel ſecretis fit ſacerdoti ſub ſigillo ſecreti inuiolabilis, *pag.* 109
Secunda aliquanto tempore tantùm viguit; aliæ duæ ſolæ manſere in praxi, *ibid.*
Confeſſio publica & Pœnitentia illi conformis nunquam ſtatutæ fuerunt, niſi in partem ſatis-

factionis de peccatis priuatim anteà confessis, *pag.* 110
Hinc priuata publicæ origo est, non contrà. *ibid.*
Sola secreta nobis relicta est tanquam Sacramentalis ad quam tenemur ex instituto Domini nostri Iesu Christi. *pag.* 109
Vide reliquo cap. de Confess. & Pœnitentia publicâ, notatu dignissima contra Nouatores huius temporis, à *pag.* 110. ad 116
Vide author. Concil. Patrum ac iuris canonicià *pag.* 116. ad 118
Confessio auricularis & Sacramentalis sic definitur. Accusatio voluntaria à Pœnitente facta omnium peccatorum suorum mortalium, quorum recordatur, Sacerdoti habenti potestatem absoluendi : accusatio, inquam, cum dolore de admissis, & cum firmo proposito de non amplius admittendis, c. 12. *pag.* 118
Vide explicationem huius definitionis ; & ad singulos terminos, notatu digna, maximè pro iis qui iudicum sententiâ pereunt, à *pag.* 118. ad 126
Confessionis Sacramentalis institutio diuina probatur toto cap. 13. à *pag.* 126. ad 132. & 133
Necessitas toto cap. 14. à *pag.* 133. ad 141
In quâ, cum sacerdotis penuriâ Sacramentalis minimè reddi potest, etiam laicis fructuosè fieri docet D. Thomas, imò & fieri debere. *pag.* 137
Exceptionem patitur necessitas Confessionis, etiam Sacramentalis. *pag.* 138. *Vide* egregia sub finem capitis.
Pulcherrima apologia pro Confessione, contrà eam diffamantes & quoquo modo vituperantes cap. 15. à *pag.* 141. ad *pag.* 148
Vide ibidem de sigillo & de mulcta illud frangen-

tis, à *pag.* 143. ad 147. inclusiuè

Contemplatio. Vide, *Meditatio.*

Contemplationis effectus, cap. 33. *pag.* 323. & seq
1. Extasis, *ibid.*
2. Lætitia spiritualis non vulgaris, *ibid.*
3. Abundantia laudis, & gratiarum actiones, *ibid.*
4. Dona gratuita. Prophetia, & notitia secretorum cordis humani, &c. *pag.* 324

Contritio

Contritio perfecta Deum sortitur objectum vnicum, aut saltem præcipuum. cap. 10. *pag.* 94
Talis non est absolutè necessaria ad abstinendam peccatorum remissionem in Sacramento Pœnitentiæ &c. *ibid.* & seq.
Contritio datur alia tam imperfecta, vt non respiciat nisi damnum temporale, & eiusmodi detrimentum quod ex peccato in hoc sæculo experitur & timet, *pag.* 95
Talis non est sufficiens ad obtinendam peccatorũ remissionẽ etiam in Sacramento pœnitentiæ *ib.*
Contritio tertia datur, quæ vocatur Attritio, media inter duas priores: necessaria, & sufficiens ad obtinendam peccatorum remissionem in Sacramento Pœnitentiæ, *ibid.*
Vltima ista concipitur ordinariè formidine gehennæ infernalis: priuationis cœlestis gloriæ, nec non infamiæ ex peccato incurrendæ, *ibid.* & sequent.
Prima ex amore quo Deum propter se diligimus, ortum habet. Secunda ex amore proprio vel creaturæ tantum Tertia ex amore quo Deum propter nos prosequimur &c. *pag.* 97. & 98
Attritio numquam fieri potest Contritio; sed potest dari transitus ab vna ad aliam. *pag.* 99

Digitized by Google

Non eſt neceſſe, vt Contritio vel attritio ſit ſenſibilis : nec vt ſit ſenſibilior de amiſſione gratiæ, aut de Deo offenſo, quàm de amiſſione rei temporalis cuiuſcumque &c. *ibidem* & *pag.* 100

Contritio limites neſcit. non ſolum ratione obiecti ſcilicèt peccati : ſed etiam ratione temporis & cuiuſlibet alterius durationis, etiam æternæ, *pag.* 104. & ſeq.

Ad hoc, *Vide* ſcript. Concil. & SS & Patrum teſtimonia à *pag.* 106. ad 108

D.

Defectus.

Defectus proprij corrigendi rationi conſentaneè, moderatè & in ſpiritu lenitatis, cap. 44. *p.* 414

Qui velociùs curiunt non ſunt de eorum numero qui tutiùs citiuſque metas ſibi propoſitus attingunt, *ibidem pag.* 415

Qui lente fluunt ingentes fluuij, vtiliores ſunt : torrentes, vicinas ſolent vaſtare terras, *ibid. pag.* 416

Deuotio.

Quilibet deuotionem ſuam ſuæ conditioni aptare debet &c. cap. 44. *pag.* 406

In via deuotionis nemo poteſt proficere, niſi actionibus ſuo ſtatui congruis ac propriis, *ibid. pag.* 408

Omnis deuotio, quâ conſiliorum opera præceptis præferuntur, quamuis videatur perfectior, vicioſa eſt : *ibid pag.* 409

Vera deuotio in paſſionum animi mortificationem tendere debet, *ibid. pag.* 410

Qui pius ſibi videtur, & omnibus naturæ ſuæ defectibus probatur ſubditus, phantaſia tenùs tantùm, non autem coram Deo ſeſe pium

poteſt credere, ibid. p. 41

Deus.

Dei vnius eſſentiam probat neceſſaria relatio inter Creatorem & creaturam. cap. 45. p. 438. & ſeq. vſque ad 443.
2. Eius poſſibilitas, quam nemo vmquam deſtruere potuit nec poterit: quia in æternis idem eſt, eſſe, & poſſe eſſe, ibid. p. 440
3. Quia, vt etiam ipſa experientia docet, quicquid eſt, aut eſt à ſe, aut eſt ab alio. Si primum, Deus eſt ſi ſecundum, creaturæ ibid. 440 & 441
Ergo datur primum ens, vnum, æternum, independens, à quo cætera omnia dependent, id eſt, Deus, ibid. p. 441

Difficultas.

Difficultas in obeunda damnatione probatur, cap. 4. à p. 43. ad p. 45.
1 Quia deliciæ peccati fallunt nimis, p. 43
2. Fatigant, ibid.
3. Quia nunquam peccatorem patiuntur impunitum, ibid. p. 44
4. Nunquam ſecuram eſſe conſcientiam, ibid.
5. Excæcant, & ſpinas faciunt calcare, ibid. p. 45
Si via quæ ducit ad perditionem, lata eſt, ſpatioſa communiter vocetur; id tantùm quia multi per eam gradiuntur: nec ſentes ac tribulos quibus abundat, cæci cùm ſint, aduertunt, ibid.
Ex infauſtis ſucceſſibus probatur eadem dicta difficultas, à p. 46. ad 48

Diſcuſſio perfectionis.

In diſcuſſione perfectionis non tam ſtatuũ quàm actionum ratio habenda eſt: nec ita actionum quoad extrinſeca, vt earum quoad intrinſeca, id eſt, principia ſua atque motiua, c. 41. p. 369 & 370

Digitized by Google

Diſtractio.

Vide cap. 29. à pag. 281. ad 286.
Diſtractionum in oratione contingentium quædam ſpontaneæ, quædam non ſpontaneæ, ſeu inuoluntariæ ſunt. ibid. p. 283
Inuoluntariarum genus triplex, quædam ab actuali attentione oratione debita diuertunt: ſed orationis meriti fundamentum non euertunt. ibidem.
Aliæ non modò ſoluunt animum ab actuali applicatione debita materiæ meditationis: ſed etiam radici meriti orationis afferunt interitum, itemque virtutum ſeminibus à Deo infuſarum, ibid. & 284
Tertij generis diſtractiones in iis conſiſtunt cogitationibus quæ à ſubiecto particulari ad meditandum electo abducentes nos, à præcipuo tamen & vniuerſali, nempe Deo, non auocant, ibid. & p. 285. 286
Remedia ſingulorum, vide eod. cap. ad ſingulas ſpecies.

E

Euchariſtia:

Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutio, cap. 9. p. 92. vide communio.

Extaſis.

Fit, cum anima ſpiritualium facultatum functionibus adeò occupatur, vt per concurſum, quem ad eas confert, exhauſta virium ſatis non ſuperfit ad admouendas facultates ſenſitiuas ad actus ſuos, vnde ſine vlla actione manent, cap. 33. pag. 323.
Extaſis, idem quod raptus ſecundùm vſum communem, licet hic illius cauſa ſit, magnumque inter

inter vtrumque discrimen intercedat, cap. 34. pag. 329. Vide quid vtrique conueniat, ibid. & sequent.
Alia est naturalis, alia supernaturalis, p 330
Naturalis fit, cùm per vnam facultatum, putà imaginatiuam, operante animâ circa obiectum, ità vim virtutemque suam effundit, vt nihil ei supersit ad agendum per alias facultates sensitiuas, ibid.
Supernaturalis, cùm ipsa ad sublimem contemplationem quæ vires exhauriat, illecta à Deo, non modò nullum ampliùs facultatibus suis sensitiuis potest communicare concursum; sed nec vllum intellectui, vt imaginatione mediante, pro more operetur. Sed à Deo, suprà naturam, illuc ipsa, eiusque facultates ducantur auxilio luminis efficacis ac gratiæ præpotentis, ibid. pag. 331
Huic cognitioni altissimæ correspondet amor fortissimus, &c. ibid.
Eius effectus varij sunt in variis, ibid. & 332. & seq. Passiones & proprietates, ibid.
Quomodo discernatur vera & supernaturalis à falsâ vel naturali. Vide sub finem huius cap. & toto sequent. 35
Extaticorum raptuum species quatuor sunt, 1. Intellectus, 2. Voluntatis, 3. Reliquarum animæ facultatum, 4. Operationis, cap. 35. p. 338
Quid singulæ contineant. Vide in seq. 4. certissimè à Deo est, ibid. p 345

F.

Facilitas.

Ad salutem consequendam tanta, quanta difficultas in obeundâ damnatione, cap 4. p 41

Et ſi quidem, arcta dicatur via quæ ducit ad vitam, id ſolùm ob mortificationes ac cruces, quæ tot vnctionibus liniuntur, quot amaritudinibus induuntur delectationes de peccatis, ibid. p.45

Excedentibus proſperè & non proſperè idem probatur, ibid.p.46.47.& ſeq.

Item ex illo vulgari adagio, Amanti nil difficile, p. 49. & 50

Facilitas, quâ ſub legibus filij Dei viuentes perfectionem Chriſtianam poſſunt adipiſci, cap. 42. pag. 375. & ſeq.

Media eius omnia ad vnum nempè ad amorem reducuntur. Vide quomodo, p.376.& ſeq.

Tam facilè eſt perfectionem Chriſtianam adipiſci: quàm facile Deum amare, p.377.& ſeq.

Fides.

Natura fideſque vnum Deum eſſe apertè demonſtrant, cap.1.p.1.& cap.45.p.433. & ſeq. Conſtat de fide, naturale lumen declarare Deum vnum eſſe, ibid.p.434

Fœmina.

Fœminis ſæpius quàm viris, an Deus vltimum contemplationis gradum largiatur, cap. 38. pag. 355

Pro parte affirmatiuâ tria proponuntur argumenta, ibid.& p.356

Pro parte negatiuâ, quattuor, p.356 & ſeq

Indeciſa tamen reliquitur quæſtio, p.358.& Conſilium optimum datur in fine, ibid.

Fucus.

A fuco vultuque ſolo virtutis ac pietatis, quî, & quomodo cauere debeant. cap.44 p.426

Item ab eo quod videtur licitum; & à reſpectu,

vt aiunt, humano, seu acceptione personarum, ibid. & p. 427

I

Immortalitas.

Immortalitas animæ rationalis probatur certissima tum lumine naturali, tum lumine fidei, cap. 46. toto.

Infernus.

Infernus describitur, cap. 3. p. 29. & seq.
Eius pœnæ spirituales seu interiores, ibid. & p. 30. & 31
Etiam in animas quæ in purgatorio à peccatorum reliquiis emundantur, p. 31
Diuersimodè tamen à damnatorum pœnis, ibid. & seq.
Item exteriores & à rebus materialibus inflictæ, p. 33
Ad nouem species reducuntur, ibid. & seq.
Et probantur à p. 35. ad 38
Quare æternæ, p. 38 & 39
Vide ad hoc SS. PP. digna testimonia à p. 39. ad 42. inclusiuè.

Iudicium.

Qui in viâ perfectionis progressum cupiunt, Deum vbi Ecclesia demonstrat, non vbi iudicium proprium assignat aut imaginatur, debent quærere, cap. 44. p 423. 424

L.

Laborare.

Qui pro viribus laborat, muneri suo proculdubio satisfacit, cum iure sit nefas, quæ vires hominis excedunt ab eo exigere, cap. 44. p. 432

Lumen.

Lumina superna in contemplatione diuersimodè

& per varias visiones suscipiuntur, cap. 33. pag. 324
1. Eiusmodi visionum species est corporea, ibid.
2. Imaginatiuæ facultatis, ibid.
3. Visio intellectualis est, in qua Deus species & formas intelligibiles in intellectum infundit, iis similes quas ex sensibus per relationem ad creaturas homo solet elicere, &c. ibid. p. 325
Ex his quædam voces personarum apparentium aut non apparentium, ibid. p. 325
Quædam velut simplices directiones angelicis conformes, ibid.
Quædam impressiones seu contactus in intimis seu in fundo animæ, p. 326
Quædam dictationes nominantur ibid.
Quid de illis sentiendum, vide sub finem, cap. 33

Lysimachus.

Hausto calice aquæ frigidæ gemit, & sic amissum Regnum plangit, cap. 3. p. 39

M

Media adcognoscendum Deum.

Quatuor veluti genera constituunt, cap. 31. p. 295
1. A sensibus ac visione creaturarum pendet, & Philosophis paganis & Christianis commune est, &c. ibid.
2. Per fidem procedit, & est Christianis peculiare, &c. ibid.
3. Quibusdam tantùm Christianis speciale est, & progreditur per species à Deo infusas, Dei formes seu deificas, non à sensibus expressas, p. 296
Aut per lumen extraordinarium animæ collatum, vt eo confortatæ species, solitæ eiusdem animæ, meliùs ipsam in Dei cognitionem perducant, &c. p. 297

Digitized by Google

4. Specialiſſimum & rariſſimum vſque ad fruitionem Dei & incuitiuam viſionem eius attingit, tamen per modum tranſeuntis duntaxat: & hoc per lumen gloriæ, quo in cœlo fruuntur beati per modum permanentis, p. 297. Vide 4. notiones quas iſta 4. media generant, &c. pag. 298

Et earum effectus, quoad cognitionem Dei, pag. 299. & ſeq.

Media ad diligendum Deum.

Media ad excitandam dilectionem Dei. Vide cap. 7. p. 66

1. Beneficia communia in humanum genus, ibid. & ſeq.
2. Beneficia ſingularia erga ſingulos, p. 69. & ſeq.
3. Præmia danda fideliter diligentibus, p. 70
4. Supplicia, Dei charitate carentibus, p. 71
5. Perfectiones infinitæ, quæ in Deo vt Deo ſint, & hominum dilectionem abſolutè merentur, ibid.

Communis in humanum genus, Creatio, Incarnatio, Redemptio, Sacramentorum inſtitutio, maximè Euchariſtiæ, denique gloria in cœlis præparata, &c. p. 67. & 68

Singularia, varia reſpectu variorum ſingularium, &c. p. 69 & 70

Quibus, ſi Deum diligamus, ſatisfacimus, p. 70

Præmia, Paradiſus, exemptio æterna ab æternâ damnatione, &c. ibid.

Supplicia, ipſa æterna damnatio, p. 71. de qua vide, cap. 3.

Perfectiones infinitæ Dei, vt bonitas, &c. ibid

Quomodo ſingula conferent ad ſalutem, p. 71. 72. & ſeq.

Meditatio.

Eſt Oratio ſolita; Contemplatio, inſolita: ad quas, omnes Orationis ſpecies reducuntur, cap. 31. p. 302

Solita eſt, in qua homo conſiderans omnis generis obiecta pro captu naturæ ſuæ, amore in Deum incaleſcit, ibid.

Et fit aut mediis imaginibus vel ſpeciebus, quam mutuamur à ſenſibus externis obiecta ſibi propoſita percipientibus, ibid.

Vel per diſcurſum in fide fundatum, mediis ſpeciebus intelligibilibus, quæ ex iis oriuntur quæ formantur in imaginatione, &c. ibid. p. 303

Inſolita Oratio vel Contemplatio ea eſt, in quâ independenter ab omni actu imaginationis, & ſine vllo diſcurſu homo Deum videt & agnoſcit, p. 303

Quod fit duobus modis, videlicèt 1. cum ex habitu & conſuetudine eleuationis ad Deum, ſine præuiis ſolitis diſpoſitionibus, ad beatum illud & diuinum obiectum eleuamur, nec non vnico intuitu idem velut in ſpeculo contemplamur, pag. 304. 2. modo naturæ vires excedente, per Dei illicium extraordinarium quo ſuprà ſe animas tollit, ibid.

Id eſt, vel lumine extraordinario corroborante; aut ſpeciebus nouis ad hoc creatis expreſſè; vel viſione gloriæ tranſeunti, vt alibi dictum eſt, ibid.

Ex his habes quid vocant Orationem quietudinem, &c. p. 305

Quid ea, quam Soporis facultatum, enudationis vel ſolutionis à ſenſibus Orationem appellant; quam etiam, Inactionis, quidam nominant;

ſed perperàm, niſi in aliquo ſenſu, p.306
Quid illa, quam perfectæ vnionis nomine decorant, p.309.
Diſcrimina Meditationis & Contemplationis. Vide cap.32. à p.311. ad 322
Vide etiam notatu digniſſimas vtriuſque proprietates, ibid.
Item apologiam quandam pro Contemplatione & Contemplatiuis, p.316. & 317
Deus cunctos meditationem ſectari iubet, p.313
Ad Contemplationis primum gradum aſpirare fas eſt, &c. ibid.
Ad vltimum verò gradum illius, ſtandum ſpeciali Dei prouidentiæ, &c. Vix enim ſine ſuperbiæ typho ac temeritatis vitio deſiderari poteſt atque expoſci, ibid.
Via tamen ad illum eſt proficere in virtutum perfectionibus, &c. p.314

Motiuæ

Varia ad curam ſalutis animæ ſuſcipiendam. 5. primis capitibus includuntur: ſed potiſſimùm à pag. 50. ad 57

N

Nouitas.

Nouitates affectare & ſequi, in iis quæ pietatis ſunt, deſerendo Regium iter à Majoribus complanatum ac tritum, periculoſiſſimum eſt. c.44. p.421
Artificia ſubtiliora in re ſpirituali æquè periculoſa ſunt, ac nouitates in negotio Religionis, ibid.

O

Oratio.

Eſt Actio, quâ noſtræ voluntatis affectum Deo

proteſtamur, eiuſque effectum ad vtilitatem noſtram & Dei gloriam nobis ab eo concedi ſupplices poſtulamus, c.24.p.237
Diuiditur communiter in duas ſpecies, mentalem ſcilicet & vocalem, ibid.
1. 2. quod anima corpori eſt, ibid.
2. 1 quod ventus igni, p.238
Oratio in genere, diſtinguit hominem à cæteris animantibus, & Angelis eum aſſimilat, &c. p. 238. & 23 ›
Orationis mentalis exercitium partem vitæ illuminatiuæ præcipuam conſtituit, p. 237
Orationis vtriuſque effectus communes à p. 239. ad 241
Vocali tantò mentalis excellentior eſt, quantò corpore nobilior eſt animus, ibid. & ſeq. ad 244
Duæ ſunt aliæ ſpecies Orationis, mixta & iaculatoria, c.25 p.245
Mixta eſt, in quâ verbis ore prolatis, mens in ea reflectitur, & inde ſuccum exprimit, quo animæ nutriuntur, ibid.
Iaculatoria, iactus quidam eſt humani cordis in Deum. Aliquando mente ſolùm, aliquando mente & ore producitur, ibid.
Quomodo differt jaculatoria à mentali & mixta, &c. ibid.& p.246
Eius effectus & affectus. Vide reliquo cap. vſque ad 251

Oratio mentalis.

Eſt animæ noſtræ operatio, in quâ ex intellectione alicuius veritatis fidei voluntas noſtra mouetur ad deſiderandam petendamque à Deo perfectionem Chriſtianam, vel ad inſiguem

Digitized by Google

in eâ profectum faciendum, c.26.p.252
Communis modus eam exercendi optimè dilucidéque exprimitur, à p.252. ad 254
Non eodem tamen modo ab omnibus: sed variè à variis exercenda est, prout tulerit constitutio naturalis, & inspiratio vel motio gratiæ eorum qui illi se dedunt, p. 254
Varietas ista describitur, & quid agendum singulis præscribitur, à p.254. ad 257
Item proponitur Oratio dominica meditanda, & fructus exponuntur inde percipiendi, à pag. 257. ad 259
Pleræque animæ orationem mentalem magno cum merito exercent, non seruatis accuratè regulis communibus suprà præscriptis, p. 260
Hac in re sequenda inspiratio diuina, ibid.
Hanc artem magis firmat vsus assiduus quàm præcepta, ibid.
Conditionum orationis fructuosæ, 1. Est; vt fiat attentè, c.27.p.261
2. Vt perseueranter, p.265
3. Vt necessaria vel saltem vtilia saluti petantur, p.266. & 267
De orationis efficacia & virtute. Vide egregia toto, cap. 28. à p.268. ad 278
Cur Deus sæpè non exaudit orantes, p.271. & 272
Oratio impetratoria est, p.272
Meritoria, ibid.
Satisfactoria, p.273
Quædam meritoria quæ non est impetratoria, ibid.
Quædam impetratoria quæ non est meritoria, pag.274

Omnis meritoria aut impetratoria, est etiam satisfactoria, ibid.
Quomodo satisfactoria & non meritoria, ibid.& pag. 275
Quomodo peccatoris oratio possit obtinere quod petit, ibid.
Vnde vis ac virtus orationis, p.276.& 277
Omnis orationis mentalis species duas tantùm propriè esse docet Author, c.31.à p.264.ad 309

P

Peccata.

Inter peccata omnia ; ea studiosius fugienda ex quibus alia consequntur & oriuntur illigamenta, à quibus expediri difficile est, cap. 44.p.418

Pœna & tribulationes.

Pœnas amare non tenemur, sed pati, c.36 p.345
Amor afflictiones in delectationes conuertit, & probatur variis exemplis, ibid. & seq.
Si socij Christi passionum fuerimus, simul & consolationis erimus, p. 347
Vide in illud argumentum, quæ habentur toto cap. suprà citato.

Pœnitentiæ.

Pœnitentiæ Sacramenti institutio, c.9.p.92
Pœnitentiæ Sacramentum, præparatio desiderata ad Eucharistiæ susceptionem, existentibus in peccato mortali, p.93
Pœnitentiæ Sacramentum dispositionem suam in se reperit, ibidem.
Pœnitentia tribus constat partibus, Contritione, Confessione, Satisfactione, ibid.
Harum anima, Contritio ; Contritionis anima, charitas, ibid.

Digitized by Google

Pœnitentiæ Sacramenti vſus frequentis vtilitas à p. 155. ad 161

Quæ frequentia ex iure diuino; quæ ex Eccleſiaſtico; & quæ tùm ex fructibus conſequendis, tùm ex accidentibus conſecuturis requiratur, c. 17. à p. 155. ad 158

Cur Eccleſia annuam tantùm præceperit Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ perceptionem, p. 160

De vtilitate Pœnitentiæ Sacram. etiam cum peccatorum venialium duntaxat ſumus conſcij. Vide quæ habentur, c. 18. à p 163. ad 171. ibi egregia Concil Iuris can. SS. Patrum & aliorum reperies teſtimonia.

Perfectio.

Chriſtiana in quo conſiſtat, c. 6. p. 57. 58

Eius gradus tres, ibid.

1. Vitæ purgatiuæ, p. 57

2. Vitæ illuminatiuæ, p. 58

3. Vitæ vnitiuæ, ibid.

Quatuor mediis ad perfectionem Chriſtianam deduci poſſumus; Amore Dei, eius præſentia, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentorum repetitione frequenti, &c. p. 63

Ad augendam perfectionem Chriſtianam conſilium non leue eſt, minùs attendere quid boni habeamus quàm quid mali; magis verò perfectiones proximi, quàm eius defectus, c. 44. p. 413.

Præſentia Dei.

Duplex, generalis vna, altera ſpecialis & particularis, c. 8. p. 75

Generali, quibus & quomodo adſit, ibid.

Speciali & particulari, quibus item & quomodo adsit, &c. p. 76
Cur vbique per diffusionem essentiæ suæ, illimitatæ magnitudinis, ibid. & seq.
Cur vbique per eminentiam scientiæ nihil nescientis, p. 78. & 79
Cur vbique per efficaciam atque operationem potentiæ omnia producentis, & conseruantis, p. 79. 80. 81
A nobis peccatum possumus expellere; Deum autem non possumus, p. 82
Non est necesse vt hîc præsentiæ Dei semper actu vacemus, & sensu, p. 83. & seq.
Sat est in die pluries; & posteà nihil admittere quod istam præsentiam destruere possit, ibid.
Tres modi supradicti maximè valent ad execrandum peccatum, p. 85
Item ad amandum Deum, ibid.
Vide ad hæc, præclara sub finem, cap. 8. p. 88. 89. & 90

Præsentia Christi in mente.

Norma viuendi sola quæ dari potest, p. 86
Pretiosum prototypum, p. 87
Huic inhærere, finis noster principalis in terris: & medium gloriam adipiscendi, p. 88. 89. & 90

S

Sacerdotes.

Sacerdotis capacitas pro administratione Sacramenti Pœnitentiæ necessaria duplex, altera iuris, electionis altera, c. 12. p. 125
Videant hîc legantque attentè atque accuratè, quæ de Confessione & Communione variis habentur capitibus, à 9. c. ad 22. inclusiuè.

Digitized by Google

Satisfactio.

Deo debita pro peccatis, cap.16

Trina, 1. Pro culpa peccati, 2. Pro æternâ pœnâ, quæ illam culpam sequitur eique annexa est, 3. Pro pœnâ temporali, cui postquam ab æternâ nos Deus absoluere dignatus est, obstricti remanemus, &c. c.16.p 148

3. Vocatur Sacramentalis, quæ Sacramenti Pœnitentiæ pars est: quamque acceptare perficereque acceptatam tenetur Pœnitens, vel per se (si potest) vel per alium ex consensu sui Confessoris, p.149

Quanta imponi debeat à Confessore, p. 150

An imposita, valeat à Pœnitente extrà statum gratiæ compleri: dato quod antè illam perfectam in peccatum mortale sit relapsus,&c.pag. 151

An sic impleta, sit satisfactoria pro pœna temporali, ibid.

An illâ ex professo omissâ, sit & maneat absolutus ipse Pœnitens à peccatis, pro quibus illa à Confessore imposita erat; ibid. & p. 152

Scientia.

Non scientiarum vanitate, sed voluntatis rectitudine Deo proximamus, c.44 p. 420

Scrupulus.

Tanto fermè studio vitandus est, quanto peccatum. c.44.p. 428

Equus suspicax, ibid. Quomodo vitandus, ibid.

Sigillum Confessionis.

Vide, c. 15. à p. 145. ad 147. inclusiuè

Spiritualis.

Verè spiritualis actionem nullam nisi euidenter malam debet improbare: neque coram con-

demnare, nisi suæ sententiæ authoritatem æque certò profuturam, ac nulli malum inferendi capax est, succenseat, cap. 44. pag. 424. & 425

Superbia.

Fugienda iis qui specialem pietatem profitentur, c. 44. p. 424

T

S. Theresia.

Insignia de fundamento meritorum, de Actione, Contemplatione, exercitatione virtutum, conuersatione in sæculo, & de solitudine præbet documenta, p. 291. 293. 320. 400. & 406

Tranquillitas.

Tranquillitatem perpetuam deuotionis Comitem esse nequaquam existimandum est, c. 44. p. 418

Tristitia.

Deuotionis Comes est malignus: lętitia verò fidus testis, cap. 44. pag. 417

V

Vita.

Vita presens, nil nisi vię transitus est, c. 2. p. 12
Eius duratio, momentum, ibid.
Breuitas pulchrè describitur à pag. 12. sub finem ad pag. 15
Miseria graphicè à pag. 15. circà initium ad pag. 16. ferè completam.
Comes eius indiuidua, mors, pag. 14
Vita futura felix, æterna, beata, & eius beatitudo, quantùm fas est, exprimitur, tum quoad essentialia, tum quoad accidentia à pag. 16. sub finem, ad pag. 29
Vita purgatiua, quid, cap. 6. p. 57. c. 23. p. 230
Vita illuminatiua, quidè ibid p. 58. & 236

Digitized by Google

Vita vnitiua, quid? ibid.
Tres illæ vitæ ſpecies, tres fines diuerſos (qui tamen in vnum coeunt, quatenùs ſubordinantur ſibi inuicem) ſortiuntur, pag. 60
1. Intendit ab omnibus peccati maculis emundare, & in ſui conditoris gratia Chriſtianum conſtituere, &c. ibid.
2. Myſteria ſalutis pleniùs perſpicere, vt eò maiori cum charitate ea complectatur: necnon virtutum habitibus vitia radicitùs extirpare, ibidem.
3. Voluntatis conformitate vel conſenſu vnum cum Deo eſſe, volendo videlicet quicquid vult, nihilque aliud, ibid.
Cum vita ſua Chriſtiano videtur perfectior, quid ſit agendum, pag. 61. & 62
Qualis tunc vita eius eſſe debeat, ibidem.
Quomodo pugnare, ibidem.
In vſum vitæ purgatiuæ obſeruatio grauiſſima, cap. 23. à pag. 229. ad 236. Vbi definitur quid ſpeciatim præceptum, prohibitum, indifferens, ſectandum fugiendumque ſit.
In vſum vitæ illuminatiuæ obſeruatio, vbi de mentali & vocali oratione tractatur, &c. cap. 24. à pag. 236. ad 244. Vide Oratio.
In vſum vitæ vnitiuæ obſeruatio, cap. 39. à pag. 357. ad 363
Qui à ſeipſo omnibuſque creaturis abſoluere ſe potuerit Deoque poſteà adherere, palmam conſequetur vitæ vnitiuæ. Vide quomodo id fiat, &c. p. 359. & 360
In tres vitas, purgatiuam, illuminatiuam & vnitiuam obſeruatio, c. 40. à p. 363. ad 367
Aſcendendo ſunt ſeparabiles: deſcendendo, in-

ſeparabiles, ibid. 363. & 364
Vita humana in duas ſpecies contemplatiuam ſcilicèt & actiuam diuiditur, quid vtraque ſit, Vide cap. 43. pag. 388. & ſeq.
Contemplatiua ſuapte natura eſt nobilior actiua; & ſecundum D. Thomam etiam magis meritoria, p. 391. 392. & 393
Actiua poteſt ſecundum quid reddi merito præſtantior Contemplatiua, p. 393
Actiuam conſulit Author omnibus Chriſtianis illius capacibus, &c. p. 394
Contemplatiuam, ad eam ſpecialiter vocatis tantùm, ibid.
Rationes huius Conſilij egregias habes toto reliquo cap.

FINIS.

Errata ſic corrigito.

PAgina 2. lin. 18. & 19 conſentaneum eſt, p. 3 l. 25. vbi (ſenſu) lege affectu. p. 11. lin. 8. ad ſyllabam (ub.) adde characterem ſuperiorem (m.) Item l. 12. 1644. p. 27. Parentheſis quæ incipit l. 25. (non enim, &c.) & terminatur l. 27. expreſſa charactere communi vel quadrato; italico exprimi debet: eſt enim ipſius S. Auguſtini, non mea. p. 39. li. 7. perſeuerare. p. 40. l. 21. à 1. cap. ad 11. p. 46. l. 19 conſilia. p. 47. l. 2. dedita. Item l. 8. ſenſuum. Item l antepenult. poſt (quantumlibet) adde, hanc. p. 50. l. 15. inordinatus. p. 59. poſt (aſſeruit,) virgula addenda eſt, in cæteris vbi deficere ſimiliter vel excedere videris eiuſmodi virgulas & apices, cautus eſto, ne ſenſum peruertas; & ſuppl'e benignus. p. 67. l. 20. iuſtũque. p. 86. l. 8. animatam. p. 89. l. 21. languoribus. p. 90. l. 18. ipſe. p. 91. l. 20. ad vocabulum, (Matthæum) deeſt character ſuper. d. p. 96. l. 15. perfectioris. p. 103. l. 24. tranſuerberatur. p. 105. l. 4. amittunt. p. 107. l. 2. vbi (anine) tanquam ſuperfluum reiiciendum eſt. p. 108. in titulo, Perfectione. p. 109. l. 1. gratiam. p. 113. l. 10. ſceleratiores. p. 115. lin 18. contigit. p. 117. l. 6. conſultè. Item l. 7. lege. Item l. 9. aperienda. p. 123. l. penult. muneris. p. 121. in titulo, xij. p. 126. l. vltimâ atqui. p. 127. in titulo xiij. Et l. 1. remittendi. p. 128. l. 25. quod. p. 136. l. 7. ponderanda. Item l. penult. proſiliet. p. 137. l. 14. procedat. p. 138. l. antepenult. poſſet. p. 139. l. 10. Miniſtro. Item l. 20. ſolueritis. p. 141. l. 6. habet. p. 143. lin. 11. obiiciatur. p. 149. l. 20 acceptare. p. 157. l. 14. nos. p. 158. l. 14. veram. pag. 162. l. 2. 40. Item l. 14. plura. Item l. 24. xxxix. p. 164. l. 2. dicetur. Numerus paginarum 166. & 167. bis repetitur, ſed non quam complectuntur, doctrina. p. 169. l. 4. oppoſitum. Item l. 5. tamen. p. 170. l. 9. præ manu. p. 174. l. 25. impetrandam. p. 177. l. 10. teſtabantur. p. 178. l. 22. aliis. p. 186. l. 8. 61. p. 190. l. 4. infimum. p. 193. l. 15. per arctam. p. 194. l. 6. Eliſæus. p. 196. l. 16. medium. p. 199. l. 6. adeſſent. Item l. 7. antè (Pontifex) adde, ſummus. p. 200. l. 1. diaconos. p. 205. l. 20. & 21. communionem. p. 207. l. 3. ſingulis. p. 208. l. 3. illud. Item l. 6. perſecutionibus. p. 209. l. antepenult. Antoninum, p. 210. l. 4. xxl. Item l. 23. citantur in

iure. It. l. 24. his qui. p. 211. l. 17. vbi annis, ad. 45. p. 212. l. 2. ἡμίφαις Item ead. l. τίνος. Item l. 5. post (quæst.) adde, Lucinij, quod à l. 6. penitùs reiiciendum est. Item l. 20. Apostolicas. p. 215. l. 1. antè (participatione) adde à p. 220. l. 10. & 11. consistere. p. 221. l. 8. illa ex se. p. 225. l. 13. & 14. hominum. p. 228. l. 1. Ad textum Authoris consequenter, notæ nostræ atque animaduersiones perperàm exarantur. Quod etiam alibi similiter erratum damnabis. Item lin. 21. post (Sess.) adde, 13. Item l. antepenult. præseruemur. p. 229. l. 8. venialia. p. 232. l. 12. decalogi. p. 234. l. 10. Christianus. p. 238. l. 16. genuino. Item l. 22. aliquando. p. 239. l. 12. det. Item l. 13. post (peruersorum,) adde, nos. p. 241. l. 18. post (diuinum) adde, animæ. p. 248. l. 14. & 15. vehementissima. p. 251. l. penult. & vltimâ, vbi (te) bis, lege, te, semel duntaxat. p. 261. l. 1. obseruatione. Item ead. l. Directore. p. 263. l. 12. vilitatem. p. 269. l. 9. voluntatis. Itẽ l. vltimâ, spiritus. p. 270. l. 12. studio. p. 273. l. 4. satisfactoria. p. 275. l. 21. Deus. p. 276. vbi (299.) lege 276 Itẽ l. penult. fumus. p. 278. vbi (272.) lege 278. Item l. 7. excutient. p. 279. l. 20. citò. Item l. vltima, desperationem. p. 280. l. 1. vitandas. Item l. 15. Ethic. p. 282. l. 9. fruatur. p. 284. l. 2. & 3. meriti. p. 285. l. 5. fit. In numero p. vbi (228.) lege 287. p. 288. l. 7. anxietas. Item l. 8. ni. p. 290. vbi in eius numero habes (90.) lege, 290. p. 293. l. 25. post (consolationis) adde, illas. p. 297. vbi in eius numero habes (291. lege 297. p. 299. l. 15. (est) transpositum, post (perspicacius) collocandum est. p. 310. l. 2. καθέλκειν. Item, l. 8. æternis. Item, l. 20. ὑπερφύσιον. p. 312. l. 4. placet. p. 315. l. penult. vbi (oportere) transpositum, in 3. l. seq. quæ est 2. pag. 316. reiiciendum est. p. 326. l. 16. dictationes. p. 329. l. vltimâ, contigit. p. 330. l. 10. ordinarias. p. 331. l. 14. sublimem. p. 335. l. 2. minimæ. p. 339. l. 2. cui. p 344. l. 15. tolerantias. p. 347. l. 25. ne sensus penitùs confundatur, muta virgulas, & sic lege, Propter Deum pati, illius instar, Amantium eundem lætitia maxima est. p. 394. lin. 1. dirigere. p. 350 l. 12. cur. p. 351. l. 8. videbatur. p. 353. in titul. cap. 37. contingens. p. 357. l. 1. secretiora. Nota bis poni num. 357. & 358. itaut hi finiant fol. præcedens & inchoent subsequens. p. igitur 357. l. 2. in p. 366. l. 5. nedum. p. 374. l. 2. exercitiis. p. 375. l. 4. τραπώτου. Item l. 17. vnusquisque. Item, ibidem huius p. 378. l. 6. impermixtæ. p. 386. l. 1. subsidio. p. 391. l. 8.

Digitized by Google

vbi (&) ſuperfluum eſt. p. 398. l. 11. ac nil minus. p. 400. lin. 17. multò. p. 401. l. pen. duntaxàt, p. 402. lin. 5. anhelantes. Item, li. 20. pen. ultimam. Item lin. 22. ſed vulgi. p. 413. l. 2. nedum. Item, l. 14. naturæ. p. 416. l. 18. iuſto. Item, l. vlt. negligunt. p. 419. l. 12. percepta. Item, l. penult. quaſi ſolis. p. 423. l. 26. infallibilitate. p. 424. lin. 1. eſtis. p. 425. l. 7. vbi (me) tanquam ſuperfluum reiiciendum eſt. p. 426. l. 26. quòd. p. 427. l. penult. ſine. p. 429. l. 12. aberrauit. p. 431. lin. vltimâ, offerunt. p. 432. l. 5. qui. p. 434. l. 18. ſapientis. p. 435. l. 5. cæterorum. Item, lin. 8. vbi (quia eſt) impreſſum fuit charactere communi, reſtituendum eſt Italico, cum ad textum D. Pauli pertineat. p. 437. l. 3. ens. Item, l. 25. atqui. p. 442. l. 17. manuum. Item, l. vlt. cap. p. 443. l. 19. αἰδίοις. p. 445. l. vlt. extendere. p. 446. l. 17. præ cæteris. Item. l. 25. ſcrutamur, denique vbicumque repereris (Idæam) cum diphthongo, lege (Ideam) ſine diphthongo.

Irrepſerunt & alia tum maximè in accentibus ſpiritibuſque Græcis, tum in interpunctionibus, quibus pro ſuâ benignitate æquus lector indulgebit.

Digitized by Google

8-1

Digitized by Google